




9

Theol. 106^a



62

THE
D. B. YAL
CHINA




EXAMINIS
CONCILII TRI-
DENTINI, PER D. D. MAR-
TINVM CHEMNI-
CIVM SCRIPTI;

OPVS INTEGRVM, QVATVOR PARTES,
*in quibus praeipuum capitulum totius doctrinae Papisticae, firma & solida
refutatio, tum ex sacra Scriptura fontibus, tum ex orthodoxo-
rum Patrum consensu, collecta est; uno Vo-
lumine completens.*

AD VERITATIS CHRISTIANAE, ET ANTI-
christianae falsitatis cognitionem, perquam utile &
necessarium.

IN PRIMA PARTE HVIVS EXAMINIS
explicantur hi loci:

De Traditionibus.	De Operibus infidelium.
De Peccato originis.	De Libero arbitrio.
De Concupiscentia.	De Iustificatione.
De vocabulo peccati.	De Fide.
De conceptione B. Mariae Virg.	De bonis operibus.



CVM INDICE DILIGENTISSIME COLLECTO: QVI PRAETER MATERIAM
*doctrinae, scripturae quoque, testimonia explicata, aut ita citata, ut explicata videantur; nec non
Patrum auctoritates, promptissime subministrat.*



Francofurti, Impensis haeredum Sigis. Feyrabendij.

M. D. LXXXVI.

EXAMINIS

CONGREGATIONIS TRI-

PLETANAE PER D. D. MAR-

TINUM OHEMNI

CLAVIS SCRIPTA

IN VITIS... VOR...

...

...

6681.4014²

0

AD VERITATIS CHRISTIANAE ET AMICITIAE

...

...

IN PRIMARIIS...

...

...


...

...

...

...

...



D 887/63



INCLYTO ET SVMMAE
 SPEI ILLVSTRIS. PRINCIPI
 AC DOMINO, D. ALBERTO FRIDE-
 RICO, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DO-
 MINI, D. ALBERTI SENIORIS, &c. FILIO, MARCHIONI
 Brandenburgensi, Prussiae, Stetini, Cassubiorum & Vandalorum Duci,
 Principi Rugiae, & Burggrauio Noribergensi, &c.
 Domino suo clementissimo:

Gratiam, salutem ac pacem, à Deo Patre, per Dominum
 nostrum Iesum Christum, vnicum Magistrum, autho-
 rem & consummatorem fidei nostræ.



ILLVSTRISSE Princeps, Domine clementissi-
 me: Quod scriptum hoc complectens grauisimas
 disputationes de precipuis doctrinae caelestis capi-
 tibus, in Tridentino Concilio conspurcatis & de-
 prauatis, Celsit. vestra in primo adhuc etatis flo-
 re agentis, demisse offero: eius rei honestas & gra-
 ues habeo causas, quas Celsit. vestra illustrissimus
 parens, Princeps ac Dominus, D. Albertus se-
 nior, &c. Dominus meus clementissimus, pro exi-
 mia, & iam senili sua prudentia, ut spero, non impro-
 babit. Homines sapientes, omnibus temporibus, grauisimo consilio censuerunt in formandis à pri-
 ma statim etate studiis, vita & moribus eorum, qui ad spem Imperij nati
 sunt, & educantur, plurimum opera & diligentia ponendum esse: quia κοινόν
 ἀγαθόν, publicum & commune bonum sit, talis Princeps, qualem sapiens an-
 tiquitas in pulcherrimo illo Homeri versu descripsit:

ἀμφοτέρων βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρᾶτερός τ' αἰχμῆτης.

Ut autem Dei beneficio tales euadant, valde multum interest Reipu-
 blica, quali institutione à prima statim etate formentur, & ad quæ exerci-
 tia à teneris assuefiant. Quæ de re multa extant sapienter cogitata, & ve-
 nusste dicta, & apud Poetas, & apud Philosophos.

In Ecclesia vero filij Dei, Spiritus sanctus vult, Principes terræ non
 tantum ad politicas & bellicas virtutes formari, sed præcipue vult ipsos e-
 rudiri, ut seruiant Domino in timore, & filium ipsius, Dominum nostrum

EPISTOLA

Iesum Christum, à tenera etate osculari discant, Psal. 2. Vtq; sint benefici miseræ & exulantis Ecclesiæ nutritij, Isaia 49. Pulcherimum enim spectaculum, Deo gratum, Ecclesiæ salutare, & ipsis Angelis optatissimum esse; Dauid affirmat Psal. 47. quando Principes populorum congregantur cum populo Dei Abraham, apud illos enim, qui sunt scuta terræ, Deus vehementer elevantur. Et Psal. 102. dulcissimam facit hypotyposin: Scribantur hæc in generationem alteram, quia prospexit de excelsis sancto suo, Dominus de cælo in terram prospexit, in conueniendo populos & Reges in unum, ut seruiant Domino. Ita 4. Reg. 11. Ioas in domo Domini, apud pontificem Ioiadam educatur, & quidem in ipsa domo Domini, ritu augustissimo inauguratur, diademate capiti imposito, & libro legis in manus tradito: cum tamen septem tantum annorum puer tunc esset, cuius animus non poterat tunc quidem per etatem omnia legis mysteria capere. Ab ineunte tamen etate, iudicarunt, Regij pueri animum imbuendum esse illis cogitationibus, ut meminisset in quam spem educaretur: ut scilicet non tantum priuatim voluntatem Dei agnosceret, Domino seruiret, & filium oscularetur: sed ut illa traditione libri testimonij commonesceret, publicam custodiam doctrinæ diuinitus patefactæ, & in libris sacris consignatæ, sibi, ut politico magistratus, certo modo & ordine à quibusuis deprauationibus tutandam commendari.

Ita ex Christianis Regibus & Principibus multi bono consilio & pio zelo, liberos suos, in colloquijs Ecclesiasticis, quæ tunc scholæ erant, & quasi plantaria Ecclesiæ Dei, voluerunt educari: & à prima etate ita institui & formari, ut reuerentiam erga doctrinam Ecclesiæ, in primo etatis flore conceptam, postea in ipsa Imperij administratione retinerent & colerent. Et sæpe in tali institutione Principum liberis propositi, traditi & commendati sunt libri, complectentes explicationes de grauisimis, contra sanam doctrinam motis controuersis. De quibus etsi per etatem tunc iudicare non poterant, admonebantur tamen traditione huiusmodi scriptorum, ad officium pij Principis, ad quod educabantur, pertinere, ut & priuatim ab omnibus sana doctrinæ corruptelis serio abhorrerent, ut que suo loco lupos, afferentes alienam vocem, ab ouili arcerent & abigerent.

Cumq; non dubitem, Illustriss. Ducem Prusiæ, Dominum Albertum seniore, &c. Dominum meum clementissimum in hac graui sua etate, nihil aliud in votis habere, quam ut pia filioli & hæredis sui institutio & formatio, per Dei gratiam ita benedicatur, ut una cum diademate, etiam liber testimonij diuini, ipsi recte tradi & commendari possit, utq; in nutritione Ecclesiæ, paternis vestigijs insistat. Iudicavi igitur, Celsit. ipsius non ingratum fore meum hoc officium, ab ea gratitudine, quam Prusiæ multis nominibus debeo, non alienum, si in clyto, & summa spei Celsit. sua filiolo, Domino Alberto Friderico, &c. Domino meo clementissimo inscriberem & offerrem, Examen hoc Decretorum Concilii Tridentini, quod certis ratio-

DEDICATORIA.

rationibus ita flagitantibus conscripsi, ut cum aliud non possim, una cum precibus meis, commonefactione aliqua, institutionem Illustriss. & Summæ spei Principis, &c. adiuvarem: ut Celsus, ipsius meminerit, in quam spem, non sua tantum Prussia, sed toti rei literariæ, & præcipue Ecclesiæ educetur, utq; progrediente ætate, discat & agnoscere, & odisse technas, & fraudes tyrannidis Pontificiæ, & regni Antichristi.

Non autem privato vel consilio, vel arbitrio, hoc argumentum græve sane, & difficile, mihi delegi, sed quodammodo necessitate quadam mihi impositum est. Edidi ante biennium libellum proponentem, & quasi in tabella monstrantem præcipua capita Theologiæ Iesuitarum: quæ ex quadam ipsorum censura collegeram, ut nova ista regni Pontificij secta, Germaniæ nostræ detegeretur, quam monstrosas opiniones profiteatur & circumferat. Ad illum libellum vero, ne ex Iesuitarum quidem secta hæctenus quisquam responsionem instituere voluit, credo quod nemo turpitudinis istius publice detectæ patronus haberi voluerit. Tandem Andradius quidam Lusitanus, qui inter Theologos Tridentini Concilij præcipuam personam sustinuit, ad profligandum illum exiguum meum libellum, magna & proluxa acerbitate exarsit. Idq; non suo quodam vel instituto, vel arbitrio, sed (sicut ipse narrat) eorum instigationibus inflammatus, quorum Tridentini Concilio præcipua fuit autoritas: cum quidem (sicut ipse narrat) multorum sermone cognoscerent, aliqua nostrorum gratulatione, libellum istum meum fuisse exceptum.

Iam vero ad primam inspectionem, scriptum illud Andradij, propter acerbam & tumidam maledicentiam, cum quidem in rebus ipsis ad profligandas Iesuitarum opiniones, maiorem & crassiorẽ ipse addat impudentiam: statueram prorsus silentio præterire. Sed cum attentius, res ipsas, quas Andradius tractat, considerarem, deprehendi ipsum quasi aliud agendo, voluisse simul mysteria quedam, quæ Tridentini in privatis congressibus & deliberationibus agitata sunt, in lucem producere. Cumq; illam personam, à Tridentinis patribus sibi impositam fuisse, ipse narret: existimo, voluisse Pontificios, post promulgata & edita impia sua decreta, etiam interpretationem illorum orbi Christiano tradere. Atq; hoc modo ex illis Andradij explicationibus animadverti, quam multa technæ, & quam variæ fraudes, in Tridentinis decretis insidiosè occultentur, de quibus Lector vix suspicari posset, si obiter nuda decreta inspiciat.

Cum igitur omnino responsio aliqua opponenda esset, iudicavi hanc rationem, quæ cum aliqua Lectoris utilitate coniuncta esset, fore commodissimam: si ex Andradij scripto, quod Tridentini durante Concilio, hortatu & instigatione Patrum compositum erat, exciperentur ea, quæ decretis Tridentinis talem interpretationem addunt, unde non obscure colligi potest, quæ ibi dictæ sententiæ, quæ agitatae deliberationes, ad depravanda præcipua doctrinæ cœlestis capita. Et hac occasione institui Examen primæ partis De-

cretorum Concilij Tridentini, usq; ad doctrinam de Sacramentis. Altera vero pars, si occupationes permiserint, & Ecclesie utilitas efflagitavit, Deo bene iuvante, subiungetur. Cognoscet autem Lector, ex commonefactione huius examinis, ex quam insidiosis technis & fraudibus consuta sint Tridentina decreta, hoc consilio & hoc fine, ut usitatas adulterationes, quas ex Philosophia male & infeliciter cum Theologia dilutas, Monachi in Ecclesiam inuexerunt, quoquo modo, & inuitis & Deo & hominibus, retinere, confirmare, & stabilire possint. Adieci in plerisque locis fundamenta explanationum & refutationum, quantum quidem instituta examinis ratio tulit. Locum vero, de Scriptura & Traditionibus, quia in eo Pontificij totius sue cause robur & presidium, hoc quidem tempore, collocant, aliquantoplenius iusta ferme tractatione explicavi. In tota autem hac scriptione, nihil conatus sum novi afferre, sed tantum antiqua, hoc est, usitatam nostrarum Ecclesiarum doctrinam repetere, quam non dubito esse Prophetica, Apostolica, & vere Catholica consensionem. Sed de consilio scriptionis, in ipsa prefatione plura dicenda erunt.

Nunc igitur, Illustrissime Princeps, Alberte Friderice, &c. ad Celsitudinem vestram reuertor, quam reuerenter & demisse oro, ut clementer audiat, quibus rationibus motus, scriptum hoc Celsit. vestre inscribere & offerre voluerim.

Aduersarius meus Andradius, explanationes suas, quas ita inscribit: Serenissimo Regi Lusitaniae, &c. cuius adolescentia, in primo atatis flore, sub Iesuitarum disciplina, referente Andradio, instituitur, destinavit, ut scilicet tenellus Regis animus, si à Scriptura ad humanas traditiones abducatur, & superstitionibus Pontificiis ab ineunte etate undiq; fascinetur, non possit aliquando progredi ad fraudes Pontificias agnoscendas, & veritatis lucem aspiciendam. Cogitavi igitur iustiores me habere causas, ut simili inscriptione, seu dedicatione, nostros Principes, qui in primo atatis flore, in illa simplici & fundatissima doctrina, qua à Deo generi humano patefacta, & literis Propheticis & Apostolicis consignata est, educantur & instituuntur, commonefacerem & exhortarer, ne si quando ad Republica gubernacula admoti fuerint, patiantur se & suos à manifesta & salutaris scripturae luce, ad tenebras & figmenta humanarum traditionum, & scrinij Pontificij somnia abduci. Vestra autem Celsit. illustrissime Princeps, Alberte Friderice, &c. potissimum iudicavi me hoc qualecunq; officium iure quodam debere. Multis enim & magnis ab illustriss. Celsit. vestra parente, &c. Domino meo clementissimo beneficiis sum affectus, quando instructissima Ducali Bibliotheca ante annos tredecim prefectus, honestum in Aula locum habui. Exercitia etiam mea in Mathematicis qualiacunque Celsit. ipsius non ingrata fuerunt.

Et cum ad pertexenda studia mea ad Academias redire vellem, honeste, & quidem liberaliter à Celsit. ipsius, & literis, & donariis dimissus sum.

Pro

D E D I C A T O R I A.

Pro quibus beneficiis, iudicavi me hac ratione animi gratitudinem commodissime, vel aliquo saltem modo significare posse: si hac inscriptione ostenderem, me illustriss. filio & heredi Celsit. ipsius, omnia fausta & felicia precari, in iis præsertim, qua summa & maxima sunt in hac vita, ut scilicet iuxta Spiritus S. sententiam, primis assuescat ab annis, seruire Domino in timore, & osculari filium, Psal. 2. congregari cum populo Dei Abraham, Psal. 47. suscipere nutritionem Ecclesie, Isa. 49. odisse Ecclesiam malignantium, Psal. 26. Et hanc meam operam spero Celsit. ipsius non minus gratam, atq; adeo pro rerum æstimatione gratiorem fore, quam cum olim qualiacunq; Mathematicum exercitia, Celsit. ipsius exhiberem: qua tamen memini, singulari Clementia accepta fuisse. Volui etiam gratitudinem meam pro illo beneficio ostendere, quod in Bibliotheca instructissima, per triennium & amplius, non sine fructu mihi versari clementer concessum fuit. Illa enim occasione accensus sum studio linguarum, & amore cognoscenda vera & purioris antiquitatis. Merito igitur, cum debita gratitudine, Prutenica Bibliotheca acceptum refero, quantulumcunque est, quod postea in hoc studiorum genere profeci.

Sæpe etiam illius humanitatis recordor, cum in Aula quidvis potius quam aulicus, per triennium ferme versarer, quod illi, qui in Aula præcipuerant, ad amicitiam suam honestum & liberum aditum mihi patere volebant. A Domino Burggrauiio, propter modestiam & simplicitatem amabar, & quidem liberaliter fovebar. Nobili viro & Casparo Nosticio, Doctori Christophoro Iona, Consiliariis, Andrea Muncero, Secretario, non ingrata erat mea consuetudo, & quidem multis in rebus opera ipsorum sæpe utebar: qui etiam absentem benevolentie officis prosecuti sunt. Nec opus est singulos nominare, quorum in Prussia & amicitia usus, & benevolentiam expertus sum.

Cumq; aliud non possim, existimaui me vel aliquam gratitudinis significationem Prussia ostendere posse, si publica hac declaratione & commonefactione testatum facerem, me ardentibus & summis votis, institutionem & formationem, ipsam deniq; vitam & salutem, inclyti & summae spei Principis ac Domini, D. Alberti Friderici, & c. diuina gratia & benedictioni commendare.

Vestram vero Celsit. Illustrissime Princeps Alberte Friderice, & c. Domine clementissime, reuerenter & demisse oro, ut non agre ferat, quod per vestram Celsit. volui gratum meum animum, erga illustrissimum Celsit. vestra parentem, & c. Dominum meum clementissimum, & erga totam Prussiam, publica aliqua significatione declarare. Erit hoc Deo gratum, & Celsit. vestra honorificum, si in primo atatis flore, exemplo illustrissimi parentis, cœperit ostendere: & spem præbere, se patrocinium rei literariae & nutritionem Ecclesie, una cum reliqua hereditatis successione, suscepturam. Et hac bona spe fretus, Celsit. offero & dedico hanc meam qualemcunq;

EPIST. DEDICAT.

operam, quam eruditorum, & in his illustrissimi Celsit. vestrae parentis, &c. iudicio grauissimo submitto, reuerenter & demisse orans, ut quicquid hoc est officij, Celsit. vestra, placido vultu, & clementi animo accipere non dedignetur.

Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore & ardentibus votis oro, ut propter filium suum, Dominum nostrum Iesum Christum, Celsit. vestra institutionem & studia, totam denique vitam & salutem, diuina sua gratia & benedictione, per Spiritum suum sanctum gubernet, ab omni periculo & malo incolumem clementer conseruet & custodiat, & benedictione sua efficiat, ut Celsit. vestra esse aliquando possit organon Deo gratum, politicae utile, & Ecclesiae salutare, Amen. Brunsvuiga, Anno Domini M. D. LXV. die Aprilis 29. quo die Deus Celsit. vestram in hanc lucem nasci voluit, quem etiam toto pectore oro, ut illum diem Celsit. vestrae faustum, felicem, & salutarem sapissime redire velit.

Celsit. Vestram

demissè & reuerenter colens,

Martinus Chemnicus, Minister
Ecclesiae Brunsvuicensis.

NARRA-



NARRATIO DE SYNODO

NICENA, VERSIBVS EXPO-

sita, auctore Matthia Bergio Brun-
fuiucensi.

NUNC tandem pietas multum lau-
data supremi
Pontificis perfecta dedit, quae tempo-
re longo

Parturiens nobis specie ostentabat inani:

Nunc tandem Alpina caeptum (quis nescit) in
urbe

Concilium Latia de religione peractum est.

Hei mihi quale fuit, quantumq; recessit ab illis,

Qua sancti quondam, mundi melioribus annis,

Egerunt proceres, cum nondum c diuta nocentum

Fraude superstitione, doctrina tradita sensim

Carpere Apostolicae furtis audacibus orsa est:

Cum nondum sanctis priscorum moritus at as

Decolor inuexit virus: segetiq; malignum

Triticea lolium atq; aconita nocentia furtim

Miscuit ille nocens lachrymabilis arbiter Orci.

Hei mihi quale fuit, quantumq; recessit ab illo,

Quod quondam Solymis duodena coegerat altis

Turba: rudes populos dum Christo hinc inde la-

borat

Iungere, sollicitaq; haec prouidet omnia mente.

Qua poterant caeptis obstare ingentibus, illo

Tempore, messis adhuc tenera cum stabat in herba

Christe tibi, & multi gressum in tua castra fere-

bant.

Quid? quam dissimile hoc rebus fuit omnibus illi,

Quod quondam ex omni princeps longe optimus

auo

Eximio Christi pietatis amore coegit,

Contra hunc, quae Martis de nomine dixit Arium

Gracia, qui Christi nomen dum perfidus or

Abnegat impuro, tibi maxime Constantine

Aeterna obiecit laudandum in secla laborem.

At sibi, complicibusq; suis, aeterna nocentum

Supplicia infelix, omnig; miserrimus auo:

Quando hostili animo Christum insectatus, &

inter

Blasphemus contra hunc voces animam exhalauit.

Hac iam Pierio mens est mihi promere cantu

Non tamen, ut rerum momenta per omnia per-

gens

Singula commemorem, dici haud indigna: laboris

Ingentis res illa foret: mihi parua loquenti

Sufficit ad plenos lectorem mittere fontes,

Misat erit, paruo indicio monstrasse legenti,

Quam simile hoc illis fuerit, quae diximus ante,

Conciliis, Latij studio quod praesulis actum est.

Nimirum ut Nemese simile patet esse Lauernam:

Laida Penelope: Venerem tibi casta Diana:

Gorgonas Harpyasq; tibi Oritonia virgo.

Dum tamen istud ago, numeris dum talia promo,

Ecquis erit, Musis qui non auersus, opellam

Comprobet haec, vena censor minus asper agrestis?

Tu quam respexit vultu supremus amico

Iam pridem pater, & lucem cui reddidit illam,

Quam tenebris olim & caligine texerat atra

Vana superstitione, & pietati inimica Tyrannis,

Saxonica Arctoi non vltima gloria tractus:

Tu mecum facilis caeptum percurrere laborem:

Dum decus egregium, dum facta ingentia condo

Principis, insignis magnum Constantia nomen

Cui dedit: & pœnas etiam, quas soluit Arij

Impietas, alto dum bellum intentat Olympo:

Et Christum vanis oppugnat perfidus armis.

Vos quoq; quos etiam nunc hac tanta in luce tenebrae

Impietasq; iuuat blasphemi insana Papatus:

Ibida qui turpem Romana sedis honore

Afficitis superum (sive huc vos impulit error,

Sive auri male suadae fames, seu fulgor honorum,

Prastringit captis oculos) huc vertite mentes.

Huc animos, neu quis dubitet, quin impia facta

Tristibus exemplis, quantumuis tardus ad iram

Sit pater vlturus, quando bonitate videbit

Esse nihil patria, monitis nihil omnibus actum.

Aspiciote animis, quanto diuina fauore

Ira vel hunc ipsum, de quo mea pagina dicet,

Presserit: informi demissum ad Tartara letho:

Vt vel sic vobis mentem sententia mutet

Sanior, & morti vos eripiat & Orco.

Sed nos iam vento pandemus vela vocanti.

Ergo hic, cui clarum dederat Constantia nomen,

Primus in Imperio magno te Christe professus

Romulidum fuit, & cultus portenta profani

Sustulit, & vitæ populos melioris in usum

Formauit, passim vanos dediscere cultus

Hortatus, Christumq; animis Christum ore fateri.

Dum tamen illud agit, Christo dum militat ille

Quae rerum discrimina pertulit? o quibus ille

Iactatus fatis, quae bella exhausta per orbem

Confecit, diros veri dum numinis hostes

Europa atq; Asia pulsos sequiturq; premitq;

Et iam complures sauisima monstra Tyrannos

Sustulerat victor ferro, rerumq; potitus

Regnum instaurabat Christo fortissimus vni:

Et rectos cultus, & iusta capefcere sacra

DE SYNODO NICENA

Iusserat, & vanos ritus & vana priorum
Orgia vastatis passim submouerat aris.
Ille animas Christo dociles, non exta parare,
Non vllas pecudum fibras mandauerat ille,
Antiqua quicquid reliquum de sorde manebat
Extirpare omni penitus ratione parabat.
Nec mora: crudeles rabies Acherontica sensit
Inuidia stimulos, dirisq; vtricibus acta,
Artis opem ad solita decurrit: scilicet illam
Hoc super interitu sacrorum artiq; nefanda,
Millia quae tam multa hominum Phlegethontis
auari

Intulerat regno, super hoc tum scilicet illum
Ira indignantem immanes curaq; coquebant.
Ergo ille Arium, quo nemo peritior esset
Perturbare animos, vario mala pingere fuco
Dogmata, & externo pietatem fingere gestu,
Excitat: infandos illum exhortatur ad ausus
Vipeream inspirans ad caepa immania mentem.
Viderat ille quidem, non vanofulmine dogma
Defixum, ad multos quod propugnauerat, & quod
Scitè exornatum verbis atq; arte magistra
Protulerat, librisq; & crebra voce piorum
Daminari: ipse adeo Pharia iam pulsus ab vrbe,
Diuersa exilia, & non notas quarere terras
Actus erat: mox illi iterum noua furtia paterna
Artis adornantur: rursus sua dogmata verbis
Pingit, & his populo fucum facit impius omni,
In partesq; suas multos trahit, & sua furtim
Insinuat, motumq; animis dubitantibus addit.
Praesul Alexandri clara tum primus in vrbe
Vixit Alexander: qui cum vidisset, Arium
Non esse hunc hominem, quem pax tranquilla iu-

uaret:
Quem pia Simplicitas intra sua septa teneret:
Sensissetq; adeo, quid moliretur & istis
Quid strueret caeptis: quem, si fortuna faueret,
Euentum cuperet rerum, mox omnia pandit
Constantine tibi: tua supplex prouocat usq;
Auxilia, aduersus caput insanabile vanti
Lymphatq; viri, qui fastu insanus & ira
Aeternum Christi numen neget ore proteruo:
Nec vero ille hoc iudicium neglexit: adire
Ad seipsum turba auctorem sociosq; iubebat:
Dicturos magnam magno sub iudice causam.
Affuit ille vltro, & regem nil tale videntem
Circumiiit, dum animum nunc hic, nunc occupat
illic,

Insinuans sese: vitiumq; occultat, & omni
Principis assensum captat ratione benigni.
Sicut erat verifallax simulator, & arte
Instructus stygia, qui fando reddere noua
Candida de nigris, & de candentibus atra.
Heu nimium faciles aures tum praebuit illi
Mitis adhuc princeps, l. tebroso & pectoris artes
Ignorans huius, quo non astutior vnquam
Decepit mentes hominum, monstroq; sefellit,
Atq; ideo ignarus fraudumq; doliq; latentis,
Ad sua mox iterum incolumes saluosq; remittens
Pacem optate viri, pacem colite, inquit, & iras

Ponite, disidiisq; aditus occludite cunctis.
Iungite amicitias, & fœdera pristina rursus
Purgatis renouate animis, & vtrumq; fouete
Concordes: ne vos odiis certate nefandis.
Aspicite hoc passim, quo machina fœdere sese
Tota liget mundi: quaq; omnia lege per auum
Conspirent Elementa sibi, faueantq; vicissim:
Aspicite, vt paruos felix concordia cœtus,
Vt paruas locupletet opes: cum maxima regna
Funditus illa nocens toties discordia vertat.
Ab cœant iterum, cœant in fœdera dextra.
His aliisq; illos princeps laudatus amorem
Depositis renouare odiis exhortabatur:
Cuncta prius tentanda putans, sed vana fuere
Illius hortamenta: adeo neq; causa ferebat
Concordare animos: imis nec fixa medullis
Ambitio elatum passa est requiescere Arium.
Ergo nouis iterum pingit sua dogmata fucis
In partesq; suas nunc hos, nunc pertrahit illos.
Optimus at princeps conceptam gliscere pestem
Dum videt, & studiis certamina crescere sentit:
Multa suo super his tristici corde volutat.
Dumq; alius medicas adhibere ad vulnera nemo
Instituitve potestve manus: se poscier ille,
Se signari oculis censet, ne noxia pestis
Corriperet cœtum, de quo grassantia pridem
Arma Tyrannorum dextra victrice fugarat.
Multa alternanti potior sententia visa est
Cogere Concilium, quo res ratione modog;
Legitimo discussa patefceret. ilicet omnes
Conuocat ex omni terrarum parte magistros
Christiadum, pietas quos & doctrina celebres
Efficeret passim, qua sol vtrung; recurrens
Aspicit Oceanum, qua lucida tollitur Arctos,
Quaq; dies medius flagrantibus aestuat horis.
Nec tantum edicto rem publicat: omnia curat
Insuper auerti caeptis obstantia: neu quis
Moliri ve moram, aut veniendi ne cetero causas
Possit, praeberi currusq; rotasq; volucres
Mandat, qua praesto passim venientibus essent.
Nec mora, diuerso passim se ex orbe ferebant
Tam variis linguis, habitu quam vestis & ore
Dissimiles: aderant Graij, Thraceseq; Phrygesq;
Indi, Arabes, Cretes, terraq; Libyside nati.
Adfuit & Scythici procerior accola Ponti,
Germanusq; ingens, & gleba cultor Ibera.
Ille valens vsu rerum arbitriog; sagaci:
Ille ministerio linguarum atq; arte magistra:
Hic arcana bonus scripturae euoluere sensa
Ad normam fidei: donis ingentibus omnes
Conspicui, & multis super omnes dotibus aucti.
Festinant omnes iussi, rapidisq; feruntur
Passibus, haud illi tantum, quibus integer aui
Sanguis erat: multi senio tardante grauari
Conueniunt, ultra vires sortemq; senecta.
Qua celebrem tellus vidit Bithyna Niccam:
Vrbem olim, sed mox deleta triste cadauer
Vrbis & exemplum diuinae terribile ira.
Hic tum cernere erat crines incanag; menta
Multorum, quos ante odiis crudelibus omni

Terra-

Terrarum tractu rabies Acherontia multo
 Vexarat fastu, atq; odiis agitarat amaris.
 Cernere erat toto laceratos corpore quosdam:
 Lumine multatos alios: pro religione
 Christe tua, & vera qui pro pietatis honore,
 Mittebant charas in aperta pericula vitæ
 Pridem animas, quando diris subiecta Tyrannis
 Crescebat mira pietas imperdita sorte.
 Diuini vero proceres atq; inclita postquam
 Hinc atq; hinc collecta loco conuenit in vno
 Concio, cæpti ipse ingentis non futilis auctor
 Constantinus adest: non ille satellite multo
 Terribilis, non ille armis metuentus & ense:
 Non toruus vultu, sed tantum simplice cultu
 Conspicuis, fidisq; aliquot comitatus amicis
 Ingreditur, non tam sublimibus alta columnis,
 Non tam auro gemmisq; aut Indo splendida luxu
 Limina, quam tali multum veneranda Senatu
 Ingreditur, facilesq; oculos fert omnia circum:
 Et solio tandem medius confedit in aureo.
 Atq; ibi facundo dum cunctis explicat ore,
 Qua causa, aut qua res pro tempore suaserit illud
 Cogere Concilium, quantæ sibi singula cura
 Sint, qua Christe tuum possent extendere regnum
 Ostenditq; petiq; adeo, quando optima rebus
 Hæc dubius medicina foret, ardentibus omnes
 Numinis æterni votis sine fine petendo
 Auxilium, controuerso de dogmate certo
 Constituunt: & quando ipsum, quocunq; mederi
 Afflictis possit rebus tentare viderent,
 Vnanimis iridem partes explere studerent
 Quisq; suas: Christo ut passim sua gloria constet.
 Atq; ait: Hæc summa est votorum tota meorum,
 Dogmatis vnanimis, & consentanea veri
 Copula nos necat: Deus hæc incæpta secundet,
 Cui soli veros passim instauramus honores:
 Ut vide. nt homines cælestis libera regni
 Incrementa, & magno Ecclesia flore atq; auctu.
 Quantis nos odiis ille immanissimus hostis
 Oppugnet: quantis hoc egerit hæctenus vnum
 Viribus, ut sacros corrupto dogmate cætus
 Turbaret, Christo cunctos arcere laborans,
 Omnia nota satis, neq; nostra vocis eget res.
 Huic ego diuinam Christi defendere laudem
 Conatus vitamq; meam, studiumq; laboresq;
 Opposui, te summe Pater, te scilicet vno
 Confusus, propter te perdere cuncta paratus,
 Aut tibi cuncta vni dextra asserturus & armis.
 Nunc nos diuersa (quis non videt?) impius ille
 Aggreditur ratione, malū dum dogmata fraudes
 Inuehit in sincera: animos quibus occupet, atq;
 Correptos tristi secum demergat Auerno.
 At vos, quos charo pastor supremus ouili
 Custodes dedit esse, & quos huic pabula Christus
 Mandauit monstrare salubria, vos modo poscit
 Tempus, vestra opera, vestri nūc hæc studij & res.
 Proinde adhibete animos, ne verbi nobile donum
 Arbitet obscuret nigri sauisissimus Orci.
 Biblia sunt vobis: sunt scripta Prophetica vobis,
 Sunt & Apostolicis signata volumina verbis.

Scilicet his pater ipse deum se lumine largō
 Conspicuum dedit, & quod de se scire necesse est
 Humanas mentes, totum hac in parte reclusit.
 Et ratio ipsa adeo doctrina est omnibus vna
 Temporibus, pariterq; eadem sunt ante professe
 Cum proavis vates sancti, duodenag; turba.
 Hæc sunt certa, suo hæc vis ordine nulla mouebit.
 Illorum ad normam doctrina tradita queq;
 Exigere & sacros rectum est inquirere fontes,
 Nec fas est cuiquam norma discedere ab illa
 Dogmate diuerso: quoniam hic seq; & bona cuncta
 Exhibuit pater, & manifesta in luce rexit.
 Quare agite, ex animis nunc, o nunc pellite vestris
 His quodcunq; potest cæptis obsistere, cesset
 Certandi studium: contentio vana faceffat,
 Iurgia sint iraq; procul, perquirite iusto
 Veracis cuncti rem totam examine lancis:
 Ne uenite incassum vestros cecidisse labores.
 Nimirum felix mihi terq; quaterq; videbor
 Tum demum, cum vos animis concordibus vno
 Æterna aspiciam Sophia coalescere nexu.
 Hæc & plura illos multa grauitate monebat,
 Ipse etiam quarentum inter media agmina totos
 Continuare dies: ipse aurem intendere cunctis
 Attentam, studioq; exquirere cuncta sagaci,
 Libera quin etiam cunctis hic ora iubebat
 Concedi, & quacunq; animo sententia cuiq;
 Sedisset, liquido, nullo impediante, volebat
 Proferrī: veri quando indagatio linguas
 Ne utiquam vincas, sed libera posceret ora.
 Nunc tamen est aliquis, cuius vesania & excors
 Impietas prohibere audeat, ne dogmata quisquam
 Excutiat, mundo qua dudum obruserat omni
 Impia barbaries huius, qui regna supremi
 Æterniq; Dei furto labefactat & arte.
 Qui supra reges se tollit & omnia mundi
 Imperia, & fastu tumidus late omnia complet
 Barbarico: atq; illos audax sibi poscit honores,
 Quos homini sperare nefas celsog; superbus
 In folio superum dicit conuitia regi.
 Non erat hoc animi tibi Constantine, nec vnquam
 Te prohibente fuit cuiquam non libera fandi
 Copia, dum verax prolata explorat amussis,
 Et trutinæ iusto doctrinam examine pensat
 Concio sanctorum non illaudata virorum.
 Non praiudicio damnauit acerbior vlla
 Alterius causam partis, non pronior ille
 Alterius visus, iustog; fauentior vnquam
 Addidit iniuste vires & robora cause.
 At cum legit imo tandem res sine fuisset
 Clausa, atq; hanc normam, quam cælitibus dedit
 ipse
 Æterni interpret, & imago aterna Parentis,
 Omnia discussa: & cunctis iam cognitus esset
 Martigeræ furor, & rabies manifesta cohortis:
 Non tunc illi animus, non tunc constantia iusta
 Laudatus non tunc deerat rigor, ilicet ille
 Conuictos, & adhuc firmata mente fontes
 Erroris commenta sui non munere tantum
 Priuauit, sed & extorres ignota coëgit

Exilia & terras alio sub sole iacentes
 Querere, nec cætu se permiscere piorum.
 Ut reliquos fidei mox consentanea iunxit
 Formula, multorum quæ post quoq; sustulit una
 Materiam errorum, & dubitantia pectora sape
 Expediit, dum Christum hominem probat esse
 Deumq;
 Veraq; Thæseo monstr. t compendia silo.
 Exin se cuncti perfectis rebus ad urbem
 Quisq; suam referunt, quos ille hortatibus omnes
 Mitibus appellans, animis concordibus unam
 Doctrinæ vocem mundo inculcare iubebat:
 Inq; propaganda doctrinæ voce laborem,
 Et studium acre Deo vigilanti mente probare.
 Tum vero infirmos omni ratione iuuando
 Allicere ad Christum, pro re, pro tempore cunctis
 Consulere, atq; omnes sanandi querere causas.
 Sicut qui medicum tractat cum laude laborem,
 Pharmaca debilibus, si quando salubria miscet,
 Diuersis diuersa adhibet medicamina: non hic
 Ingratis semper succis medicantia miscet
 Pocula, non aloes lignum, aut absynthia semper
 Tristia præbet, non scilicet omnibus ille
 Ingratum tetra Colocynthide temperat haustum.
 Est etiam suauilaticem cum nectare prudens
 Inficit, & condit fragranti cætera melle.
 Non aliter Christo quosdam esse adiungere rectum
 Mitibus alloquiis & commoditate ferebat,
 Quos tamen infirma dociles cum mente videret:
 Ut tandem ipsi etiam victi bonitate piorum,
 Consilia in melius referant, Christumq; sequantur.
 Hinc petit, ut precibus votisq; ardentibus omnes
 Commendare velint superum sua regna parenti.
 Quando tot insidias videat, tot furta per orbem,
 Monstraq; non leuiter sanctis obstantia cæptis.
 Ille viam monstrat, rem prouidus ille gubernet:
 Vimq; dolosq; premat, quos passim immunda ma-
 lorum

Agmina spirituum miscet. Hinc munera cunctis
 Distribui non parua iubet, prout queng; decebat,
 Nemo adeo tanto numero indonatus abibat:
 Neglectus nemo est, ades sed iussit ubiq;
 Templaq; Christiadis refici, furiosa priorum
 Impietas regum quæ passim euerterat, & mox
 Munificus largos tribuit super omnia sumtus
 His, rude qui possent vulgus formare docendo.
 Felix ô nimium felix clarissime princeps:
 Tantorum felix operum, dignissima fama
 Aeterna & nullis inter moriente diebus.
 Parcere subiectis & debellare superbos,
 Heroæ virtutis opus, sed gloria maior
 Aeternum Christi in terris extendere regnum,
 Dogmataq; inuicta diuina labore tueri.
 Hoc decus est tanti, quanti non omnia mundi
 Totius ornamenta forent, si congerat vno
 Illa loco seu fors, seu quis deus. hinc tibi maius
 Enatum decus est, quam quod capit olia curru
 Tarpeiasq; arces aurato inuictus ab omni
 Laudatus populo parta de pace fuisti,
 Terribiles Scythica ducens feritatis alumnos,

Ante tuos victor currus, Dacumq; Getamq;
 Nam quod Threicos populatus Sarmata tractus
 Te victore cadit, mutatoresq; domorum
 Gothosq; Dacosq; truces dare terga coëgit
 Militia labor ille tua: quod facta triumphis
 Innumerabilibus tibi laurea contigit, & quod
 Naufragio tristi conuulsum colligis vnus
 Imperium, & laceræ reficis tabulat a carina:
 Sunt hæc magna quidem, sed enim communia te-
 cum

Constantine hæc sunt multis, neq; gloria summa
 Hinc tibi, sed vita tantum qua clauditur ista
 Prouenit, maior longe tibi nascitur inde
 Verarum series laudum, tua prouida cura
 Numinis æterni cultum quod iuuat, & ælimum
 Afferuit fidei decus, & venerabile donum,
 Repressitq; nefas, neq; vero hoc almus Olympi
 Neglexit Rector, per bis tria lustra quietum
 Imperium tibi concedens, natismq; paterni
 Inconcussa itidem tradens insignia regni.
 At qui Christum ausi verbis lacerare vel armis,
 Infelix miserumq; genus natosq; nepotesq;
 Exitio secum æterno implicuere cadentes.
 Felix ô nimium felix clarissime princeps.
 Ut vero canos frigescentemq; senectam
 Attrigit, ab veris labe mala laudibus hæsit.
 Quando illum, cuius toties deprensa fuere
 In superos superumq; ipsum conuicia regem;
 Exilio reuocat siue illud pacis & ocij,
 Tunc ipsi subiecit amor, siue altera causa,
 Siue oblita sui senio fuit in chlyta virtus
 Principis eximij, siue hæc tum cuncta peregit
 Occulta studium sectæ, quo tempore Caesar
 Decubuit, morbo fractus, fractusq; senectæ,
 Ut potius reor, & potius fas credere duco:
 Tunc igitur toties iam condemnatus Arius
 Rursus ab exilio Byzantiæ ad mania venit,
 Auxilio sociæ occulto studiisq; caterua
 Subnixus: stimulis iamq; exagitat a sinistris
 Præcipuos illi spondebat factio honores.
 Indoluit senior, quem non pietatis egentem
 Non animi, non virtutis pia concio summum
 Sacrorum & verbi custodem hæc urbe fouebat.
 Opposuit sese ille viris, neq; velle ferebat,
 Cætibus adiungi sanctis, quem tota piorum
 Concio ceu pestem dudum auersata fuisset,
 Nunq; etiam damnet fontem, sic ille bidentum
 Sollicitus custos cum toruum & acerba tuentem
 Sentit adesse lupum, clamorem protinus edit,
 Prædonem contra dirum, dum fida canum vis
 Assiliens, hostem toto petat improba campo.
 At magis atq; magis stimulis agitata sinistris,
 Factio pergebat cæptis instare nefandis,
 Caesaris Imperiis illuc iussuq; vocatum
 Esse virum memorans, sacris qui ibi præsit & aris.
 Ausi quin etiam voces iactare superbas,
 Inuito sene inuitis etiam omnibus, illic
 Hunc vnum templis sacris hunc præfore & aris.
 At pius & Christi obseruans super omnia Præsul
 Obstiiit vsq; animo, & ne cæpta nocentia dirus
 Perfi-

NARRATIO.

Perficeret furor, & sacrum infestaret ouile
 Horribili contagio lues damnanda, supremum
 (Quando opis humana nil iam superesse videbat)
 Sollicitare patrem precibus, prohiberet ab illa
 Cætum labe suum, vim frangeret insidiasq.,
 Aut sese ad requiem potius finemq. laborum,
 Corporis exutum vinculis, dimitteret, antè
 Quam cætum inficeret contagio sæda suorum.
 O quos hic gemitus, ò qua suspiria ab imo
 Pectore tum dedit, ò quanto est ardore precatus!
 Omnem adeo exegit somni sine munere noctem,
 Cum veniente die sua perfecturus Arius
 Cæpta, palam populo sese ostentare volebat.
 Non tulit omnipotens genitor, miseratus ab alto
 Conatus, totaq. senex qua nocte precatus
 Ante Deum fuerat, rectis ea vota feruntur
 Passibus, & cæli nubes & sidera tranant.
 Mane erat, & magna iam iam se mole ferebat
 Ille furens fastu, tantorum & causa malorum:
 Atq. illum templo subiturum haud parua caterua
 Pone sequebatur gradientem & multa minantem.
 Ecce autem subitum atq. omni mirabile seculo
 Euenit monstrum, tota dolor ortus in aluo,
 Quarere secessus iubet, & se auertere cætu.
 Hic illum (auditis si quicquam credimus) ingens
 Occupat attonitum terror, formidine tacta
 Mens stupet, & scelerum intuitu, culpæq. nocentis
 Contrahitur, miseramq. animam vis strangulat
 intus
 Mortifera, atq. illū constringit & urget inhaerens,
 Illa rumpuntur post hæc: mox exta latebras
 Proiecit in sædas, furisq. vocantibus atris,
 Indignantem animã tristi cum murmure fundit.
 Hoc sine ille miser Libyæ & telluris alumnus
 In terris vitam clausit, dum bella mouebat
 Impia, Christo adimens diuinæ stirpis honorem.
 Vos ò quos illi similes videt auricomus Sol,
 Quis idem furor est eademq. insania, Christo
 Aduersos vos ferre Deo: quiq. usq. perosi
 Accensam verbi lucem, immortale sonantis
 Auxilium mundo, varias exquiritis artes
 Ne quicquam superos contra, respiscite tandem
 Si pote, & in melius mutatos vertite cursus.
 Neu dubitate Deum memorem fandi atq. nefandi.
 Fraus vnde exorta est, in eum plerunq. redundat.
 Et quanquam lentis ad pœnam passibus ira
 Procedunt superum, grauitas tamen omnia pensat
 Supplicij, mora qua pridem diuturna neglexit.
 Tu quoq. qui laceras lingua petulante Mobernum
 Chemnicium, & reliquos adeo, qua plurima tur-
 ba est,
 Seu te decepta mentis malus impulit error,


Quo tua te primis Hispania tinxit ab annis.
 Ancilla Ausonij dum mauult esse Baalis,
 Quam Christi populus: siue hoc fiducia suasit
 Ingenij, seu spes magnorum hortatur honorum
 Ponere respectum veri, & mendacia fuco
 Pingere, siue aliud causa est tibi: Tu quoque tan-
 dem
 O tandem leue studium hoc ò exue mentis.
 Aspice deformes obitus immanis Arii:
 Aspice qua nostro contingunt plurima seculo:
 Aspice mugitus Latomi sub morte fatentis
 Exosam ob verbi lucem se iudicis alti
 Horrendo iussu morientem ad tristia mitti
 Tartara, perpetuis luat ut facta impiæ pœnis,
 Tristiaq. aeternum furiarum verbera ploret.
 Nes vero ut vester vita emigraue, it olim
 Hofmeisterus & huic similes, deuota perenni
 Exitio capita, te posse latere putandum est,
 Vtq. alij similes, manet, aeternumq. manebit
 Accensum mundo lumen: quantumlibet illud
 Oppugnet vafra stygij Cacodæmonis arte,
 Turba furens vndis, ferro, face, voce, librisq.,
 Et veniet tandem illa dies, qua queng. sequentur
 Præmia pro factis, mundi sub iudice magno.
 Tum meliora piis versa vice currere fata
 Incipient: dextra lachrymas tunc ipse suorum
 Deterget pater, & mundi ludibria deinceps
 Passuros nunquam mundo meliore fouebit
 Aeternum. versa tum flebit barbara sorte
 Impietas, tunc in fletus hac gaudia abibunt,
 Omnia tunc in lucem, antehac calata, ferentur,
 Tuq. adeo quondam regnata tricorpore tellus
 Geryone, ac grauiore tyrannide nunc quoq. pressa
 Geryonis Latij: quem fanda nefanda patrantem
 Alcides pridem inuictis Germanicus armis
 Instigante Deo, cælesti numine plenus
 Elisit, cacumq. orbi scelus omne rexit,
 Maximus ille animi gestorum maximus ille
 Martinus (quid vane fremis, quid ringere liuor,
 Maximus ille tamen) quo sese Saxonis ora
 Iactitat, & iactabit in æuum nobilis omne:
 Tu tellus Hispana, inquam, nunc aspice demum
 Exortam mundo lucem: & Tirynthius ut te
 Barbarico eripuit fastu pastoris Iberi:
 Sic & nunc vobis aliquando petentibus atas
 Auxilium ferat & furis tandem eximat huius
 Qui regnum Europa atq. Asia Lybiaq. calentis
 Sperabat, captasq. impune hinc inde per vrbes
 Ibat ouans, & diuino gaudebat honore
 Ius regum & clauis alti gestabat Olympi.
 Hoc me nunc vobis Pietas iubet alma precari:
 Hoc vobis donet cupientibus astripotens rex.

F I N I S.

Faint, illegible text in the left column, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text in the right column, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text centered at the bottom of the page.



I
**IN EXAMEN PRIMAE
 PARTIS DECRETORVM CON-
 CILII TRIDENTINI,
 PRÆFATIO.**



TERTIVSIAM annus est, cum præcipua capita doctrinæ Iesuitarum, ex quadam ipsorum censura annotata, Lectoribus tanquam in breui tabella inspicienda proposui, hoc consilio, vt secta illa, quæ nuper admodum in perniciem Ecclesiarum, quæ pu-

ram Euangelii doctrinam amplectuntur, à Pontifice Romano creata esse scribitur, nota redderetur nostris Ecclesiis non de nomine, nec ex vestitu tantum, sed sicut Christus Iohannis decimo, verum pastorem ab alieno discernendum docet, ex voce doctrinæ, qualis illa sit quam profiteantur & circumferant. Et sine longiori explicatione; nuda tantum capita recitavi, vt præberem occasionem, vt ipsi plenius se explicarent. Sed ex tota illa factione, seu conspiratione, quam societatem ipsi vocant, nullus hæcenus in arenam illam descendere voluit: quibus vero de causis certamen illud tam pertinaciter declinarint, homines non profusus stupidi facile diuinare possunt. Ne tamen quod vitio verti posset, omnino tacerent, conductitium quendam emissarium, misellum sane Ecebolium, Ioannem Alberum ex schola Ingolstadiensis extruserunt, qui personatus, fabulam illam Germanico scripto, tanquam in scena tam ridicule egit, vt vix ingressus protasin, cum à longinquo spectaret fabulæ epitrasin, abiecta persona ex theatro se proriperet, facta prius spectatoribus spe, subscurturum mox alium comedum, qui reliquas fabulæ partes, si non felicius, splendidius saltem pertexeret. Tandem ex Synodo Tridentina orator magniloquus, Iesuitarum fabulam acturus prodiit, Iacobus Payuà Andradius Lusitanus, qui in Epistola nuncupatoria illos, quorum autoritas in Concilio Tridentinò præcipua fuit, sibi hortatores fuisse narrat, vt libellum meum de Iesuitarum Theologia profligandum susciperet, eo quod multorum sermone intellexissent Patres, non sine applausu & gratulatione nostrorum, illas meas chartas exceptas fuisse. Ita ille. Ego vero inde colligo, non tam Iesuitarum rationem habitam fuisse à Patribus Concilij, quam quod per Andradium, tanquam idoneum Concilij interpretem, voluerint explicationes decretorum suorum inter homines spargere, id quod etiam titulus orthodoxarum explicationum de controuersis religionis capitibus non obscure indicare videtur. Nō igitur cum Iesuitis, qui certamen pertinaciter defugiunt, sed cum argumento Andradii mihi iam reserit. Cum enim duo in libello meo proposuissem, de origine & Theologia Iesuitarum, Ingolstadiensis quidam Procurator Ioannes Alberus, multa conabatur mitigare, & aliter interpretari in Iesuitarum Theologia. Sed Andradius illam totam, & totaliter talis qualis est, non tantum sartam tectam conseruare conatur: sed ne inferior ipsis videretur, non contemnendo maioris impudentiæ cumulo, illam amplificat, additis paradoxis multo te-

rioribus, vt sane Iesuitarum causæ, in toto orbe habitabili, patronus magis idoneus exquiri non potuisset quam Andradius. Maneat igitur Iesuitarum Theologia talis qualis est, donec ipsi eam auctam & recognitam, rursus extrudant.

De prima vero origine, institutione & antiquitate sectæ Iesuitarum, siue forsan creationem ipsi vocari malint, quædam quæ ex Andradii narratione didici, hoc loco adiciam, vt Iesuitas, priusquam tractationem alterius argumenti ingrediar, placatos & propitios bona cum gratia à me dimittam, si forsan, quod de ipsorum sanctitate suspicari non decet, antea offensi fuissent. Et vt utile est, veram narrationem de consilio institutionis huius Pontificiæ facturæ extare & notam esse. Ego quidem fateor, me hæcenus nihil certi potuisse ex Scriptoribus nostri temporis cognoscere, & ad cognitionem rei admodum recentis, antiquitatis monumenta nihil conferunt. Illorum igitur quas habere potui annotationes secutus sum, sed audio, iam inter tot & tantum varia examina ordinum & religionum Ecclesiæ Pontificiæ commissam esse confusionem Theatinorum, qui à Paulo III. originem habent, & Iesuitarum, quorum factura alios habet autores. Vt igitur error iste, per satisfactionem fiat venialis, narratione de origine & ratione institutionis Iesuitarum, ex grandiloquis Andradii progymnasmatis, simpliciter & breuiter hoc loco repetam. Miles quidam Ignatius Layola, in obsidione arcis Pompeopolitanae, altero crure bombardæ ictu laeso, in altero gravissimo vulnere accepto, postea domo, patria, & quas habebat facultatibus desertis, nouam inire vitæ austeritatem & humilitatem constituit. Quia vero ad illam vitæ rationem, quam inire cogitabat, literarum cognitionem plurimum conducere intelligebat, Lutetiam Parisiorum se contulit, vbi per decem annos in studiis versatus, decem nouæ suæ religionis socios sibi asciuit. Exacto vero decennio, cum nouis recentis suæ religionis sodalibus rediit in Hispaniam, anno Domini 1536.

Postea anno 1537. venerunt Romam, vt à Pontifice Romano facultatem impetrarent, sacræ Hierosolymæ loca peragradi. Sed cum Turcicum cum Venetis bellum illud institutum intercepisset, mutato consilio constituerunt, ad docendas Ecclesias vitæ suæ institutum conuertere. Venetiis igitur à legato Pontificio, septem ex illis sacris initiati sunt, accepta facultate, vt libere vbiq; plebem docere, secretas peccatorum confessiones audire, & Sacramenta administrare possent.

Anno 1540. intercedente Cardinali Contareno, à Paulo III. petierunt, vt vitæ illud institutum Pontificia autoritate confirmaret. Qui addita hac cautione, illud ratum habuit, ne plures quam 60. viri, ad eam societatem ascriberentur. Sed cum postea animaduertent, illam vitæ rationem, ad restituendam & resarciendam nutantem & labascens Pontificiam Ecclesiam, præ cæteris ordinibus maxime idoneam esse, 1543. anno decreuit, ne vllis vel locorum terminis, vel personarum numero, societas

Iesuitarum origo.

Examen Decretorum Concilij Tridentini,

hæc nomine Iesu insignita, circumscriberetur. Rationem vero institutionis hanc de scripto recitat Andradius: Quicumque in societate nostra vult militare, & soli Domino, atque Romano Pontifici, eius in terris vicario seruire, post solenne perpetuæ castitatis votum, proponat sibi in animo, se partem esse societatis, ad hoc potissimum instituta, ut ad fidei propagationem, per publicas prædicationes, & nominatim per puerorum ac rudium in Christianismo institutionem, ac fidelium in confessionibus audiendis consolationem præcipue intendat. &c.

Sub idem tempus Ignatius ille considerans Germaniam, quæ à Pontificia sede descuerat, non aliter posse sub iugum Pontificium retrahi, quam per cõcionatores ad hoc idoneos, aliquos igitur ex suis sodalibus in Germaniã emisit. Qui cum facto periculo ostendissent, se Ecclesiis Germaniæ sua hypocrisis plus nocere, seu posse, seu velle, quã reliquas omnes factitias Monachorum religiones, Ioannes Moronius Cardinalis, qui in proxima Tridentina Synodo legatus fuit Pontificis, & Concilij præses, cõsiliu communicauit cum Ignatio, quãto vsui esse posset Ecclesiæ pontificiæ, si Romæ amplissimum Collegium construeretur, in quo maxima Germanorum adolescentium multitudo, in bonis literis & religione, sumptibus Pontificis institueretur, ut tandem in patriã redeuntes, collapsam & conculcatam Pontificiam religionem, ibi instaurare aliqua ex parte possent. Et illud opus aggressi sunt Iesuitæ, anno Domini 1553. extructo tali Collegio Romæ, non procul à Iesuitarum Collegio. Illos vero adolescentes, narrat Andradius assumi in illud Collegium, non ut cooptentur tandem in ordinem Iesuitarum, sed aut, Iesuitas tantum alendi illos, moderandi & instituendi curã gerere, & ad hunc laborem suscipiendum, solum salutis Germaniæ desiderio fuisse incitatos, ut scilicet per istos emissarios Germania ad gremium, vel si hoc nimium est, ad oscula pedum Romani Pontificis paulatim reduceretur. De hac Iesuitarum techna, Andradius tam bene sibi suisque ominatur, quod inquit: Nõ dubito, quin horum adolescentium opera & diligentia Germania præcepta sibi fidei (scilicet Pontificiæ) lucem aliquando recuperet, &c.

Et hoc est quod in libello meo antea dixeram, sectam Iesuitarum potissimum in perniciem Ecclesiarum Germaniæ creatam esse. Id vero Ioannes Alberus Ingolstadiensis per inficiationem fortiter conabatur amoliri. Sed gratias agimus Andrudio, qui totam rationem institutionis huius sectæ simpliciter & plane, sine dissimulatione nobis exposuit, ut iam nõ opus sit, vel ex rumoribus, vel ex coniecturis diuinare, quo consilio Romana sedes nouam hanc secturam postremis hæc mundi temporibus, orbi obtulerit. Hanc igitur narrationem, exordio huius scripti inferere volui, ut Iesuitas aliqua cum gratia à me dimitterem. In hac enim responsione non constitui cum ipsis qui in publicum prodire verentur agere, sed cum Andradii argumento mihi res erit. Cum enim hæcenus variis artificijs rem suam tentarint & egerint Pontificii, iam post emissã ex Tridento anathematum fulmina, submiserunt hominem, in quo grande & picturatum genus dicendi cum acerba & superba maledictia, ex æquo certaret, si hoc forsitan ratione, Germanorum simplicitas posset, vel fascinari, vel Panico terrore, ab agnita verbi diuini veritate proturbari. Video enim Andradium, cum in exordiis altissime repetitis, & in argumentationibus cum supercilio propositis, nescio

quid parturire putetur, nihil tamen aliud præstare, quam quod reliquorum, qui hæcenus Pontificiæ turpitudinis patroni fuerunt, sumus iam dudum luce Scripturæ discussos, acerba sua & superciliose arrogantia grandiloquentia, venditare nequicquam fatagit. Inter legendum enim, subinde veniebat in mentem, id quod Irenæus inquit: Inflatum cum supercilio incedit, gallinacei elationem habens. Et quod Poëta canit:

Quid feret his tanto dignum promissor hiatus?

Proicit ampullas & sesquipedalia verba, &c.

Multas autem & graues habui causas, quod volui responsionem aliquam Andrudio opponere, cum ad hoc certamen tam superbe, & quidem satis contumeliose me prouocet. Accedit, quod in decem illis Andradij libris, multa ita posita sunt, quod tractatio illorum non potest non vtiliter multa monere. Ne vero Lectorem odiosa repetitione, & molesta refutatione maledictorum Andradij inutiliter fatigarem, cogitavi responsionem potius de rebus ipsis instituendam esse, ut ita aliquid utilitatis ex illa cõcertatione ad Ecclesiam, Deo bene iuuante, redire posset. Et existimo, materiam responsionis diuinitus mihi oblatam & monstratam esse. Andradius enim præcipuam personam in deliberationibus Synodi Tridentinæ sustinuit, & in ipso Concilio libros suos aduersus me conscripsit, idque hortatu & impulsu illorum, quorum consilia, Patres Concilij, velut ex Apollinis Pythii, quod in fabulis est, oraculo edita complexi sunt, hæc enim sunt ipsius verba. Multa etiam in Decretis Concilii inuoluta, quæ inter legendum vix aliquis suspicari posset, satis crasse explicat, sicut suis locis monstrabitur. Cum igitur eodem ferme tempore, maledicta Andradii, & decreta Concilij Tridentini accepissem: non dubitavi monstratam mihi esse viam, quomodo instituenda esset responsio. Decreta enim Synodi, breuiter & nude proposita sunt, quæ vero fuerint deliberationes, ex quibus fundamentis & fontibus factæ decisionis, quo artificio fabricata decreta, quem habent sententiam & finem, Andradij explicationes aliquo modo ostendent. Is enim Tridenti perstitit, quousque tandem Concilium perfectum & absolutum fuit: & ibi in medijs Concilii actionibus, explicationes suas cõfecit. Et sicut in sessionibus sub Pio III. omnibus deliberationibus, si non præfuit, at certe interfuit: ita sine dubio, illa etiam, quæ in præcedentibus sessionibus agitata fuerunt, explorata habuit. Si igitur Andradii explicationes ad decreta Concilij, & utrumque ad regulam Scripturæ contulerõ & examinauero: ex illa tractatione constituetur & prodibit Examen Decretorum Concilij Tridentini, quod aliquo cum fructu Lectoris fieri posse arbitror. Atque hac ratione iudico, me commodissime simul aduersario meo Andrudio posse respondere, & maculas illas, quas maledictis suis, non tam meæ, quã Ecclesiarum nostrarum vesti aspersit, abstergere & eluere. Quod si Lector viderit, me singula non esse persecutum iusta explicatione, meminerit, me examen tantum, ea occasione, quam ab Andrudio mihi datam esse dixi, instituisse. Nec indignetur Andradius, quod pleraque eius maledicta non iudicari, digna esse responsione, cum de rebus ipsis potissimum instituta sit hæc nostra *critica*.

quid parturire putetur, nihil tamen aliud præstare, quam quod reliquorum, qui hæcenus Pontificiæ turpitudinis patroni fuerunt, sumus iam dudum luce Scripturæ discussos, acerba sua & superciliose arrogantia grandiloquentia, venditare nequicquam fatagit. Inter legendum enim, subinde veniebat in mentem, id quod Irenæus inquit: Inflatum cum supercilio incedit, gallinacei elationem habens. Et quod Poëta canit:

Nolo autem hoc loco illa repetere, quæ hoc anno à nostris editis publicis scriptis, toti orbi demonstrata sunt, propter quas causas Tridentinum Concilium

*Andradii scribit
piso qualis.*

*Causa opposita
responsionis
Andradii.*

Andradii.

*Ratio huius
scripti.*

Ioannes Moronius.

*Collegium à
Iesuitis Romæ
institutum,
anno 1553.*

cilium non agnoscant pro vero, legitimo, libero & Christiano, sed intra metas examinis orationem continebo. Et illa potissimum decreta examinanda proponam, quæ dogmata, de quibus hoc tempore controuertitur, complectuntur. Quæ enim de reformatione fabulantur, in fine ita subiiciunt Pontificis arbitrio, vt illa non serio: sed, quod dicitur, pro forma tractata fuisse significant.

Conciliorum
autoritas.

Est quidem Conciliorum saluberrima autoritas in Ecclesia, sicut Augustinus recte inquit, si scilicet secundum regulam & normam sacræ Scripturæ iudicent, & quando sententiam suam ex certis & perspicuis Scripturæ testimoniis probant, debet illis Ecclesia, tanquam voci cœlesti, summa cum reuerentia obedientiam. Tunc enim locum habet id, quod Christus dicit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Sed nudus Concilii titulus exauditus, non debet nos statim tanquam caput Gorgonis in saxa, truncos & stipites conuerrere, vt quæuis decreta sine examine, sine inquisitione & diiudicatione, temere amplectamur. Scriptura enim affirmat, esse quædam Concilia malignantium, Psalm. 22. quædam vanitatis, Psalm. 26. quædam impiorum, Psalm. 1. quorum cathedram Ierem. cap. 15. ex Psalm. vocat confessum דרר qui à iudicatoria interpretatione nomen habent, qualia fuerunt impiorum Pontificum & Sacerdotum Concilia, cōtra Michæam, Ieremiam, contra Christum & Apostolos. Habemus autem seuerissima mandata Dei, 1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, num ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.

1. Thessal. 5. Omnia probate, & eius quod bonū fuerit, tenaces estote.

Matth. 7. Attendite à Pseudoprophetis, &c.

Recte igitur fit, & ex mandato Dei necessario hoc faciendum est, vt decreta Conciliorum exigantur ad normam sacræ Scripturæ, sicut Hieronymi sententia habet: Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuunt Concilia, nehas duco. Dere enim magna, & complectente salutem animarum agitur. Et tyrannis est vere Pontificia, postulare, vt sine examine, sine inquisitione & diiudicatione, simpliciter assentiamur nudis decretis Concilii Tridentini, in quo idem fuit actor reus & iudex, in cuius exordio, Scriptura Canonica ex gradu suo proturbatur, ne sola sit regula & norma iudicii. Iactant quidem Pontificii, legem Martiani Imperatoris C. de summa Trinitate & fide Catholica: Ne quis in Synodo semel iudicata & recte disposita, disputando reuoluat, tumultus aut perfidiæ occasionem inde quærens: sed religiosissimus Imperator nullo modo voluit infinitam licentiam quiduis, extra, præter & contra verbum Dei fingendi & statuendi, Conciliis concedere. Nec libertatem iudicandi, & diligentiam omnia probandi, à Deo Ecclesiæ concessam & mandatam, suo decreto voluisse abrogare & tollere, putandus est. Dicit enim, quæ recte disposita sunt, non esse disputationibus reuoluenda. Et in Actis Concilii Chalcedonensis, vbi integrum Martiani decretum ponitur, hæc extant eius verba: Cesset iam prophana contentio, quisquis enim post veritatem repertam aliquid vterius discutit, mendacium quærit. Inter nos vero ardua illa quæstio controuertitur: An ea quæ in Synodo Tridentina iudicata sunt, recte sint disposita? An de controuersis horum temporum veritas ibi sit reperta? Et his

Lex Martia-
ni.

disputationibus non quærimus tumultus, aut perfidiæ occasionem, quod Imperator Martianus recte prohibuit, sed sine seditione, sine armis, sola voce doctrinæ, iuxta normam Scripturæ diuinitus patefactæ inquirimus, ne à vera viuifica fide, quam Augustinus ex Scripturis Canonicis conceptam esse dicit, prætextu Synodi ad perfidiam traditionum humanarum abducamur. Hanc inquisitionem voce diuina Ecclesiæ concessam & mandatam, nulla creatura, vel debet vel potest inhibere, aut damnare. Et si aduersarius meus Andradius, quæ est superbia & acerbitate, hoc ipsum institutū examinandi decreta Synodi Tridentinæ damnauerit: ipso facto ostendet, quam intolerabili tyrannide Ecclesiam premere, & fidei dominari conentur Pontificii. Si concilium Tridentinum decreta sua recte disposuit, si veritas ibi reperta est, non timebit sibi ab inquisitione, quæ ex Scriptura instituitur, nec ægre illam feret. Veritas enim non fugit lucem, & eloquia Domini munda sunt, quæ non verentur igne examinari, & vel septuplum probari, Psal. 12. Tertullianus in Apologetico eleganter dicit: Lex quæ probari se non vult, merito suspecta est, & si non discussa & probata dominetur, improba est, cum nulla lex sibi soli conscientiam suæ iustitiæ debeat, sed eis à quibus obsequium expectat. Quanto vero magis de Conciliorum decretis, in causis fidei hoc verum est? Vetera Concilia non nuda tantum decreta, tanquam dictatoria & ἀνωθένθωα Ecclesiis obtruserunt, sed editis integris actionibus & iustis disputationibus, simul ostenderunt, ex quibus fontibus & fundamentis falsa damnassent, & vera confirmassent: vt diiudicatio Ecclesiæ esset faciliior & manifestior, sed Tridentini Arcopagitæ nuda tantum decreta, sine rationibus, prætorica autoritate orbi Christiano promulgant, & mox contradicentibus, imo saltem inquiringibus, ferrum & flammam proposituri videntur. Hæc scilicet est compendiariorum illa ratio, quam Canonistæ sequuntur, vt Pontifex Romanus habeat voluntatem pro ratione in his quæ vult.

Fides ex Scri-
ptura conce-
pitur.

Concilia.

Sed petimus dari nobis, vel ab inuitis, veniam, vt libertate voce diuina nobis concessa vtamur, ne cuius spiritui credamus, sed omnia probemus, ipsis vicissim liberum est, vt in nostra, non sicut confueuerunt, epicherematis ex carnificum officinis, iuxta Hieronymi dictum petitis, sed argumentis & testimoniis Scripturæ inquirant. Quod si factum fuerit, spero fore, vt hac ratione multa mysteria ex delibationibus Synodi Tridentinæ in lucem ab aduersariis educantur, nisi forsitan pro ratione mysteriorum occultanda, & silentio tegenda iudicabuntur, iuxta dictum: Qui male agit, odit lucem. Sed ad rem ipsam accedemus. Supra autē, quæ sit instituti nostri ratio significatum est. Ad dogmatica igitur properantes, reliqua præambula præteribimus: nisi quod velim Lectorem obiter huius admonitum, vt consideret, qualia fuerint principia Tridentinæ Synodi.

Hieronymus.

Pontifex Paulus III. in bulla indictionis, nundinationem indulgentiarum, titulo plenariæ remissionis peccatorum, gratis pro sua liberalitate proposuit illis qui processionebus interfuerint, qui eleemosynam alicui pauperi eiargiti fuerint, vel qui Dominicam orationem, cum salutatione Angelica quinquies recitauerint. Mox in ipso ingressu Concilii in Litania, vbi ne vno quidem verbulo mentio fit intercessionis Christi, pro vnico media-

torē Christo, omnes Angelos & Sanctos mediatores, patronos & intercessores substituerunt. Subsecutus est Ambrosius Catharinus, qui in oratione in exordio Concilij habita, Christi matrem, sociam eius appellat, quæ scilicet throno eius affideat, ut gratiam nobis impetret. Alius quidam in oratione sua, voces Euangelicas, quæ soli filio Dei cōpetunt, ad Romanum Pontificem scelerate detorquens exclamavit, Papa lux venit in mundum: ut scilicet nullum esset dubium, inter ipsa principia Synodi Tridentinæ, impleri id, quod Paulus vaticinatus est, 2. Thessal. 2. hominem peccati, & filium perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, sedere in templo Dei, ostendentem se, tanquam sit Deus. Ex his principiis iudicari potest, qualis expectandus sit progressus & exitus. Impossibile enim est iuxta visitatum dictum: Quæ malo inchoata sunt principio, bono finiri exitu.

Recitentur igitur decreta quartæ Sessionis Concilij Tridentini.

PRIMUM DECRETUM QUARTÆ Sessionis, Quinto Aprilis celebratæ, Concilij Tridentini, M. D. XLVI.

RECEPTIO ET NUMERATIO Librorum sacrorum, veteris & noui Testamenti.



Sacrosancta & ecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, presidentibus in ea tribus apostolica sedis legatis, hoc sibi ante omnia perpetuo proponens, ut sublatis omnibus erroribus, puritas ipsa Euangelij in Ecclesia conseruetur, quod promissum antè per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus Dei filius, proprio ore primum promulgauit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis salutaris veritatis & morum disciplina omni creatura predicari iussit, perspicensque hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus tradita ad nos & que per uenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros, tam veteris, quam noui Testamenti (cum vtriusque vnus Deus sit autor) necnon traditiones illas, cum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia catholica conseruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit ac veneratur. Sacrorum vero librorum indicem, huic decreto ascribendum censuit: ne cui dubitatio suboriri possit, qui nam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur. Sunt vero infra scriptis Testamenti veteris. Quinq; libri Moysi, scilicet Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Deinde Iosue, Iudicum, Ruth. Quatuor Regum, Paralipomenon duo, Esdra duo, primus scilicet & secundus, qui dicitur Nehemias, Thobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidicum, centum quinquaginta Psalmorum, Parabola Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, scilicet Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, Duo Machabæorum, primus scilicet & secundus. Testamenti noui, Quatuor Euangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem. Acta Apostolorum à Luca Euangelista conscripta, quatuordecim Epistola beati Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, ad Corinthios duæ, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, vna Iuda Apostoli, Apocalypsis Ioannis Apostoli.

Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editio habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas scirens & prudens contempserit, anathema sit.

Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipsa Synodus post saluum fides confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimum testimoniis ac præsidis, in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus sit & sura.

SECUNDUM DECRETUM QUARTÆ Sessionis.

RECEPTIO VULGATÆ Editionis, & modus interpretandi & imprimendi sacram Scripturam.

Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum vtilitatis accedere posse Ecclesia Dei, si ex multis Latinis editionibus quæ circumferuntur sacrorum librorum, quæ nam authentica habenda sit, innotescat: statuit & declarat, ut hæc ipsa & vetus & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usui in Ecclesia ipsa probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, aut expositionibus, pro authentica habeatur, & quod eam nemo reuicere quouis prætextu audeat vel presumat.

CANON ALIUS.

Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decreuit, ut nemo sua prudentia innoxius, in rebus fides & marum, ad edificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenet & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sanctarum Scripturarum, aut etiam contra vniuersum consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes, nullo inquam tempore in lucem edenda forent. Qui contra venerint, per ordinarios declarentur, & penis à iure statutis puniantur.

EXAMEN.

Et res ipsa, & totius orbis Christiani iustissimæ querelæ à multis annis clamitant, in Ecclesia Pontificia multum errorum in doctrinam, & varios abusus in ritus Ecclesiasticos irrepsisse. Multorum igitur votis sæpe expetitum, & diu expectatum fuit verum, legitimum, liberum & Christianum Concilium, in quo vera medicina his tantis malis adferretur, idque ex Scriptura, quam Basilius, in principium primi Psalmi, à Spiritu sancto conscriptam esse ait, ut sit communis medica animarum officina.

Scriptura.
Basilius.

Et in prima Sessione Pontifex per suos legatos significauit, Tridenti apertam esse Synodum (sicut ipsi loquuntur) (quam sibi hoc propositum habere fingunt, ut sublatis omnibus erroribus, puritas ipsa Euangelij, in Ecclesia conseruetur. Bona sane sunt verba.

Constituit autem Synodus in principio, quibus potissimum testimoniis & præsidis, in extirpandis hæresibus, & confirmandis dogmatibus uti velit, sit & hoc recte exemplo, & more purioris antiquitatis. Cusanus enim de forma veterum vniuersalium Synodorum, dicit morem fuisse, ut sacra Euangelia ponerentur in medio Synodi, ut admonerentur, quibus præsidis & armis contra errores, pro veritate dogmatum in conciliis pugnandum esset. Quod in aliis etiã de religione disputationibus solitum fieri, August. scribit Epist. 163.

Augustinus.

Et nota est Constantini Magni memorabilis sententia, qua ipse Nicenam Synodum aperuit (sicut nunc loquuntur Pontifici) Euangelici (inquit) libri sunt, & Apostolici, antiquorumq; Prophetarum oracula: quæ nos manifeste instruunt, quid

Constantinus Magnus.

De sacra Scriptura.

quid sentiendum sit de rebus diuinis. Suscipiamus igitur ex sermonibus diuinitus inspiratis, quæstionum solutionem.

Tridentina igitur Synodus, quibusnam præsidiiis in confirmandis dogmatibus constituit se vsuram? Num Spiritus sancti doctrina, quæ literis Canonicis, sicut Hieronymus inquit, prodita est?

Hieronymus.

Nequaquam, inquit, Scriptura sola regula & norma erit nostri iudicii, sed primo Traditiones, quæ sine scripto, tantum ex consuetudine longi temporis probationem habent, pari pietatis affectu ac reuerentia, sicut ipsam Scripturam, suscipiendas & venerandas constituunt. Secundo, discrimen inter libros Scripturæ Canonicos & apocryphos, quod totius veræ & purioris antiquitatis testimonia habet, conuellunt, abrogant & tollunt, vt ad confirmationem Ecclesiasticorum dogmatum, par & eadem sit autoritas librorum Canonicorum & apocryphorum. Tertio, Quia in veteri versione, ipse sensus Scripturæ sæpe non satis expressus, sæpe etiam vitio descriptum deprauatus est, constituunt vulgatam illam editionem habendam pro authentica, ita vt nemo eam in disputationibus & expositionibus, quouis prætextu, etiam si scilicet ostendatur manifeste discedere ab ipsis fontibus, audeat vel præsumat reicere.

Traditiones.

Scriptura libri quidam canonici, quidam apocryphi.

Bibliorū veteris Versio.

Quia vero hisce etiam præsidiiis non satis fidunt Tridentini Patres, adiungunt Quartum, quod est fortissimum *ἀριμα*, penes se scilicet esse eius & auctoritatem authenticæ interpretationis Scripturarum: hoc est, sicut Hosius de expresso verbo Dei inquit: Si quis habeat interpretationem Romanæ Ecclesiæ, etiam si non videat, quomodo cum textu vel conueniat, vel pugnet, habere tamen ipsissimum verbum Dei.

Existimas igitur ne, optime Lector, Tridentinos Patres ex indictione terreni sui Dei, Pontificis Romani, hoc proposito conuenisse, vt si errores aliquos in ipsorum doctrina, in ritibus abusus aliquos habere ex verbo Dei ostensum fuerit, parati sint hæc ad normam Scripturæ Canonicæ corrigere & emendare. Nihil minus. Hæc ipsa enim quartæ Sessionis decreta sonorâ coram toto mûdo edunt confessionem, Pontificios in sua Ecclesia, multa imo pluraque talia habere, quæ Scripturæ Canonicæ testimoniis & præsidiiis probare, confirmare & defendere nullo modo possunt. Ideo enim alia præsidia extra & præter Scripturam conquirunt, vt si testimoniis Scripturæ vrgeantur & oppugnentur, ne veritati cedere cogantur, sed ad alia in hunc vsum disposita præsidia, receptum & *κρησφιζετα* qualiacumque habere possint.

Finis institutionis Synodi Tridentine.

Illam vero præsidia extra, præter, imo contra Scripturam, tot & tam varia oportunis locis ita collocarunt & disposuerunt, vt manifeste significent, se hoc animo conuenisse, non vt ad normam Scripturæ aliquid corrigant, sed vt qualescumque errores & abusus, qui hæcenus ex verbo Dei notati, reprehensi & refutati sunt, per alia præsidia, contra Scripturæ testimonia prætextu aliquo retinere, defendere, & Ecclesiæ ceruicibus imponere possint. Huc enim redeunt omnia illa quæ de variis suis præsidiiis, inter initia Synodi constituerunt. Et potuissent paucis verbis totam rem absoluere, si tantum in ipso Synodi ingressu professi essent, se simpliciter præsentem Ecclesiæ suæ statum, qualis ille cumque est, velle retinere, & pertinaciter defendere, nec admissuros se, vt ex norma Scripturæ Canonicæ aliquid, quicquid illud sit, corrigatur vel emendetur.

Non igitur opus fuisset tot annorum sumptibus, nisi iudicassent, prætextu & titulo Synodi, hominibus fucum esse faciendum.

Tertullianus de Resurrectione carnis, quosdam vocat Lucifugas scripturarum. Iste titulus nulli hominum generi melius conuenit, quam congregationi Tridentinæ. Vique adeo enim reformidant & fugiunt lucem Scripturæ, vt vix obiter credo pallido ore, & tremulis labris mentione facta Scripturæ Canonicæ, mox alia, & quidem varia præsidia circumspectant, quorum tenebris se inuoluere possint, si ad lucem Scripturæ protrahantur.

Tertullia. Scripturarum Lucifuga.

Sed singula hæc diligentius examinanda sunt. Hoc enim tempore præcipui loci communes Pontificiorum sunt: De insufficietia, obscuritate, & incertitudine Scripturæ. De traditionibus, & de prætoriam auctoritate interpretationis. Animaduertunt enim, se ante congressum deuictos esse, si in has angustias copiarum ipsorum redigantur, vt nihil sit recipiendum vel credendum, quod testimoniis Scripturæ non potest ostendi & probari, vtque in illis, quæ titulo vel Traditionum, vel Patrum, vel Conciliorum, prætenduntur, illud tantum, quod auctoritati diuinarum Scripturarum congruit, accipiatur: quod vero non congruit eadē facilitate cõtemnatur qua probatur, iuxta Hieronymi dictum: vel vt (iuxta Augustini regulam) libere cum pace illorum, quorum nomina prætextuntur, respuatur.

DE SCRIPTURA SACRA.

Tridentini Patres decreta sua, sine rationibus nude tantum, variis sæpe generalitatibus inuoluta, proponunt. Quod si dignati fuissent etiam hoc publicare, ex quibus rationibus, fontibus & fundamentis decreta illa constituisent, facilius esset ratio inquisitionis & diudicationis. Sed bene res habet. Aduersarius enim meus Andradius, vna cum aliis Pontificiis scriptoribus, multa talia mysteria, siue prudentes, siue imprudentes in vulgus efferunt. Et adhibitis illorum declarationibus, ratio examinis plana erit, sicut hic locus de Scriptura, & sequens de traditionibus manifeste ostendet. Mentionem facit 4. hæc Sessio sacrorum librorum, satis honorificam, & videri posset, hoc tantum velle, vnam & eadem esse doctrinam Euangelii, quam Apostoli primum voce tradiderunt, & postea libris scriptis complexi sunt. Sed audiamus Andradium, qui secretorum Concilii gnarus est, ex quibus fundamentis & quo artificio compositum sit hoc decretum.

Decretorum Tridentinorum obscuritas.

Scripteram, Iesuitis cum aliis Pontificiis hoc axioma cõmune esse, quod sacra Scriptura sit doctrina mutila, manca & imperfecta, eo quod non continet omnia, quæ ad fidem, moresque pie viuendi pertinent. Hic vero Andradius, Lusitanico cothurno aduersus me insurgit, vociferans qua potest acerbitate, de mendaciis & iniuriis. Et ego cum hæc legerem, mirabar, quæ esset causa, quod Andradius à contumeliosis illis vocibus, quas non ignorat à multis Pontificiis scriptoribus, multo durius in sacram Scripturam coniectas esse, tantopere abhorreret. Cogitabam autem, forsitan in Synodo Tridentina cœpit iam rectius & honorificentius de auctoritate Scripturæ sentire: quod si fieret, non ægre sane ferrem, me hoc modo mendacii argui. Attente igitur cœpi sequentia perlegere, nunquid Andradius, qui Synodi pars magna fuit, sentiret & profiteretur, Doctrinam cœlestem, quæ ad fidem & pietatem vitæ necessaria est, contineri in sacra Scriptura omnem,

totam, integrā & perfectam. Sed inquit: nullo modo in Scriptura est tota comprehēsa. Et fatetur, me, licet mutatis verbis sententiam tamen eandem quę Iesuitarum & omniū Pontificiorum est, expressisse. Quid igitur tumultuatur? Quia, inquit, plebs concitari posset, si sacra Scriptura tam atrocibus & inuidiosis verbis incessatur. Magnas igitur gratias habemus Andrado, quod iam intelligere possumus, quare decretum Synodi Tridentinę, contumeliosas illas voces, quas multi Scriptores Pontificij in sacram Scripturam solent euomere, noluerit usurpare, cum tamen in effectu sententiam eandem confirmare & sancire velit, ne scilicet plebs concitetur, si Scriptura tam atrocibus & inuidiosis vocibus incessatur, & hęc de artificio compositionis decreti diligenter obseruentur.

Audiamus porro, quis sit sensus huius decreti de Scriptura, quę rationes agitarę fuerint in deliberationibus, cum decretū illud fabricandū esset. Andradius inquit, cum Christus fragilitati memorię, Euangelio scripto succurrendū putauit, ita breue compendiū literis tradi voluit, vt pars maxima, tāquam magni pretij thesaurus traditionibus, intimis Ecclesię visceribus infixis, relicta fuerit. Et ex 31. ca. Ierem. (quod ipsi cū aliis Pontificiis scriptoribus cōmune est) probare contendit, doctrinę noui Testamenti, quę a Christo proprio ore primū promulgata, & postea Spiritu sancto dictante, ab Apostolis prædicata, & per totum orbem propagata est, hanc esse proprietatē, quā a doctrina veteris Instrumenti eam discerni Deus voluerit, ne vel tabulis lapideis comprehendatur, vel calamo & atramento literis consignetur. Addit igitur non factum esse ex mandato Christi, quod Euangelistę & Apostoli literis quędā commendarint, prædicare enim iussit, non scribere. Ego vero hoc addo, quod ex loco Ieremię, sicut a Pontificiis ille tractatur, sine contradictione manifestissime sequitur, contra verbū & voluntatem Dei factū esse, quod vel pauca quędam de doctrina noui Testamenti, calamo & atramento in literas ab Apostolis relata sunt. Si enim vera sunt quę Pontifici de loco Ieremię dicunt, voluntas & mandatū Dei erit, vt simpliciter nihil de doctrina noui Testamēti literis consignetur: nō enim dicit, partim chartis, partim mentibus inscribendam esse nouā legē: sed iuxta ipsorum sententiā, Paulus simpliciter affirmabit, non esse atramento scribendā.

Habebimus ergo sacros libros noui Testamenti, sine voluntate & mandato Christi: imo contra verbum, voluntatē & mandatū Dei conscriptos. Conflagret licet Andradius sua acerbitate, certū tamē est, hęc ex ipsorū fundamentis manifestissime consequi, licet aliis verbis se inuoluat: ne scilicet plebs, sicut Andradius inquit, cōcitetur, si tam inuidiosis verbis Scriptura incessatur. Et vt in pauca quę prolixè ab ipsis disputantur, contraham: hoc est, quod non ambabus tantum manibus, sed toto corpore, & omnibus neruis contendunt, Euangelistas & Apostolos nullo modo hoc cōsilio scripsisse, vt propter posteritatē, ea quę ad fidem & mores pie viuendi necessaria sunt, literis consignarent, vt Scriptura illa esset canon, norma & regula fidei in Ecclesia: sed singūt longe alias causas. Andradius cum prolixè disputasset, Christum & Apostolos, per tot annos multo plura prædicasse, quam quę angustiis librorū noui Testamenti comprehendere potuerint: tandem cōcludit, multa esse credenda, quę scripta non sunt: & propterea constantem Ecclesię sentē-

tiam, Euangelij instar accipiendam & amplectendam esse. Pronunciat igitur normā, canonem seu regulam fidei exactissimā, non esse Scripturam, seu Ecclesię iudiciū. Addidit etiam, in piorum moribus. Euangelium multo clarius esse expressum, quā literarum monumentis sit comprehensum, Pighius de Ecclesię, Hier. li. 1. ca. 2. dicit, Apostolos quędā conscripsisse, nō vt scripta illa præessent fidei & religioni nostrę, sed vt subessent potius. Et tandem concludit Ecclesię autoritatem, non solum non inferiorē, non solum parem, imo quodammodo & superiorē & notiorē esse autoritate Scripturę. Siquidem Ecclesia præcipuis scripturis canonicam impartita est autoritatem, quam nec ex se, nec ex autoribus suis habebant. Cap. 3. dicit Apostolicas epistolā non Ecclesię catholicę, sed pro nata occasione necessitatis vnus aut alterius Ecclesiarum particulariū scriptas esse: ideo non esse opinandū, Apostolum vniuersis suis Epistolis voluisse comprehendere vniuersa nostrę fidei, Christianęq; doctrinę præcepta & mysteria. Et addit Epistolā ad Philemonem, quia præter deprecationem pro seruo fugituo nihil profus cōtinet, non esse in hoc scriptā a Paulo, vt publice legeretur in catholica Christi Ecclesia. In fine inquit: Anathema sunt, quicunq; cōmuni receptęq; ab antiquo obseruationi & traditioni Ecclesiasticę contradicunt, tametsi nulli Scripturę vel contradicant vel aduersentur. Cap. 4. hoc agit in re dubia, aut quacunq; excitata controuerſia, ad fidē certitudinemq; faciendā, magis idoneam & efficaciorē esse Ecclesiasticę traditionis autoritatē, quam ipsas Scripturas. Rationem hanc assignat: quia clarior, magis aperta, & plane inflexibilis sit traditio: cum contra Scripturę plurimū frequenter obscuritatis habeant, & se trahi accōmodariq; in diuersam, eamq; quā quis secum ante presumpsit, sententiā, & eludi cauta expositione facile permittant. Proinde & Scripturarū certā inflexibilemque amissim esse Ecclesiasticę traditionis cōmunem sententiā. Et in fine ita cōcludit: Si huius doctrinę memores fuiffem, hæreticos scilicet nō esse informādos vel cōuincendos ex Scripturis (hęc enim sunt eius verba) meliore sane loco essent res nostrę. Sed dū ostendā ingenij & eruditionis gratia cū Luthero in certamē descenditur scripturarū, excitatū est hoc, quod pro dolor nūc videmus incendiū, &c. Et ne recitādis singulorū Pontificiorum in factā Scripturam contumeliis longior sim, summa hucredit, sacrā Scripturā non esse canonem, normā amissim seu regulā, ad quam omnia quę de rebus fidei disputātur, sint exigēda: idq; propter duas potissimū causas. I. Quia sit insufficiens, non completēs omnia, quę ad fidem & vitę pietatem necessaria sunt & sufficiūt. II. Quia etiam in illis quę cōpletitur, sit obscura & ambigua tanquā nasus cereus, aut quasi plumbea Lesbię ædificationis regula. Et propterea dicunt, illam esse materiā litis, non vocem iudicis: præceptorem mutum, literā mortuā, imo occidentem, &c. Eccius iuxta morem suū, vocat Euangelium nigrum, & Theologiam atramentariam. In hanc ergo sententiam intelligendum est decretum quatuor Sessionis Tridentinę Synodi de Scriptura. Ex Andrado enim iam didicimus, ex quibus rationibus & fundamentis, decretum illud hoc modo constitutum sit. Superest iam, vt illud examinemus. Afferamus autem ad examen illud (iuxta Augustinum) non stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, &

Pighius.

Epistola Apostolorum.

Scripturarū obscuritatis flexibilitas.

Fidei regulę quare nolunt esse scripturam.

Scripturam quo consilio voluerint appellare manentem.

Scripturam nolunt esse regulā fidei.

quo-

quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes: Hoc graue, hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis: & in illa quid sit grauius, appendamus: imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Hæc sunt Augustini verba contra Donatist. lib. 2. c. 6.

Res autem seria & magna agitur. Pontificij quidem petulantiam, dissentendi libidinem, & nescio quæ alia odiosa nomina propterea nobis tribuunt: sed Deus, qui inspector est cordium, videt & nouit, nos diligentiam illam omnia probâdi, ab ipso nobis serio mandatam, ideo adhibere, ne quouis vëto doctrinæ circumferamur: sed vt fides nostra certum habeat fundamentum & firmamentum. Certum enim est, mundum in sua sapientia Deum non nouisse, I. Cor. 1. sed Deum ipsum se & voluntatem suam, dato certo verbo, quod ingentibus miraculis confirmauit, generi humano patefecisse. Et quidem, si vel Angeli essemus, vel inter Angelos verfaremur, nulla admodum opus esset, vel sollicitudine, vel circumspectione, ne puritas patefactæ doctrinæ cœlestis, vel adulteraretur, vel amitteretur. Sed tria valde magna obstacula nobis obiiciuntur. I. Versamur in hoc mundo, cuius iudicium è diametro pugnat cum iudicio Spiritus S. in rebus fidei. II. Ratio nostra extollit se cõtra agnitionem Dei: animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus, sed stultitia sunt ei. III. Diabolus est mēdax, pater mendacij, & spiritus erroris. Et hinc fit, quod doctrina diuinitus patefacta, non semper & vbiq; in hoc mundo manet pura & sincera: sed sæpe deprauatur & corrumpitur, vel substitutis, quæ omnino falsa sunt, vel admixto fermento, quod Paul. vocat *κακηληθειν*, sicut caupones vinum in fusa aqua adulterant: ita enim Græci interpretes, Esai. 1. verbū illud vsurpant. Nec satis certum *κρημινον* est, si prætēdatur titulus ordinarij ministerij: scriptum est enim Ierem. 14. Mendacia Prophetæ vaticinantur nomine meo: non misi eos, non præcepi eis, neq; locutus sum ad eos, dolum cordis sui vaticinātur. 3. Reg. 12. Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum Regis, &c. Considerandum ergo est, qua ratione in tam ancipite discrimine, Deus omnibus temporibus Ecclesiæ suæ clemēter prospexerit: vt certum esset, quæ doctrina vt indubitata, cœlestis & diuina amplectenda esset, & qua norma quæuis corruptelæ, quæ fugiendæ essent, agnosci & diiudicari possent. Hæc autem consideratio paulo altius repetenda est: vt in historia sacra ab initio mundi obseruare possimus, quam sæpe & varie insidiis Diaboli, mundi scandalis, & rationis petulantia, adulterata, & deprauata fuerit puritas verbi Dei, & e contra, quam paterna sollicitudine Deus Ecclesiæ suæ de restitutione & conseruatione puritatis verbi sui contra mundi, carnis & Diaboli corruptelas prospexerit. Et illas obseruationes, ad hæc nostras disputationes accommodabimus. Quod enim Pontificij fabulantur, aliam, & plane diuersam rationem conseruandæ puritatis doctrinæ cœlestis esse in nouo Testamento, ab ea, qua Deus vsus fuit in veteri, postea diluemus.

DE ORIGINE, CAUSA ET VSV
Scripturæ noui Testamenti.

Tota hæc disputatio de sacra Scriptura, videtur mihi nō posse simplicius & rectius explicari, quam si constituatur de prima sacra Scripturæ origine,

qua occasione, propter quam causam, & in quem vsus, primum instituta & tradita sit à Deo, neque enim tempore noui Testamenti primum cœpit: Ex prima igitur origine iudicanda est: & ita pleræque Pontificiorum obiectiones solide refutabuntur. Deus igitur ab initio mundi, & ante & post lapsum, ex arcana sua sede, q̄ est lux inaccessibilis, prodie se & voluntatem suam generi humano, dato certo verbo, & additis manifestis miraculis patefecit: vtq; doctrina illa diuinitus patefacta, viua voce ppagari, & posteritati quasi per manus tradi posset, Deus Adamum constituit, ætatis illius quasi Episcopum: quem diuino testimonio, & autoritate ornatum fuisse, nō est dubium, cui etiam tam longæuam vitam Deus concessit, vt is suo testimonio, puritatem doctrinæ cœlestis à corruptelis vindicaret, & suos ab assuēdis peregrinis opinionibus retraheret. Sed non diu post patefactionem illam, Cain cum suo cœtu discessit à puritate verbi Dei. Post mortē verò Adami, non tantum posteritas Caini, verum etiam filij Elohim, qui traditiones doctrinæ cœlestis acceperant, corruerunt vias suas: in qua corruptione, absque dubio præcipua fuit adulteratio verbi Dei. Ita enim Deus inquit: Non disceptabit Spiritus meus in homine in perpetuū. Et causam addit: Quia caro sunt, & figmentum cordis humani malum est. Fuit igitur doctrina cœlestis in originali mūdo, viua voce, sine scripto, quasi per manus tradita: sed quia cordis humani figmentum malū est, puritas verbi per traditiones viuæ vocis tandē, non fideliter fuit conseruata, sed corrupta & adulterata, imò tandē plane amissa. Dicit enim Deus: Non disceptabit Spiritus meus in homine in perpetuū, &c. Ibi verò Deus peculiaribus reuelationibus ad Noe, additis stupendis in diluuiō miraculis, puritatem doctrinæ collapsam restituit, conseruauit, & pleniorē eius declarationem addidit, & ante, & post diluuium. Et Noe illis miraculis confirmauit in præconem iustitiæ, 2. Petr. 2. vt cultus esset puritatis doctrinæ, & illam viua voce per manus traderet posteris. Et quidem cum Noe posteritas in vniuersas terras dispergeretur, electa fuit posteritas Sem, cuius custodiæ traditio doctrinæ cœlestis cõmendaretur. Considera autem, quam bene & fideliter traditio doctrinæ cœlestis in illa familia, quæ tunc titulum veræ Ecclesiæ gerebat, viua voce cõseruata fuerit. A confusione enim linguarum vsq; ad Thare, cum gigneret Abraham, nondum ducēti anni transierant: & serui erunt Dijs alienis, Thare pater Abraham, & Nahor, Iosue 24. Non autem in vniuersum abiecerunt & proculcarūt traditionem veræ doctrinæ, sed admixto fermento eam corruerunt & adulterarunt, sicut historia Laban postea ostendit. Modicum autem fermenti, iuxta Paulum, totam massam corrumpit. Hęc obseruanda sunt, vt consideretur, quam lubricam & incertam custodiam & conseruationem doctrinæ N. Testamenti, Pontificij constituunt in traditionibus sine scripto: cum quidem non habeamus nunc promissiones de nouis & peculiaribus reuelationibus, quales tunc fuerunt. Nunc sunt postrema & delira tempora senectutis mundi: & postulatur, vt fundamētum doctrinæ cœlestis in traditionibus, quales illæ in hominum animis sine scripto conseruantur, constituamus: cum Scriptura nobis ostendat, quam incerta fuerit custodia verbi Dei, per traditiones in animis hominum seruatas, primis illis viuidis, puerilibus & florentissimis mundi temporibus.

Deus patefecit suam voluntatem.

Adam longæuus.

Doctrina Christiana corruptio facili.

Doctrina qua amplectenda.

Fermentum doctrinæ. Laban idolum.

Deus igitur tunc, cum traditiones adulteratæ essent & deprauatæ, iterum per peculiare reuelationes Abraham factas, puritatem doctrinæ suæ instaurauit: quam plenius etiã declarauit, & Abrahamum Prophetam instituit, Genes. 20. Sequentibus etiam temporibus, immediate cum Isaac & Iacob locutus, instauratam doctrinæ suæ sinceritatem confirmauit. Iacob verò moriturus, depositum illud filiis suis, tanquam in testamento relictum, diligenter quasi per manus posteris tradendum & conseruandum, commendauit. Et quamdiu 12. Patriarchæ filij Iacob superstites fuerunt, traditionem illam sanæ doctrinæ incorruptam seruata esse, verisimile est. Sed à morte filiorum Iacob, vsq; ad exitum ex Ægypto, vltra centum non multi anni intercesserunt. Quam certo autem & fideliter, intra tam breue temporis spacium, puritas doctrinæ per traditiones conseruata fuerit, Ezech. ostendit c. 20. vbi Deus inquit: Dixi ad eos: Vnusquisq; offensiones oculorum suorum abiiciat. Et irritauerunt me. Vnusquisq; offensiones oculorum suorum non proiecit, nec idola Ægypti reliquerunt: & dixi, vt implem iram meam in eis, in medio terræ Ægypti, &c. Ibi verò sicut antea etiam, cum traditio non conseruasset depositum illud, Deus peculiaribus reuelationibus, additis multis stupendis miraculis, puritatem doctrinæ suæ per Moysen, ad veteres fontes Patriarcharum reuocauit: id quod scriptio libri Genesis manifeste ostendit.

Breuius quam pro rerum amplitudine complexus sum historiam annorum ab initio mundi 2454. in quibus doctrina cœlestis, voce diuina patefacta, fuit propagata, & per manus tradita, sine scriptura diuinitus inspirata, sola viua voce, ab iis, qui cœlestibus reuelationibus, ac aliis testimoniis diuinitus ad hoc constituti & confirmati fuerant. Ostendimus autem, quam parum fideliter traditio illa, quæ à Patriarchis accepta erat, retenta & conseruata fuerit à posteris: sapius enim corruptam, adulteratam & deprauatam fuisse, Scriptura ostendit, ab iis, qui traditiones illas à Patribus acceptas cōseruare, propagare, & aliis per manus tradere debebāt. Qualis igitur sit custodia & cōseruatio doctrinæ cœlestis, per traditiones apud posteritatem, exempla illa ostendunt. Visum autem tunc Deo fuit, per nouas subinde & peculiare reuelationes, puritatē verbi sui, quando per traditiones adulterari cœperat, instaurare, confirmare, propagare, & conseruare. Quare verò illa, & nō alia ratione tunc vt voluerit, nostrum non est curiosius inquirere, neq; enim omnium operum suorum rationes Deus nobis reddere tenetur.

Sed hoc dignum est consideratione, cum per traditiones puritas doctrinæ non conseruaretur, & Deus non vellet amplius illa ratione vt: vt exortis corruptelis per nouas subinde & peculiare reuelationes repeteret, instauraret & conseruaret puritatem eius doctrinæ, quæ ab initio mundi Patriarchis patefacta & tradita fuerat: dignum, inquam, est obseruatione, quam aliam rationem tempore Moysis ipse instituerit & ostenderit: vt scilicet scriptis, diuina autoritate & testimonio approbatis & confirmatis, puritas doctrinæ cœlestis propagaretur & conseruaretur: ne quæstionibus aut controuersis de veteri genuina & pura Patriarcharum doctrina exortis, semper quærendæ & expectandæ essent nouæ & peculiare reuelationes. Illa verò historia diligenter consideranda est. Vtiliter enim illustrabit, & explicabit præsentem controuersiam de sacra Scriptura, monstrata prima eius origine. Ostendit au-

tem historia, quod iudico præcipue esse obseruandum, Deum non tantum instituisse, sed ipsum suo facto & exemplo, cum primus verba Decalogi scripsit, initiasse, dedicasse & consecrassse viam illam & rationem: vt per Scripturas diuinitus inspiratas conseruetur, & retineatur doctrinæ cœlestis puritas. Itæ prima origo sacra Scripturæ, Deum ipsum habebit autorem. Loquimur autem de Scripturis diuinitus inspiratis. Nihil igitur disputabimus de illis, quæ Iosephus ante diluuium columnis incisa fuisse refert. Nec apocrypha scripta Henoch huic pertinent, de quibus Hilarius in Psal. 132. inquit: Quæ libro legis non continentur, ne nosse quidem debemus. Sunt qui opinantur, Moysen historiam Iob, apud Iethro socerum suum in terra Madian reperisse, & illam secum attulisse ad filios Israel in Ægyptum, vt exemplo Iob oppressiones Pharaonis patienter discerent ferre: sed hoc dicitur sine certis testimoniis & argumentis. Iudæi fabulantur, librum Genesis à Mose cōscriptum fuisse priusquam Deus verba Decalogi scriberet: propterea quod Exodi 24. fit mentio voluminis fœderis, ante allatas tabulas Decalogi. Sed non animaduertunt, multa per anticipationem, seu per *ὕστερον πρότερον* in historia sacra dici: volumen enim illud, cuius mentio fit Exo. 24. fuit liber veteris Testamenti, quod Deus in monte Sina pepigit cum filiis Israel: sicut manifeste scriptum est, Hebr. 9. Sed Exo. 34. cum Deus verba Decalogi scriberet in tabulis, Moyses nondum scripserat volumen fœderis, sed tunc primū accepit mandatum scribendi. Nullum igitur dubium est, quæ Exo. 24. de descriptione & dedicatione voluminis fœderis referuntur, gesta esse postea, quæ Exo. 34. describuntur: ita vt Deus Decalogum prius scripserit in tabulis, quam Moyses suos libros conscriberet. Non ignoro, varia disputari de libro bellorum Domini, cuius Moyses mentionem facit, Num. 21. Vtitur enim futuro tempore: Dicitur in libro bellorum Domini, quod gestum est in mari rubro. Et quod Iosue 10. citatur liber iustorum, non potest esse liber aliquis antediluvianus: agitur enim de historia, quæ sub Iosua accidit. Nec Iudæorum siue fabulas, siue ænigmata moror, quod lex ante conditionem mundi scripta fuerit literis igneis, nigris in dorso ignis candidi: neq; ciuitas, quasi vniversitas librorum apud Cananitas Iosue 15. huic pertinet. Nobis enim de libris Scripturæ diuinitus inspiratæ, quos ad posteritatem Deus peruenire & conseruari voluit, disputatio est.

Et hæc eò recitavi, vt obseruetur ex scripturis diuinitus inspiratis, quas ad posteritatem Deus conseruari & extare voluit, nihil scriptum fuisse ante tabulas Decalogi, Dei digitis conscriptas. Multum enim facit ad dignitatem & autoritatem sacra Scripturæ illustrandam, quod Deus ipse rationem comprehendendi literis doctrinam cœlestem, non tantum instituit & mandauit, sed quod illam primus, scriptis verbis Decalogi suis digitis initiavit, dedicauit & consecrauit. Si enim ab hominibus primum scriptio sacrorum librorum inchoata fuisset, potuisset opponi præscriptio plus quam bis mille annorum: vbi in melioribus mundi temporibus & inter præstantissimos Patriarchas, sine scripto, viua voce tradita fuit doctrina verbi diuini. Deus igitur ipse, suis digitis fecit initium scribendi: vt ostenderet, quantum huic rationi, vt doctrinæ puritas ad posteritatem scriptis conseruetur, tribuendum sit: Quod verò Tabulas lapideas sumpsit,

Abraham.

Iacob.

Moysi.

Scriptura auctoritas & origo.

Iosephus.

Henoch.

Hilarius.

Iob.

Liber bellorum Domini.

Scriptura auctoritas & dignitas.

sumpsit, in quibus verba Decalogi scripsit, alia est ratio quæ explicatur, 2. Corin. 3. Ne verò ea, quæ per homines Dei, miraculis & testimoniis diuinis ad hoc ornatos, vel conscriberentur, vel conscripta comprobarentur, minoris vel nullius ad confirmationem dogmatum, & refutationem corruptelarum, autoritatis haberentur: noluit Deus ipse totam legem conscribere, sed scriptis verbis Decalogi, Mosis mandatum dedit, vt reliqua ex ore eius conscriberet. Et vt populus Dei certus esset, Scripturam illam Mosis non humana voluntate allatam, sed diuinitus inspiratam esse: Deus valde multis stupèdis miraculis testimonio Mosis autoritatem conciliauit, & ante scriptionem, & post, & in ipsa scriptione.

Duo igitur hæcenus ex vetustissima historia sacra monstrauius. I. Puritatem doctrinæ cœlestis, per traditiones viux vocis non fuisse semper & vbi que conseruatam, sed sæpius corruptam & adulteratam. II. Ne verò nouis semper & peculiaribus, ad instaurandam & retinendam doctrinæ puritatem, opus esset reuelationibus, Deum sub Moysse instituisse aliam rationem: vt scilicet scripto comprehenderetur doctrina verbi Dei. Et hæc est prima origo Scripturæ: qua monstrata, superest vt porrò consideretur, quem Scripturæ vsum, quam dignitatem & autoritatē Deus ipse esse voluerit. Et quia historia manifesta est, nuda annotatione locorum contenti erimus. Complexus est autem Moses quatuor libris, non tantum historiam sui temporis educationis ex Ægypto, & quæ per quadraginta ann. in deserto gesta sunt: sed præcipuum eius consilium fuit, conscribere doctrinam legis, quam Deus in monte Sina in deserto, populo Israel tradidit. Præterea in primo libro complexus est capita doctrinæ & fidei Patriarcharum, quam ab initio mundi, ad sua ferme tempora, ex ipsius Dei patefactione traditam acceperant, & professi fuerant. Et tabulas quidē Decalogi, ipsius Dei manu scriptas, in arcam fœderis, quæ in loco tabernaculi sanctissimo erat, imponi Deus iussit: Moses verò sua scripta, inspiratione diuina consignata, collocari iussit in latere arcæ, Deuter. 31. Et eius depositi custodiam & conseruationem commendauit Sacerdotibus, filiis Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israel. Constituit etiam, vt Rex exemplar legis, ex illo quod coram facie Sacerdotum & Leuitarum erat descriptum, secum haberet, ne declinaret in partē, vel dexterā, vel sinistram, Deut. 17. Et mādauit, vt vulgus etiam in postibus, in ianuis, in limine, in ostiis verba illa scriberet, Deut. 6. & 11.

Vsum etiam expresse ostendit Deut. 31. vbi præcipit, vt legatur coram toto Israel, tam viris, quam mulieribus, paruulis & aduenis, vt audientes discant, custodiant & impleant omnes sermones legis huius: filij quoque eorum, qui nunc ignorant, vt audire possint, &c. Et in fine, inquit: Ponite librum istum in latere arcæ fœderis, vt sit tibi contra te in testimonium. Noui enim, quod post mortē meam declinabitis de via, quam præcepi vobis.

Hæc Scripturæ testimonia ostendunt, quomodo post conscriptos sacros illos libros, Ecclesia filiorum Israel fuerit columna & firmamentum veritatis: quia scilicet ipsis concredita fuerunt eloquia Dei, Rom. 3. Non autem ita, vt vel quiduis arbitrato suo statuere, vel ex traditionibus non scriptis, pro fidei dogmatibus, alia & diuersa ab illis, quæ conscripta erant, obtrudere possent Ecclesiæ: sed quia custodes esse debeant Scripturæ, in qua

Deus sua inspiratione doctrinam cœlestem, & quæ ab initio mundi Patriarchis tradita, in Ecclesia sonuerat, & quæ Mosis patefacta fuerat, literis cōprehendi curarat: non vt libri sancti in angulo tabernaculi sepulti iacerent, sed ita vt quærentibus aut ignorantibus, quæ doctrina Patriarchis, quæ Mosis esset diuinitus patefacta & tradita, ostenderent ex illa Scriptura, veram, genuinam & puram doctrinæ cœlestis vocem. Et si declinassent à mandatis Dei, vt Scriptura illa esset testimonium, Deut. 31. Ideò enim iubebat Moses describi exemplar legis, vt esset Canon, norma & regula, ne declinaretur vel in dexteram, vel in sinistram partem, Deut. 17. Et valde illustri magnificentia, Deus illā verbi sui custodiam ornauit & commendauit extructione, portatione, & circumseruatione splendidissimi tabernaculi.

Adiciatur verò & hæc obseruatio. Reliqua Noæ posteritas per vniuersas terras dispersa, sine dubio ex relatione maiorum, per successionem multa ex traditionibus Patrum, licet fermentata retinuerat: sicut posteris etiam temporibus talia vestigia traditionum, licet valde deprauata in gentium religionibus deprehensa & notata sunt à scriptoribus Ecclesiasticis. Et non est dubium, ipsos cum non minus videri vellent, habere verbum Dei, quam filij Israel, magnifice opposuisse titulos & prætextū traditionum, ab ipsis Patriarchis acceptarum. Quod si tunc habuissent aduocatum, Andrado, Pighio, aut Lindano simile, nā illi contumeliose elusissent magnificum illud institutum Dei, de Scriptura per Mosen tradita. Quid enim? Num verisimile est, Patriarchas & ante & post diluuium, quibus longissima vita concessa fuit, intra bis mille & trecentos annos vsq; ad mortem Ioseph, non plura verba fecisse de doctrina diuinitus patefacta, quam quæ paucis & angustis illis primi libri Mosis paginis comprehensa sunt? Atqui non minus fuit verbum Dei, quod illi à Deo acceptum, frequentius & multo pluribus verbis tractarunt, quam illud, quod à Mose in primo libro de doctrina & fide Patriarcharum, breuissime conscriptum est. Nec existimandum est, tam parui momenti illa fuisse, quæ Patriarchæ plenius tractarunt, vt facile negligi possint: modo illa teneamus, quæ Moses scripto complexus. Et quid est, quod nostro tempore contra Scripturæ autoritatem, pro traditionibus à Pontificiis affertur, quod non potuissent etiam prætere posterum Cham & Iaphet, qui religionem suam, cum ex Scriptura non possent, titulo traditionum tuebantur. Nam & illud, quod Pighius de Epistola ad Philemonem calumniatur, posset de libro Mosis dici, longe maiora mysteria fuisse in Patriarcharum doctrina, quam quæ Moses narrat de ouibus, de seruatorum rixis, de mulierum contentionibus, & similibus. Sed vna & simplex tunc fuit responsio, verum esse, quod intra tam multos annos, Patriarchæ longe plura verba fecerint de doctrina cœlesti, quā quæ vno tam angusto libro Moysis potuerint comprehendere. Sed ex omnibus illis, quæ Patriarchæ & fecerunt, & docuerunt diuina inspiratione, illa electa esse vt conscriberentur, quæ ad fidem & mores pie viuendi, posteritati sufficere iudicata sunt. Et huius iudicij, seu selectionis, Deum ipsum esse authorem, nullum est dubium. Quæ enim Moyses in 1. cap. ante creationē hominis facta & dicta esse scribit, a nullo homine, sed ex solius Dei reuelatione cognoscere potuit. Certum igitur est, quod ne Pontificios quidem negaturos arbitror, ea, quæ de Patriarcharum doctrina

Scriptura ostendit, quæ doctrina sit falsa.

Noæ posteritas.

Cham & Iaphet.

Moyses autoritas confirmata.

Moyses scriptura.

Scriptura & sua.

doctrina & fide Deus posteritati necessaria iudicauit, comprehensa esse scriptis Moysis. Et sane non est dubium, in memoria priorum hâsisse tunc adhuc narrationes quasdam, nec falsas, nec vanas de sermonibus Patriarcharum. Sed illas oportuit, nec contrarias, nec diuersas, sed cōsentaneas fuisse illis, quæ Moyses scripsit, ita vt scriptura Moysis regula & amussis esset, ad quam exigerentur & examinaretur, quæcunq; de Patriarcharum & Moysis doctrina dicerentur. Hanc collationem idē institui: ostendit enim ex ipsa prima origine Scripturæ, refutationē omnium argumentorū, quæ nunc à Pontificiis traditionibus contra Scripturam nectuntur: & quidem talem refutationem, quam ipsi admittere & usurpare coguntur, quando de scriptis V. Testamenti disputatio est. Quod verò fingunt, aliam esse rationem scriptorū N. Testamenti, postea refutabimus.

Et hæc de prima Scripturæ origine, potissimum huc pertinent. Reliqua igitur de doctrina & Scriptura V. Testamenti, breuiter perstringemus.

Post Moysen enim Deus subinde excitauit Prophetas, quorum doctrinæ & Testimonio ingentibus miraculis fidem & autoritatem conciliauit: sicut historia Eliæ & Elisæi manifeste ostendit. Et ad Iosue Deus dicit, cap. 3. Hodie incipiam te exaltare coram omni Israel, vt sciant, sicut cum Moysen fuis, ita & tecum sum. Illi verò licet miraculis essent cōfirmati, non tamen habebant potestatem, vt de doctrina Patriarcharum & Moysis, alia diuersa aut cōtraria assererent aut statuerent, quam quæ in libris Moysis consignata erant: sed ex diuina reuelatione addebant interpretationes illustriores, prout lucifer noui Testamenti magis magisque appropinquaret. Totius verò suæ doctrinæ summam & capita, quantum Deus posteritati necessarium iudicabat, ipsi conscribent: quæ conscripta, ad sacros Moysis libros, hoc est, in latere arcæ collocabantur. Ita enim de Iosue c. 24. scriptum est, quod omnia verba sua scripserit in volumine legis Domini, quod positum erat in latere arcæ fœderis, Deuter. 31. Et 1. Reg. 30. Samuel legem regni scripsit in libro, & reposuit coram Domino: hoc est, vbi arca fœderis erat. Esa. 30. Deus dicit Prophetæ: Nunc ingressus scribe super tabulam, & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouissimo vsque in æternum. Et quomodo Prophetæ soliti fuerint capita doctrinæ suæ, quæ Dei inspiratione ad posteritatem peruenire debebant, conscribere, colligi potest ex 2. cap. Habacuc. Scribe visionem, & explana eam super tabulam, vt percurrat, qui legerit eam. Et Esa. 8. Sume tibi librum, & scribe in eo stylo hominis. Similia exempla extant apud Ieremiam, c. 36. 45. 51.

Et hoc modo constitutus est Canon Scripturæ Propheticæ. Nam Ezech. 43. de Pseudopphetis dicitur: in Scriptura Israel non scribentur. Sed de Canone Scripturæ postea dicendum erit.

Hæc narratio de temporibus Prophetarum, quam breuitatis studio obiter attingere magis quam explicare volui, liquido ostendit, quam paterna sollicitudine Deus Ecclesiæ suæ prospexerit: vt posteritas doctrinam Propheticam, sine fermento, sine adulteratione & deprauatione, genuinam, puram & sinceram habere, conseruare & propagare posset. Scripto enim illam comprehendere voluit, ne peregrina & adulterina Ecclesiæ obruderentur, hoc titulo, quasi à Prophetis tradita & accepta essent. Quod si obiciatur, Esaiam in curriculo ministerij sui, per annos 80. certe plura prædicasse, quam quæ

66. angustis illis, quæ extant sectionibus, comprehendantur: quod idem de reliquis Prophetis, quorum vel nulla plane extant scripta, vel quæ extiterunt, intercederunt, plausibilis obici potest. Et certe, æque fuit verbum Dei, pari reuerentia amplectendum, quod prædicatum est, & quod scriptum est. Responso autem firma & vera hæc est: Quæ ex Prophetarum doctrina Deus ad fidem & pietatem posteris necessaria iudicauit, ea conscribi curauit, & ad posteritatem conseruauit. Hoc argumentum ideo toties repeto, vt Pontificij videant, quale habeant fundamentum in suis obiectionibus. Negare enim nec possunt, nec audent id, quod verissimum est: licet plura fuerint tradita à Patriarchis, Moysen & Prophetis, quam scripta sunt: contineri tamen in Scriptura veteris Testamenti omnia, quæ de Patriarcharum, Moysi & Prophetarum doctrina Deus necessarium iudicauit posteritatē scire. Coguntur & hoc aduersarij concedere, Quæcunque, quocunq; etiam titulo à Iudæis afferuntur, examinanda & exigenda esse ad normam illius Scripturæ: vt quæ ei consentanea sunt, probentur: quæ verò peregrina sunt, aut dissentiant, reprobentur. Constat enim de doctrina veteris Testamenti nihil esse admittendum aut recipiendum, quod ex scripturis illius non potest probari, non obstantibus quibusuis argumentis de traditionibus. Fundamenta verò huius verissimæ sententiæ, monstrabunt nobis postea viam ad refutandas & subuertendas omnes obiectiones Pontificiorum de traditionibus. Christus enim & Apostoli in nouo Testamento, quando allegant Prophetas aliquid dixisse, Deum locutum per os Prophetarum, quando nominat sermonem Propheticum, non alegant nos ad tacitas sine scripto traditiones, sed ea, quæ in scriptura extant, intelligunt. Lindanus, totius Pontificiæ religionis panopliam in eo constituit, quod Petr. dicit: Verbum Dei est, quod prædicatum est vobis. Sed Apostoli per tot annos plura prædicauerunt, quam quæ angusto codice noui Testamenti cōprehendi potuerunt. Plura ergo in nouo Testamento sunt credenda, quam quæ scriptis Apostolicis continentur. Sed idem & eadem etiam ratione de doctrina veteris Testamenti dici posset, sapius enim occurrunt in veteri Testamento illæ voces: Auribus nostris audiui, Patres nostri nunciauerunt nobis, tradiderunt illa filiis post se, &c. Et non est dubium, multa ex concionibus & sermonibus Prophetarum, in priorum animis conseruata, & posteris communicata fuisse. Num verò propterea, extra & præter Scripturam veteris Testamenti, fabulæ Thalmudicæ recipiendæ erūt? Nos verò potius sequamur vere priorum iudicium, qui tempore Prophetarum fuerunt: inde enim solutionem obiectionis intelligemus.

Motis enim controuersis, & exortis corruptelis, simpliciter proposuerunt normam Scripturæ. Ita cum tempore Achas, remoto altari Domini, & substituto Damasceno, tristissimæ regnarēt corruptelæ, quæ titulo & prætextu reuelationum proponerentur, Esa. c. 8. simpliciter dicit: Ad legem & ad testimonium, quod si non dixerint iuxta verbū hoc, non erit eis matutina lux. Videt & agnoscit Lector, quomodo Scriptura in V. Testamento usurpata fuerit pro norma, canone, amussis, & regula certissima in controuersis de doctrina: sicut supra ex Moysen ostendimus, in hunc usum illam conscriptam fuisse. Et Iosaphat religionem collapsam, & superstitionibus contaminatam instauraturus, scribitur eam reuo-

Scriptura
Moysi.

Prophetarum
doctrina.

Iudæorum
doctrina ad
quam norma
examinanda.

Dei sollicitudo
pro doctrina
vera conseruatione.

Scriptura in
dicitur in
controuersis
amendandum.

reuoasse ad primas vias Dauid patris sui. Sed audi, iuxta quam regulam & normam corruptelæ abiecit, & puritas doctrinæ patrum restituta fuerit. 2. Paralip. 17. Misit de Principibus suis, de Sacerdotibus & Leuitis, qui docerent populum in Iuda, habentes librum legis Domini: & circumibāt cunctas vrbes Iuda, ac erudiebāt populum. Ezechias etiam, corruptelas doctrinæ & cultus diuini ab Ahas iniectas eliminaturus, operatus est rectum & verum coram Domino iuxta legem, 2. Paralip. 31. & iuxta dispositionem Dauid: siquidem Domini præceptum fuit per manum Prophetarum eius. Et memorabile est, cum Manasses & Ammon, populū à vera Patrum religione ad idololatriam abducere vellent, librum legis Domini absconderunt, ne singulis septenniis populo prælegeretur, sicut Moses constituerat, sub Iosia enim Helcias Sacerdos librum legis Domini, qui per manum Moysis datus fuerat, inuenit in ruinis templi cum reficerentur. Et Iosias conuocatis vniuersis senioribus, Sacerdotibus, Leuitis, & omni populo, à minimo vsq; ad maximum, legit omnia verba voluminis, & percussit fœdus coram Domino, adiurauitq; omnem populum, vt facerent, quæ scripta sunt in volumine illo quod legerat. Et hæc fuit norma, iuxta quā repurgauit doctrinam & cultum templi. In hanc sententiam in historia ludicum de corruptelis doctrinæ & cultus diuini, aliquoties scribitur: In illo tempore non erat rex in Israel, sed quisq; quod sibi rectum videbatur, faciebat. Rex enim iussus erat, Deuter. 17. exemplar legis diuinæ semper secum habere, in illum vsus sicut de Iosaphat, Ezechia & Iosia iam dictum est. Et cum Ioas in regnum inauguratur, adhibetur ceremonia pulcherrima, 2. Paral. 23. Imposito enim diademate, traditur ipsi testimonium legis, & ita vngitur in Regem. Et summa, quādo Prophetæ arguunt populum de corruptelis doctrinæ, dicunt discessionem factam esse à lege Domini: quæ certe Scriptura comprehensa fuit.

Illustre etiam est exemplum in Esdra, quomodo errores & abusus, qui multi irreperant per tempora exilij, ad normam Scripturæ correxerint & emendarint. Ex hac etiam norma Paulus coram rege Agrippa, probat se nihil falsi aut peregrini docere, Act. 26. Nihil docēs extra ea, quæ Moses & Prophetæ prænuiciauerūt. Abraham etiam diuitem à peculiaribus reuelationibus, mittit ad audiendū Moysen & Prophetas. Et ne quis de traditionibus non scriptis hoc intelligat, Christus Luc. 24. cum testimonio doctrinæ Patrum & Prophetarum, ab initio mundi proferre vellet, Scripturam interpretatur, & inquit: Ita scriptum est. Et hoc testimonium diligenter considerandum est. Ingressus iam erat Christus in gloriam suam per resurrectionem, & potuisset multa commemorare de Patriarcharum & Prophetarum veris traditionibus non scriptis: ipse enim est persona illa, quæ cum Patribus locuta fuit: sed ea tantum, quæ scripta sunt, assert. Voluit enim cōprobare in illis, quæ de doctrina Patriarcharum & Prophetarum scripta sunt, contineri omnia, quæ necessaria sunt & sufficiunt, quando quæritur, quæ fuerit doctrina & fides Patriarcharum & Prophetarum. Et norma illa Scripturæ veteris Testamenti, tantæ fuit autoritatis ad comprobationem & confirmationem dogmatum, quod Christus ipse doctrinam suam testimoniis Scripturæ veteris Testamenti probare non erubescit. Paul. Rom. 1. confirmat se prædicare Euangelium, quod per Prophetas

in scripturis sanctis promissum fuit. Et Act. 17. Prædicatio Apostolorum ad Scripturas examinatur, an recte se habeat. Et hoc examen laudatur à S. Sancto.

Sed iam dudum præsentio, Andradium exclamaturum, peregrinam esse hanc disputationem, neq; enim quæstionem esse de libris veteris Testamenti, sed de Scriptura N. Testamenti. Ego verò nō ignoro, quare soleant præcedere commemorationē de vsu & autoritate Scripturæ V. Testamenti: sentiunt enim, ex nuda illa cōmemoratione, omnia sua argumenta, quæ cōtra Scripturam N. Testamenti cumulant, labefactari & infringi. Et propter hanc causam paulo altius volui repetere hanc commemorationē, de prima origine Scripturæ sacræ. Non enim in N. Testamento ab Apostolis primum ratio illa, vt doctrina cœlestis literis commendetur, inuenta & instituta est: sed rationem illam acceperunt à veteribus, & ea vsi sunt propter easdem causas & in eundem vsus, sicut Scriptura in prima sua origine tradita fuit. Et hoc diligenter obseruandum est.

Ostendimus igitur: I. Quæ sit prima Scripturæ diuinitus inspiratæ, origo, & quem primum habeat autorem. II. Qua occasione, & propter quam causam instituta fuerit Scriptura sacra: quia scilicet per traditiones nō conseruabatur puritas doctrinæ, sed illo titulo & prætextu, multa peregrina & falsa admiscebantur. III. Quem Dens voluerit vsus esse Scripturæ: vt scilicet, esset norma & regula fidei, & iudiciorum in controuersis & disputationibus de religione, sicut multis exēplis probauimus. IIII. Ostendimus, quod diuina inspiratione, ex Patriarcharum & Prophetarum doctrina, summaria capita electa fuerunt, quæ conscriberentur: quæ posteritati, à Deo iudicata sunt necessaria esse, & sufficere. V. Monstrauimus, quid tribuendū sit objectioni illi, contra perfectionem & sufficientiam Scripturæ veteris Testamenti: quod scilicet frequentius, & multo pluribus verbis, viua voce tradita fuerit doctrina à Patriarchis & Prophetis, quàm paucis & angustiis libris comprehendi potuerit.

Hæc capita recte considerata, pulcherrime illustrant disputationem de Scriptura nostri Testamenti. Quod enim Euangelistæ & Apostoli doctrinam suam scriptis comprehēdi curarunt, illud sumpsere à prima Scripturæ origine: & inde rectissime potest iudicari, quæ sit ratio, causa & vsus Scripturæ N. Testamenti, sicut mox ostendemus. Sed prius pauca quædam annotanda sunt de origine traditionum, quæ Scripturæ, vel vt imperfectæ assuuntur, vel vt ambiguae & obscuræ opponuntur.

DE SIMILITVDINE ET AFFINITATE traditionum Pontificiarum, cum Pharisæis & Thalmudicis.

De traditionibus Pontificiorum, suo loco dicemus. Sicut autem vtile est, primam originem Scripturæ sacræ considerare, vnum quodq; enim ex sua origine rectissime iudicatur: ita & hæc obseruatio multa monebit, quod disputatio de traditionibus non scriptis, vel assuendis, vel opponendis scripturæ, non recens cœpit, sed est ipsissima panoplia Iudaicæ perfidiæ, contra gladium spiritus, quod est verbum Dei in Scriptura. Fuisse autem antiquissimis etiam temporibus certamina de Scriptura & traditionibus, non est dubium: cum posterit Cham & Iaphet, religiones suas, extra & contra Scripturam, palliare & tueri conati fuerunt titulo & prætextu traditionum, quas à maioribus per ma-

Scriptura ad
us Testamen-
ti quo consi-
lio instituta.

Euangelicæ
scriptæ.
Apostolicæ
scriptæ.

Scripturam
commendat
Christus.

Scriptura est
norma dog-
matum.

Doctrina corruptela apud Iudaeos tempore Christi, & earum causa.

Traditionum observatio.

Traditiones quae de causa susceperunt à Iudaeis.

nus accepisse iactarunt. Sed de iis tatum, quae manifesta sunt, breuiter dicemus. Puritatem sanae doctrinae verbi Dei, apud Iudaeos tempore Christi corruptam, adulteratam & depravatam fuisse, historia Evangelica manifeste ostendit. Quod si originem & causam illarum corruptelarum, cum quidem sacros libros Iudaei haberent, legerent & interpretarentur, inquiramus, respondebit historia Evangelica, deberi illas falsis & vanis traditionibus. Quando enim Scriptura erat manifesta, ut de secundo & quarto praecipuo, opponebant traditiones, ita ut verba Scripturae inflecterent ad traditiones, & ex illis sumerent interpretationem, hoc titulo & praetextu: Dicitur est antiquis, sicut exempla extant, Matth. 5. 15. & 23. Habebant praeterea multas vanas traditiones, extra & praeter Scripturam: quarum observationem, fingebant ita necessariam, ut eam vel praerferrent, vel certe quarerent mandatis Dei scriptis. Marci 7. Luc. 11. & 18. Mat. 23. & c.

Et hunc fuisse tunc fontem omnium corruptelarum in doctrina Pharisaeica, filius Dei in multis locis ostendit. Vnde autem arbitraris ortam illam persuasionem de traditionibus, nisi inde, quod iudicatum est, non omnia, quae ad fidem & vitae pietatem necessaria sunt, in scriptura veteris Testamenti comprehensa esse? Et non est dubium, multa nec vana, nec falsa, ex sermonibus Patriarcharum & Prophetarum in memoria priorum, in vera antiquitate haesisse. Sed inde apud posteros, cum facta esset inclinatio puritatis doctrinae, orta demum est persuasio, quia Patriarchae & Prophetae plura fecissent & dixissent, quam quae scripta sunt: ideo praeter scripturam, illa etiam, quae titulo traditionum iactabantur, pari reuerentia & pietatis affectu complectenda & veneranda esse, licet Scripturae non essent consentanea, vel etiam cum illa pugnant. Et hoc bene consideretur, qua ratione Diabolus soleat insidiari puritati doctrinae (quando Scripturam in uniuersum non potest abolere, sicut tentauit per Antiochum, 1. Machab. 1.) quod scilicet specioso praetextu fingit praeter Scripturam, necessarias esse etiam traditiones sine scripto: & quidem ita, ut traditiones illae non ad Scripturam examinandae, sed e contra verba Scripturae inflectenda iudicentur ad traditiones non scriptas: cum tamen Deus propter illam ipsam causam, Ecclesiae Scripturam in prima eius origine, sicut supra ostensum est, commendaret, ut illa esset norma & regula, ne falsa, supposititia & vana, quocumque titulo, & praetextu Ecclesiae obtruderentur. Sed hoc consilium & institutum Dei, Diabolus insidiosè apud Iudaeos inuertit, specioso hoc praetextu: quod sine dubitatione illa, quae certum esset Patriarchas & Prophetas docuisse & fecisse, licet scripta non essent, digna tamen essent parum Scripturae autoritate. Et sub hoc praetextu, incerta & commentitia quaeque, postea inimicus veritatis venditauit. Vide autem cum de traditionibus extra & praeter Scripturam, Christo disputatio esset cum Pharisaeis, potuisset facile commemorare alia & plura Patriarcharum & Prophetarum vera dicta & facta, quam quae scripta sunt: & potuisset illius commemorationis fidem, miraculis comprobare. Et sine dubio fecisset illud, si iudicasset non omnia, quae necessaria sunt, & sufficiunt, Scripturis contineri. Cum enim duae essent quaestiones. I. An de doctrina Patriarcharum & Prophetarum, praeter ea, quae scripta sunt, aliquid aliud tanquam ex traditione viuae vocis profectum & acceptum, quod ex

Scriptura probari non posset, nec cum ea consentaneum esset, admittendum esset, & recipiendum? II. An illae traditiones, quae à Pharisaeis hoc titulo praetendebantur, essent verae? Christus non tantum ipsas traditiones Pharisaeorum, ut falsas & vanas refutat & abiicit: sed simpliciter deducit ipsos ad scripturam, non substitutis aliis traditionibus, de doctrina veterum, tanquam praeter scripturam necessariis & amplectendis. Et 1. Petr. 1. Apostolus dicit: Non auro vel argento, sed precioso sanguine agni immaculati Christi, redempti estis à vana conuersatione, quam ex patrum traditione acceperatis, sitis igitur sancti in omni conuersatione, sicut scriptum est.

Corruptelae igitur puritatis doctrinae apud Pharisaeos originem habuerunt ex traditionibus, quas ut necessarias, Scripturae partim assuebant, partim opponebant. Et Christus doctrinae Propheticae pristinae & genuinae puritatem ita restituit, quod abiectis & refutatis traditionibus, ad ipsam Scripturam Ecclesiam deducit. Haec ex historia Evangelica sunt manifesta. Irenaeus lib. 4. c. 25. dicit, suo tempore extitisse legem Pharisaeicam de traditionibus, ubi de scripta lege Dei quaedam auferant, quaedam addant, quaedam ut volunt interpretentur. Has traditiones vocat aquas ex primo cap. Esaia, propterea quod puritati verbi Dei, admisceatur fermentum traditionum. Et dicit ipsos fingere, illarum traditionum observationem ex ipsa lege necessariam esse.

Haec descriptio obseruetur, ostendet enim imaginem & similitudinem traditionum, quas Pontificij Ecclesiae obtrudunt. Nam & ipsi fingunt ex ipsa Scriptura noui Testamenti, necessariam esse etiam traditionum non scriptarum observationem.

Sed Andradius cum suis excipiet, de non toleranda contumelia, quod ipsorum traditiones cum Pharisaeis & Iudaicis comparantur. Dicent enim Pharisaeos & sequentes Rabinos finxisse & commentos esse suas traditiones: Pontificiorum vero traditiones ab ipsis Apostolis acceptas, certa & continua Episcoporum successione conseruatas, & per manus traditas esse ad nostra usque tempora. Sed Iudaei nullo modo concedent se suas traditiones sine certa auctoritate ex figmentis hominum habere. Texunt enim longam & sine interruptione continuam successione serie, qua traditiones ab ipso Deo traditae, à Moysè acceptae, ad posteritatem bona fide propagatae, & per manus traditae narratur. Et nisi Thalmud prius esset conscriptum, omnino cogitarè, Rabinos artificium illud à Pontificiis mutuo sumpsisse, & ad suas traditiones accommodasse. Tanta enim est similitudo, ut vtriusque commenti de traditionibus & Thalmudistarum & Pontificiorum, unum & eundem esse architectum & artificem, qui scilicet bono semini interspergit & admiscet zizania, dubitari non possit. Ita autem commentum suum concinnat Thalmudici. Fingunt Moysen in monte Sinai accepisse à Deo, non tantum ea quae scripsit, verum etiam mysticam & arcanam expositionem legis: quam nec scripserit, nec scribi voluerit, sed viua tantum voce eam tradiderit, & ita posteritati per manus tradendam commendarit. Et vtrunq; esse verbum Dei, pari reuerentia & pietatis affectu amplectendum & venerandum: cum quod Moyses scripsit, tum quod sine scripto, viua voce per traditiones conseruandum & propagandum mandauit. Vide autem, quam splendidam contexant successionem, qua conseruata sit traditio illa, ne de fide eius dubitetur. Moyses, inquiunt, tradidit eam Heli sacerdoti, Heli Samueli Prophetae, Samuel

Traditiones Christus non allegauit.

Doctrina corruptela ex traditionibus nata.

Traditiones Pharisaeorum & Pontificiorum sumptis.

Thalmudicarum traditionum origo & propagatio.

muel Dauidi regi, Dauid Achia Prophetæ, Achias Eliæ, Eliæ, Eliæo, Elisæo, Elisæus Ioiadæ Pontifici, Ioiadæ Zachariæ Prophetæ, Zachariæ Hofeæ, Hofeas Amos, qui eâ tradidit Esaiæ: Esaias Micheæ, Micheas Ioele, Ioele Nahum Prophetæ, Nahum Habacuc, qui eâ tradidit Sephonia: Sephonias Ieremiæ, Ieremias Baruch Scribæ, Baruch Esdræ, Ab Esdra deinde ponunt continuam successionem maxime illustrium virorum usque ad Hillelem, Simeonem iustum, Gamalielê, & alios donec ex illa cõseruatione cœpit in scripta redigi, vnde tandê Thalmud confectus est. Hæc proluxe descripta extant apud Petrum Galatinum.

Romani Pontifices.

Hæc profecto longe alia species successionis est, quâ quæ à Papistis iactatur, de serie & numero Romanorum Pontificum, in quorum catalogo multi fuerunt monstra verius quam homines. Fingamus iam, nobis rem esse cum Iudæo aliquo, qui rectius sentiens, repudiatis Thalmudicis traditionibus, illa tantum velit recipere & credere, quæ sacris Scripturis cõsentanea sunt, & ex illis probari possunt, & illi opponamus Pighii argumentum: vnde tu Iudæa nosti, verâ illa esse quæ in libris Moÿsis & Prophetarum scripta extant, qui autographa non vidisti: nec si videres posses certi aliquid ex inspectione statuere. Vnde igitur certus es, libros illos, non esse supposititios, nec esse adulteratos, sed cõplecti veram & sanam doctrinam verbi Dei, sicut diuinitus patefacta est? Certe nõ aliunde hoc constabit, quâ ex testificatione illorum, quorum supra facta est mentio, qui continua successionis serie libros illos cõseruarunt, & posteritati quasi per manus tradiderunt. Si igitur sacros cõdices, ex illorum traditione, seu testificatione recipis: qua fronte reliquas traditiones, quæ per illos ipsos, certa successionis serie ad posteritatem propagatæ feruntur, repudiabis? Aut si de Thalmudicis traditionibus dubitare incipies, vacillabit etiam & corruet ipsius Scripturæ certitudo & autoritas, quam traditio & testificatio Synagogæ tibi commendauit. Hic velle ex Andræo audire, quid iudicet Iudæum, qui ex Thalmudicis traditionibus se extricare cuperet, ad hanc objectionem debere & posse respondere. Nõ enim arbitrator, ipsum ita insanire, vt iudicet, pari reuerentia & pietatis affectu suscipiendos libros Biblicos & Thalmudicos. Agnoscat igitur, vel ex hac collatione, quale argumentum sit illud, quo ipse etiam pro traditionibus Pontificiis pugnat, serio triumphat. Si libros sacros ex traditione ecclesiæ recipimus: ergo eodem modo etiam reliquas omnes traditiones debemus recipere. Sed hoc postea explicandum erit. Nunc tantum ostendere volui, quanta sit cognatio & similitudo Thalmudistarum & Papistarum, quando de traditionibus non scriptis, extra & præter scripturam disputat. Idem enim spiritus, qui Scripturæ veteris Testamenti insidias struxit, sub velamine traditionum, etiam in nouo Testamento, ea quæ ex Scriptura probari non possunt, sub titulo traditionum, Ecclesiæ obtrudere conatur: & vtrobique usque adeo simili vititur artificio, vt facile agnoscas eundem esse architectum. Quanta verò sit efficacia huius erroris, manifestum est. Sola enim illa persuasio de traditionibus non scriptis, cum quidem tam plausible specie successionis præstantissimorum in populo Dei virorum proponatur, accedente præscriptione & cõsuetudine longissimi temporis, captiuam ducit & detinet miseram plebeculam Iudæorum in tristissima excacatione: vt Rabi Abraham Hispanus, de sententiis Rabinorum inquit: Nos de-

Traditionum stabilitio ex Andræo.

Scriptura & Testamento scriptis sacra insidias per traditiones.

cet verbis illorum subscribere, eò quòd omnia eorum verba, sunt Cabalæ verba. Et nos incedimus ac palpamus, sicut cœci in pariete, vt sustentemus nos ad illum. Ac licet videantur vobis, verba nostra esse vera ac recta: nihilominus tamen est nobis abiicienda veritas in terram, quoniam veritas cum illis est. Et Lyra Deutero. 17. citat glossam Hebraicam, recipiendum esse, quicquid hoc modo proponatur, etiam si dextrum dixerint esse sinistrum. Eosdê ergo laqueos ex funiculis commentitiarum traditionum contextos, quibus Iudæos irretiuit, nobis etiam tendit idem author.

Et quare Iudæorum Rabini tam pertinaciter pugnent pro Thalmudicis traditionibus, circumstantia temporis, quando cõscribi cœpit Iudæicum Thalmud si recte consideretur, ostendet. Cũ enim subinde ex Iudæis multi, luce scripturarum conuicti, ad Christianam religionem transirent: videlicet Rabini, se id quod volebant obtinere non posse, si solis scripturarum armis pugnandum esset, alia sibi compararunt præsidia. Circa annum enim Domini 150. cœpit cõscribi Thalmud, complectens traditiones: cuius successum cum animaduertissent, postea in infinitum ferme auctum est. Et post illa tempora raro ex Iudæis aliquis (quia laqueis traditionum irretiti, & à Scriptura auersi erant) ad Christianam fidem conuersus fuit. Diximus breuiter de Scriptura veteris Testamenti: vt ostederemus, quæ fuerit prima origo, quæ ratio, quis vsus sacre Scripturæ. Adieciamus illam etiam obseruationem, quomodo Pharisei, & postea Thalmudistæ, Ecclesiam Iudæorum repleuerint infandis erroribus & superstitionibus, ea ratione quòd contenderunt, præter Scripturam Moÿsis & Prophetarum, pari reuerentia & pietatis affectu recipiendas esse etiam traditiones non scriptas, licet ex Scriptura probari non possent. Et Thalmudica quædam commeta, de traditionibus recitauimus, propter affinitatem quam habent cum Pontificiorum disputationibus, tacita enim illorum collatio, loco manifestæ refutationis esse potest. Iam digredimur ad Scripturam noui Testamenti, & ad disputationes nostri temporis de traditionibus:

Traditionum Iudæicarum occasio quæ fuerit.

DE SCRIPTURA NOVI TESTAMENTI.

Video me breuitatis metas, quæ ad rationem examinis sufficere possent in hoc loco de Scriptura transire, sed candidus Lector dabit mihi vltro veniam, si causam cõsiderauerit. Longe alia nunc est ratio disputationum inter Pontificios, quam tempore Ecclesiarum, Emseri, & similitum fuit. Illi enim Scripturæ armis nobiscum congregari nõ detrectabāt. Pighius verò deprehendit, hoc institutum plus detrimenti quàm commodi dedisse regno Pontificio. Aliam igitur viam magis compendariam monstrauit, cui si insistant, nullo negotio, quiduis possent obtinere: vt scilicet conquisitis omnibus Rhetoricis artificio delectant, de angustiis, de imperfectione, insufficientia, ambiguitate & obscuritate Scripturæ: & strenue pugnent pro necessitate, autoritate, perfectione, ceritutine & claritate traditionum non scriptarum. Vidit enim in illis, quæ ex Scriptura defendi non possunt (quæ potissima regni Pontificij pars est) hac sola ratione victoriam, nec dubiam nec laboriosam fore. Et hoc consilium scriptores Pontificij, qui Pighium insēcuti sunt, pro viribus omnes amplexi sunt: vt integris iam libris nihil fer-

Scriptura & Pontificis da. & epistola.

me aliud agant, quam quod contra scripturam, pro traditionibus non scriptis disputant. Et in hoc etiam præsidio, Concilium Tridentinū omnes opes suas, ipsamq; adeo salutem suam collocat. Necessitas igitur requirit, vt paulo pluribus de autoritate Scripturæ, cōtra commentitias traditiones agamus. In reliquis postea breuiiores erimus, & intra metas examinis orationem cōtinebimus. Quia vero de Scriptura N. T. potissimum controuersia inter nos est, de illa iam dicemus. Et ex illis fundamentis, quæ de prima origine sacræ scripturæ in veteri Testamēto supra annotauimus, plana est tota hæc disputatio: propter quas scilicet causas, & quo consilio doctrina noui Testamenti, scriptis sit cōprehensa. Et ipsi aduersarij hoc animaduertūt & sentiunt. Vide aut̄ insidiosas ipsorum technas. Nodū enim illum quasi Gordium cū soluere non possint, semel præcidunt hac bipenni, in scriptura scilicet veteris Testamenti, omnia quæ de Patriarcharum & Prophetarum doctrina, Deus posteritati necessaria esse iudicauit & sufficere, comprehensa esse: sed doctrinæ noui Testamenti, longe aliam esse rationē. Eius enim proprietatem, ab ipso Deo ita esse cōstitutam, vt nec in tabulis, nec in chartis, nec calamo, nec atramento, vel quouis alio modo literis consignetur: sed viua tantum voce, animis auditorum commendetur, & ita sine scripto cōseruetur, & per manus tradatur. Et hunc volunt esse sensum eius, quod Ieremiæ 31. scriptum est: Dabo legē meā in corda eorum, & in intimo eorum scribam eā. Et quod Paulus dicit 2. Cor. 3. Epistola nostra estis vos, scripta à nobis non atramēto, sed spiritu Dei viuī nō in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnis.

Quid igitur ad hæc respondebimus? Dicemus id quod res est. Si Deus ita constituisset & ordinasset, vt doctrina Christi & Apostolorum sine scripto, sola traditione viua vocis propagaretur & conseruaretur, reuerenter vellemus hac ratione cōtenti esse, qua Deū in principio mundi, vltra bis mille annos vsus, supra ostendimus. Ille enim solus optime nouit, qua ratione saluti Ecclesiæ commodissime prospiciatur. Sed hæc est quæstio: An Deus de doctrina Christi & Apostolorum ita constituerit, vt non consignetur literis, sed sine scriptis viua tantū voce per manus tradatur. Pōtificij quidem dicunt, Deum per Ieremiam & per Paulū hoc affirmare. Sed quia Pontificij fidem suam in multis suspectam reddiderunt Ecclesiæ, nos ex mandato Christi, Ioan. 5. & exemplo Berrhoensium, Act. 17. scrutabimur Scripturas, an hæc ita se habeant, sicut Pontificij asseuerant. Ecce autē statim vel palpabiliter deprehendimus, non esse verū, quod Pontificij de Ieremiæ aut Pauli sententia fabulantur. Sūt enim aliquot libri ab ipsis Apostolis, de doctrina noui Testamenti cōscripti, quod sine dubio non fecissent, si illa esset Dei sententia, in dicto Ieremiæ, quam Pontificij ipsi affingunt. Author Epistolæ ad Hebræos, in media scriptione, dum doctrinā noui Testamenti literis commendat, illam sententiam Ieremiæ aliegit. Et Paulus iam scripserat vtramq; Epistolam ad Thessalonicenses, & priorem ad Corinthios, cum dicit: nō atramēto, sed spiritu Dei, 2. Cor. 3. imō illud ipsum tunc, nō viuavoce tradebat, sed scribebat. Extra omnē igitur controuersia manifestissimū est, Apostolos sententiā Iere. 31. & Paulū dictum suū, 2. Cor. 3. non ita intellexisse, sicut Pōtificij fingunt: doctrinā scilicet Christi, & Apostolorū, nō ferre, vt scripto cōprehēdatur & tradatur.

Dabitur autem nobis venia, si iudicauerimus Apostolos rectius intellexisse Ieremiæ & Pauli sententiā, quam Pontificios. Sed excipient, se nō ita sentire, quasi simpliciter nihil omnino de doctrina Christi & Apostolorū debuisset literis mādari, aut scriptis comprehēdi: sed quod quædā sane debuerint, aut saltem potuerint scribi, nō autem omnia quæ necessaria sunt & sufficiunt: sed quod multa, & quidem præcipua, relinquenda fuerint traditionibus non scriptis. Audio, & scio quid Pontificij dicant: sed quæstio est, an illud quod dicunt, sit Ieremiæ & Pauli sententiā in locis allegatis. Inspicio autem Ieremiæ sententiā, & non inuenio quod dicat, legem N. T. scribendam esse partim in chartis, partim in cordibus, nec video quod Paulus dicat, de doctrina Christi & Apostolorum, quædā atramento in tabulis vel chartis, quædam Spiritu Dei in cordibus esse scribenda: sed loquuntur indefinite. Nec concedimus Pontificiis, vt extra & contra verba textus, arbitrariis suis interpretationibus Ecclesiam impune ludificentur.

Si quis igitur verba Ieremiæ & Pauli, cum Pōtificiis ad hanc quæstionē violenter velit detorquere. An doctrina Christi & Apostolorū, debeat aut possit scripto comprehēdi: an vero sine scripto, traditione viua vocis sit cōseruanda & propagāda? certū & manifestū est, illa expositione non posse reddi aliam quam hanc sententiā, quod doctrina Christi & Apostolorū, simpliciter sine aliquo omnino scripto, sola traditione nec scripta nec scribēda, sit proponenda, propaganda & cōseruanda. Et si quis ex illa doctrina literis aliquid conetur consignare, id fieri contra eius naturā & proprietatē, imo fieri cōtra voluntatē & ordinationem Dei. Sed hæc expositione & sententiā falsam esse, Apostoli ipso facto monstrarunt. Scriptis enim doctrinā suam cōplexi sunt: idq; sicut Irenæus dicit ex volūtate Dei.

Ab hoc igitur præsidio Pontificij, luce veritatis clarissima deiecti sunt: nisi forsan cum ratione ipsis libeat insanire. Quam ineptam enim reddāt collationem veteris & noui Testamēti, de qua Ieremias & Paulus grauissime disputaant, si opinionem suam pertinaciter tueri voluerint, Lector attērius quæso consideret. Si enim vetus Testamentum intelligunt de doctrina Patriarcharum & Prophetarum, vsq; ad Christū (quod improprie dici, Augustinus docet & ostendit, potius vetus instrumentum appellandum esse) certe doctrina per annos bis mille, quadringentos, & quinquaginta quatuor, sine scripto, per traditionem viua vocis tradita & propagata fuit. Sunt autem à conscriptione legis vsq; ad ministerium Christi, anni 1538. Populus igitur veteris Testamenti, doctrinam cœlestem per annos 1116. diutius habuit sine scripto, quā in scriptis. Christi vero & Apostolorum doctrina, cœpit scriptis comprehēdi, cum ne per viginti quidem totos annos, sola voce sine scriptis tradita fuisset. Vt enim maxime concedamus, Matthæum tunc primum scripsisse, cum Paulus iam Romæ esset: certe Paulus iam tunc scripserat vtramq; ad Thessalonicenses, & priorem ad Corinthios, & Epistolam ad Romanos. Vide iam Andradi, quomodo constet, quod contendis æquum fuisse, vt populus Dei sub veteri Testamento, doctrinam cœlestem literis haberet comprehēsam: noui vero Testamenti plane diuersam esse rationem. Quod si vetus Testamentum intelligant de doctrina legis quæ in monte Sina promulgata fuit: certe præcepta

*Papistarū de
scripturā noui
Testam. iudi-
cium.*

*Papistica sen-
tentia de no-
ui Testamen-
ti scriptura.*

*An doctrina
Christi & A-
postolorū scri-
pto debuerit
comprehēdi,
an vero viua
voce sit tra-
denda.*

*Testamentū
vetus.*

cepta Decalogi, & ante & post diluuiû, voce diuina proposita, & à Patriarchis tradita leguntur in Genesi. Et Paulus Romanorû 2. affirmat opus legis natura scriptum esse in omnium hominum cordib., etiam illorum qui legem scriptam nō habent. Etiam consideretur, quæ infania sit, Ieremiæ tribuere illā sententiam, quasi discrimen veteris & Noui Testamenti, in eo potissimum cōsistat, quod doctrinam legis, scriptis comprehendi æquū fuit, doctrinā vero Euangelij, per traditiones sine scripto cordibus cōmmandandam esse. Certum igitur & manifestū est, Ieremiæ dictum nec habere nec admittere illā expositionē & sententiā, de qua Pōtificij ita digladiantur, vt in illa omne suum præsidium contra Scripturam pro traditionibus non scriptis se collocare, non dissimulent. Et Augustinus, qui in libro de Spiritu & litera, locum illum Ieremiæ & Pauli ex professo iusta tractatione explicat, ne verbo quidē mentionem facit eius somnij, quod Pontificij Ecclesiæ obtrudere volūt, pro cōmentitiis suis traditionibus contra Scripturam stabiliendis.

Augustinus.

Chryso-
stomus.

Chrysostomus Hom. 1. in Matthæum, accommodat quidem Ieremiæ dictum ad hanc sententiā, quod paucis aliquot annis, Christi & Apostolorū doctrina sine scripto tradita fuit, de quo nulla inter nos cōtrouersia est: nō autem id quod Pōtificij faciūt, extruit inde, naturā & proprietatē noui Testamenti nō ferre, vt doctrina eius literis cōsignetur, & scriptis cōprehendatur: vt sicut Lindanus dicit naturā verbi Euangelici à scripto & literis plane abhorre. Hic enim status est disputationis nostræ.

Adiciam vero & hanc obseruationem, ex hac sola disputatione animaduerti posse, quales interpretes Scripturæ sint Pōtificij. Ieremias & Paulus in illis dictis de re longe grauissima disputant, quā ex Augustini sententiā breuiter recitabo. Vetus Testamentum est doctrina mandatorū, extra hominum scripta: qua foris docemur, attestatē cōscientia nostra (est enim opus legis, scriptū in cordib.) quod & qualem obedientiam Deus à nobis requirat: & cōdemnat quidem hos qui huic normæ non sunt cōformes, sed virtutē præstandi ea quæ requirit, non subministrat. Tam tristis enim est naturæ per peccatum deprauatio, vt quādo Deus voluntatē suam patefacit, & per ministerium, seu voce seu scripto proponit, vetustamen homo, qualis est sine spiritu regenerationis, etiam quando vires suas naturales exerit, & aliquid præstare contendit, nō possit spiritalia quæ verbo proponuntur, recte & vere intelligere, amplecti & seruare: præcipue vero, legē ita faciendū nō facit. Hoc Augustinus vocat vetus Testamentum, vbi cor non renouatur: & ibi licet opus legis, quo ad notitiam, scriptum sit in cordibus: dicitur tamē lex foris extra hominem scripta, non in corda, quando corda non renouantur ad verā interiorem obedientiā. Nouum vero Testamentum est promissio gratiæ propter filium Mediatorem: cum qua coniuncta est, promissio & exhibitio Spiritus sancti, qui doctrinā foris in ministerio siue voce siue scripto sonantem, efficaciat & operatione sua in corda scribat: hoc est, mētē illuminet, voluntatem & cor regeneret, vt possimus promissionē de Messia, vera fide ex corde amplecti. Qui vero credunt in nomine eius, illis dat potestatem, vt sūt filij Dei, Iohan. 1. Et hoc est, quod Ieremias dicit, Spiritum sanctum scribere doctrinam Euangelij in corda credentium, vt impleatur, quod dicit: Ego ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum:

Testamentum
nouum.

Deinde etiam doctrinā legis, Spiritus sanctus scribit in corda renatorum, vt secundum interiorem hominem cor delectetur lege Dei, Roman. 7. & ex animo incipiant obedire, Roman. 6. Hoc Augustinus in sua disputatione, vocat nouum Testamentum: cuius vim & efficaciam, etiam in Patribus tēpore veteris Testamenti fuisse, recte asserit.

Hanc grauissimam & vtilissimam doctrinam Pontificij, in sententia Ieremiæ nō tantum prætereunt, sed obscurant & expungunt, substituta alia peregrina & falsa explicatione. Spiritus sanctus enim illud de quo Ieremias loquitur, operatur non enthuasiastico modo, sine medio, sed per ministeriū verbi Dei. Ne autem verbum illud, quod solum est Organon Spiritus adulteretur, vel incertum sit quodnam illud sit: Deus in veteri Testamēto scriptis illud comprehendi mandauit. De Christo vero & Apostolorum doctrina, in nouo Testamento iam dicemus. Scriptura igitur verbi Euangelici nō pugnat cum dicto Ieremiæ.

Verbum Dei.

Hæc de Ieremiæ sententia, necessario dicenda fuerunt. Eius enim peregrinam, contortam, & adulterinam expositionem magnifice amplificatā, semper in acie collocant aduersarij, pugnatuū cōtra Scripturam noui Testamenti, pro suis traditionibus. Ostendimus igitur, Ieremiæ dictū nullo modo vel præbere, vel admittere illam sententiā, quā Pontificij contra Scripturam fingunt. Et hoc præsidio destructo, iam in patenti campo, facilius erit cum aduersariis congressus de Scripturis noui Testamenti. Et quod de Ieremiæ sententia diximus, idem etiam ad Pauli dictum pertinet, 2. Corint. 3. Non enim negat doctrinam Euangelij esse, quam atramento, chartis in Epistola, & tunc & antea cōmendauerat: neque hoc dicit, quia Corinthios primum, sine suo aliquo scripto, sola viuę vocis traditione conuertit, ideo illā quæ nunc atramēto scribebat, non esse organon Spiritus, per quod Euangelium scribatur in corda credentium: sed hoc agit, Corinthios qui corde iam credebāt ad iustitiā, & ore confitebantur ad salutem, quiq; noua creatura facti, lege Dei delectabantur, & ex animo obediebant: illos inquam dicit esse Epistolam Christi, non atramento exterius, sine interiori renouatione scriptam, quoad verus Testamentum, & ad literam occidentem pertinet: sed in ipsō corde expressam, non viribus veteris hominis, sed spiritu Dei viuī. Sed iam ad ipsam Scripturā noui Testamenti progrediemur. Conuenit autem de hoc inter nos, doctrinam noui Testamenti (sicut vltimate nunc loquimur) illam esse, quam Christus tempore carnis suæ, in ministerio suo proprio ore promulgauit, quamq; Apostoli, cum à Spiritu sancto in omnem veritatem ducti essent, in omnem tetram omni creaturæ prædicauerunt.

Testamentis
nouis doctrina.

Constat & hoc, doctrinam illam primis aliquot annis, & à Christo, & postea ab Apostolis, sine scripto viuā voce traditam & propagatam esse, postea vero ab Apostolis scriptis esse comprehensam. Sed non patitur nos vsque ad Scripta Apostolica progredi Andradius: sed facta tantum mentione primi temporis, cum sine scripto tradita est doctrina Euangelij, statim exclamat: Quæ igitur est lenissimorum, perditissimorumq; quorundā hominum tanta impudentia & temeritas, qui hanc rationem tradendi, propagandi & conseruandi Euangelium (per traditiones scilicet absque scripto) qua Christi Ecclesia nata, educata, longe lateq; propagata,

denique conseruata fuit, inanem ac leuem existimat, illa enim extra omnem controuersiam, omnium est optima, certissima & tutissima ratio tradendi, propagandi, & conseruandi doctrinam Euangelij: quam ipse filius Dei, qui est patris sapientia, inuit: quam Spiritus sanctus, cum Apostolos in omnem veritatem duceret, vsurpauit. Et Andradius subducto calculo, ostendit Ecclesiam viginti annis aut plus, scripto Euangelio caruisse. Non enim probat Theophylacti rationem, quod Matthæus anno post ascensionem Christi octauo scripserit: sed amplectitur Irenæi annotationem, quod Matthæus tunc primum scripserit, cum Paulus iam Romæ esset: & ita ante conscriptum Matthæi Euangelium, supputat annos ab ascensione Christi vnum & viginti & menses vndecim. Aut si recipiatur illorum sententia, qui Claudij imperio tribuunt menses nouem supra annos tredecim, exurgēt anni duo & viginti, & menses septem. Non igitur octo tantum annis, iuxta Theophylacti supputationem, sed tā multis inquit Andradius annis & mēlibus, scripto Euangelio Ecclesia Christi caruit. Non autem considerauit, præ strepitu calculorum in supputatione, vt maxime Irenæi annotatio, quā non improbo, recipiatur: quod tamē Paulus priusquam Romā vincit duceretur, scripserit ad minimum 6. Epistolas: duas ad Thessalonicenses, vnā ad Timotheū, duas ad Corinthios & vnā ad Romanos. Iuxta Irenæi igitur annotationem, tot iam Epistolis Pauli conscripta fuerat doctrina Euangelij, ante Matthæi seripcionem.

Nec difficile mihi esset, ex actis Apostolicis ostendere, circa quotum post ascensionem Christi annum, Paulus primum cœpisset scribere ad Thessalonicenses: & ita de calculo Andradij, annorum 22. & mensū 7. quo tempore cōstituit primum cœpisse doctrinam Euangelij literis mandari, aliquid detraheretur. Sed nō pugnabimus de numero annorum & mensium, de quo inter veteres etiā scriptores non satis conuenit: imō calculo Andradij (quod ipsi in mentem tunc non venit) liberaliter addamus annos etiam ministerij Christi, vt calculū annorum augere possit, additione trium annorū, & aliquot mēlium. Fac igitur ita esse, sicut Andradius contendit 20. annis aut plus, scripto Euangelio Ecclesiam caruisse. Quid inde efficiet? Certe in veteri Testamento, Ecclesia Dei, ab initio mundi per annos 2454. Scriptura diuinitus inspirata caruit. Aut si piaceret numerum strepitu plurium calculorum augere, dice mus iuxta 70. per annos ter mille, sexcentos, & nonaginta duos, primam Ecclesiam caruisse Scriptura. Si hīc Thalmudista aut Cabalista aliquis, post traditam Scripturam veteris Testamenti, pro suis traditionibus Andradij grandiloquentia ita insurgeret: Quæ igitur est leuissimorum, perditissimorumq; hominum insolentia & temeritas, quæ hanc tradendi verbi Dei rationem, qua prima Ecclesia in mundo nata, educata, & per annos bis mille, quadringentos, & quinquaginta quatuor propagata & conseruata fuit, iam nō vult amplius admittere? vt scilicet præter Scripturam, Cabala etiam pari reuerentia & pietatis affectu suscipiatur.

Hæc certe Cabalitz, si non ipsi, saltem per conductitium aliquem Rhetorem, multo splendidius possent amplificare, quam Andradius supputationem suam de viginti annis. Sed dicat nobis Andradius, quid ad hanc obiectionem pro Scriptura veteris Testamenti, contra Thalmudistarum Cabala

respondendum iudicet: & idem sibi etiam responsum habeat. Quod enim exceptionē fingit ex sententia Ierem. 31. iam ostendimus vanum & falsum esse. Verba igitur sunt, aut potius iuxta Prouerbiū, fumi sunt, quos Andradius grandiloquentia sua, de viginti illis annis venditat. Neque enim sequitur: Ecclesia noui Testamenti, viginti annis caruit Euangelio scripto: ergo optimū fuisset, vt perpetuo illo careret: ergo scelerate fecerunt Apostoli, qui aliam rationem propagandi & conseruandi doctrinam Euangelij, per Scripta scilicet, instituerunt, quam ipse Filius Dei, qui est sapientia patris, in ministerio suo inuit: vsus scilicet sine scripto, sola traditione viuæ vocis. Si negauerit Andradius, hæc esse suæ mentis: qua igitur ratione putant, hanc consequentiam valere: Per viginti, Apostoli, sine scripto, sola traditione viuæ vocis, doctrinam Euangelij propagarunt & conseruarunt: ergo nunc etiam, postquam scriptis comprehensa est doctrina Euangelij, prior illa ratio seruanda est: & quidem ita, vt scriptis opponantur traditiones. Apostoli igitur doctrinam Euangelij, à Christo acceptam, & à Spiritu sancto illustratam, primis aliquot non multis annis, sine scripto, sola traditione viuæ vocis propagarunt: mox verò per Dei voluntatem, sicut Irenæus loquitur, cœperunt literis consignare, & scriptis comprehendere non contrariam, non diuersam, non aliam, sed illam ipsam doctrinam, quam voce prædicarunt. Quod si queratur, quare nō statim in primo anno cœperint scribere: possemus respondere id, quod supra diximus de annis ab initio mūdi 2454. Sed hoc loco ratio manifestior est. Doctrina enim Euangelij, antequam conscriberetur, erat prius contra Iudæorum & Gentium calumnias & contradictiones, prædicatione Apostolorum, signis & prodigijs per totum terrarum orbem confirmanda, & assensione populorum credentium in omnibus terris comprobanda: vt certi essemus, ea quæ scripta sunt, non esse dubia, incerta, aut parum firma, sed sicut Lucas inquit, *πεπλορομένη*, hoc est, à Deo per Apostolos cōfirmata, & à primis fidelibus per totum mundum, vt certissimæ fidei comprobata. Ita nō tantum nihil detrahitur Scripture, sed dignitas & auctoritas eius magis illustratur inde, quod non statim primis annis Apostolicæ prædicationis, literis consignata est.

Status verò totius disputationis, in eo iam consistit, vt monstretur, quibus de causis, quo consilio, quo proposito & instituto, Euangelitæ & Apostoli doctrinam Euangelij literis consignare, seu scriptis mandare & comprehendere voluerint: quem voluerint illorum scriptorum usum esse in Ecclesia: quo loco primitiua Ecclesia scripta illa habuerit: quid, & quantum illis tribuerit. Ad hunc disputationis statum, mox posito titulo, De Scriptura noui Testamenti, progrediendum fuerat: sed prius reprimendi fuerunt clamores Pōtificiorum de loco Ieremiæ, & de primis annis Apostolicæ prædicationis: quorum strepitu Lectorem conantur obruere & obrundere, vt ita à vero statu disputationis illum auocent.

Collocabimus autem quasi in acie, pulcherrimam Irenæi sententiam, quæ extat in præfatione, & 1. cap. 3. lib. vbi dicit. Sola vera ac viuifica fides illa est, quam ab Apostolis Ecclesia percipit & distribuit filiis suis. Et enim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Euangelij, per quos & veritatem, hoc est, Dei filij doctrinam cognouimus, quibus

Matth. Euangelium quando scriptum.

Theophyl.

Paulus ante captiuitatem quæ scripsit.

Euangel. ser. pro an carere possit Ecclesia.

Argumenta- 110 Papislar.

Euangelium quare nō mox primo anno scriptum.

Euangelium ex quibus causis descriptum.

*Euangelium
prædicatum &
scriptum.*

quibus & dixit Dominus: Qui vos audit, me audit: & qui vos contemnit, me contemnit, & eum qui misit me. Nō enim per alios dispositionem salutis cognouimus, quam per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos. QVOD QVIDEM TVNC PRÆCONIAVERVNT, POSTEA VERO PER DEI VOLVNTATEM, IN SCRIPTVRIS NOBIS TRADIDERVNT FVNDAMENTVM ET COLVNNAM FIDEI NOSTRÆ FVTVRVM.

Hæc Irenæi sententia, in genere loquitur, de tota Scriptura noui Testamenti: cuius auctoritatem, perfectionem, & (vt nūc loquimur) sufficientiam, firmissima demonstratiōe ostendit. Illa enim extra omnem controuersiam, sola est vera & viuifica fides, quam primitiua Ecclesia ab Apostolis accepit, & filiis suis distribuit. Sed illa fides cōcepta initio prædicatione Apostolorum, quam ipsi ex doctrina filij Dei acceperant. Hanc vero doctrinam Christi & Apostolorum, ex qua vera primitiue Ecclesiæ fides accepta fuit, Apostoli primū sine scripto viua voce tradiderunt, postea vero non humano aliquo consilio, sed per Dei voluntatem in Scripturis tradiderunt. Quidnam? Illam ipsam doctrinam, quam à Filio Dei acceptam, viua voce prædicauerant, ex qua solam veram & viuificam fidem, primitiua Ecclesia, ab Apostolis acceperat, & filiis suis distribuerat. Quibus verò Apostoli Euangelium tradiderunt in Scripturis? Num vt particulares illæ tantū Ecclesiæ, quib. inscriptæ sunt Apostolorū Epistolæ, pro præsentī tantū necessitate scriptis illis Apostolorū vterentur. Ita quidem Pighius fingere videtur, sed Irenæus dicit: Nobis nobis Apostoli id, quod prædicauerant in Scripturis tradiderunt. Quo vero consilio? quē illius suæ Scripturæ vsūm Apostoli in Ecclesia esse voluerūt? Respondet Irenæus: Vt id quod in scripturis nobis tradiderūt, in futurū esset fundamentū, & columna fidei nostræ: illius scilicet, quā ab Apostolis Ecclesia percipit, & distribuit filiis suis. Fundamentum igitur & columnā solius veræ & viuificæ fidei, primitiue Ecclesiæ ab Apostolis acceptæ, habemus nos in scripturis, quas Apostoli per Dei voluntatē nobis tradiderunt. Fundamentum quidem fidei, quia inde discitur, agnoscitur, extruitur, & concipitur. Columna verò, quia fide probatur, confirmatur, & contra omnes corruptelas propugnatur, & conseruatur illa fides, quæ sola, vera, & viuifica est. Fides igitur, quæ aliunde, quā ex scripturis ab Apostolis traditis extruitur, concipitur, probatur & confirmatur, non est vera, viuifica, Apostolica, & primitiue Ecclesiæ fides. Hæc in Irenæi demonstratiōe manifestissime & firmissime cohærent. Et postea dicit illos esse hæreticos, qui scripturis Apostolicis non assentiuntur, & notas hæreticorū his verbis describit ca. 2. Cum ex scripturis arguūtur, in accusationem cōuertuntur ipsarum Scripturarū, quasi non recte habeant, neq; sint ex auctoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his veritas inueniri ab his, qui nesciant traditionem: non enim per literas traditam illam, sed per viua vocē, &c. Mirum ni vel parumper erubescant, Pighius, Lindanus, Andradius, & similes, recognoscentes suas voces in hac descriptione. Ostendit igitur Irenæus in illa sententia, quo cōsilio Apostoli doctrinā suam in Scripturis nobis tradiderint, & quem Scripturæ eius vsūm in Ecclesia esse voluerint, vt scilicet esset fundamentum & columna fidei nostræ, qui viua Apostolorum vocem non audiuius. Et addit, il-

los esse hæreticos, qui Scripturas illas vel abiiciūt, vel in accusationem earum conuertuntur, quod varie sint dictæ, & quod veritas ex his non possit inueniri, nisi præter illas scripturas adiungantur traditiones, quæ sine scripto & literis, per viua vocē ab Apostolis traditæ tractantur.

Hæc prolixius aliquanto de Irenæi sententiā annotare volui. Loquitur enim in genere de tota Scriptura noui Testamenti, & complectitur firmissima demonstratiōe, illa omnia, quæ ad hanc controuersiam de Scripturæ auctoritate pertinent. Quæ verò sit Irenæi de traditionibus sententiā, in sequenti loco explicabimus. Lectorem autem oro, vt ad illam Irenæi sententiā conferat quod Andradius dicit: nam breue compendium doctrinæ Apostolicæ literis traditum esse, vt pars maxima tanquam magni precij thesaurus traditionibus non scriptis relicta fuerit, item quod Concilium Tridentinum constituit, in controuersis horum temporum veritatem non posse ex solis scripturis inueniri, nisi pari reuerentiā, & pietatis affectu suscipiantur illa etiam, quæ tum ad fidem, tum ad mōres pertinētia extra & præter Scripturā, tanquam ex traditionibus non scriptis venditantur. Sed vt veritas manifestior euadat, ordine de singulis scriptis noui Testamenti inquiramus: quibus de causis, & quo consilio literis consignata sint, & quem Scripturæ illius vsūm, tum scriptores ipsi, tum primitiua Ecclesia voluerint esse.

Non autem de momentis, siue annorum siue mensium, quibus vnumquodque scriptorum in N. T. editum sit, scrupulosius disputabimus (Veterum enim annotationes inter se non satis conueniunt) sed ea quæ certa sunt, *ἐν ἀλάτῃ* sumemus.

Et id quod Andradius de Matthæo contendit, non grauatim recipio, scripsisse scilicet illum, cum Paulus iam Romæ esset. Aequum enim est, vt antiquissimum potius Irenæi & Eusebii in historia Ecclesiastica, quam recentium, vel Theophylacti de octo, vel Nicephori de 15. annis, sententiā sequamur. Et hanc supputationem, ideo libentius recipio, deducet enim nos ad primatū & illustrem originē scripturæ noui Testamenti. Si. n. Matthæus tunc primum scripsit, cum Paulus Romæ euangelizaret, sicut Irenæus loquitur, erit quidem primus inter Euangelistas, iuxta omnium antiquorū sententiā, sed non erit primus inter eos, qui doctrinam Apostolicam literis cœperunt commendare: Paulus enim priusquam Romam uinctus duceretur, aliquot iam Epistolas conscriptas ediderat, id quod ex historia Actorum manifeste colligitur, sicut supra ostēdimus. Quæro autē, fueritne aliquid ab Apostolis conscriptum, priusquam Paulus primas suas epistolas ediderit? Et inuenio Acto. 15. Apostolos & Seniores in primo & celeberrimo concilio Apostolico, re diligenter deliberata, & cōmunibus suffragiis scripsisse epistolam ad Ecclesias ex gentibus collectas. Nec reperio ante illam Epistolam, aliquid ab Apostolis literis mandatum fuisse, si Andradii supputationem de Euangelistis sequamur. Hæc igitur erit prima origo, hoc primū principium Scripturæ diuinitus inspiratæ, in nouo Testamento, quod ita esse, Andradius iuxta suam de Matthæo supputationem, negare non poterit. Sicut igitur Scripturæ sacræ in veteri Testamento, originem valde illustrē inuenimus, cū scilicet Deus ipse primus, verba Decalogi suis digitis in tabulas exarauit, ita Andradius præbuit mihi occasionē sua

*Matthæus
quando scripsit.*

*Apostoli pri-
mo scribunt
epistolam ad
concilio.*

Scriptura noui Testamenti à quibus & quando inchoata.

supputatione, ad inuestigandâ magnificam & illustrem primam originem scripturæ in nouo Test. quod scilicet initium literis consignandi doctrinâ Apostolicam factum fuerit, non ab vno aliquo ex Apostolis, priuato quodam consilio, sed cum Apostoli omnes, & etiam presbyteri Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in primo & celeberrimo concilio Apostolico cõgregati essent, communibus suffragiis, & re diligenter deliberata, conscripta & edita est Epistola, complectens sententiam Apostolorum, de qua tunc moræ erant cõtrouersia. Et hoc esse primum scriptum, ab Apostolis in nouo Testamento editum, Andradius, si sibi constare voluerit, negare nõ poterit. Neq; enim certis testimoniis docere poterit, ante concilium illud Apostolorum quicquam de Scriptura, diuinitus inspirata, in nouo Testamento conscriptum fuisse. Theophylacti enim supputationem non recipit, & meo quidem iudicio, merito, Nec arbitror ipsum Apocrypham Epistolam, quæ sub Christi Seruatoris nomine, ad Abgarum Toparchen Edeffenum, apud Eusebium extat, in numerum Scripturæ Canonice collocare.

Erit igitur hæc, quam ostendimus, prima origo Scripturæ diuinitus inspiratæ in nouo Test. cuius hoc erit emblemata: Visum est Spiritui sancto, & nobis, Et sicut primum traditione viuæ vocis, Lex exiit ex Zion, & verbum ex Ierusalem, ita etiam prima Scriptura noui Testamenti exiit ex Zion, & principium cœpit in Ierusalém: quod ipsum ad dignitatem & auctoritatem Scripturæ, nõ parum facit.

Ethæc ipsa prima origo, si recte consideretur, ostendit id, de quo disputamus, propter quas scilicet causas, qua occasione, quo consilio, & in quæ Ecclesiæ usum doctrina Apostolica literis cœperit consignari. Ipsa enim prima Apostolica epistola his verbis utitur: Quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos sermonibus, docentes circumcisionem & obseruationem legis, quibus id nõ mandauimus, &c. Quia igitur sub prætextu, & titulo traditionum Apostolicarum sparsis adulterinis & supposititiis dogmatibus, Ecclesiæ turbabantur, visum est Apostolis & presbyteris cum tota Ecclesia, veram de illa cõtrouersia Apostolorum sententiam scripto comprehendere. Et hæc fuit occasio primi Apostolici scripti. Finis verò & vsus hic fuit, vt ex scripto Ecclesiæ certo constaret, de vera & genuina Apostolorum sententia, ne quis sicut antea factum fuerat, adulterinam & supposititiâ sententiâ hoc titulo quasi ab Apostolis traditam & acceptam, Ecclesiis obtrudere posset. Experientia igitur in ipsis primis Apostolicæ prædicationis annis ostendit, in tantis diaboli insidiis, mundi malitia, & ingenij humani petulantia, puritatē doctrinæ Apostolicæ, per traditiones non fideliter conseruari, sed sub prætextu traditionum Apostolicarum, doctrinam adulterari, cum Apostoli ipsi, Ecclesia per varias terras sparsa, non possent vbiq; viuâ voce præsentem esse. Et propter hanc causam, in prima Apostolorum Synodo, cœpta est scriptio doctrinæ Apostolicæ.

Est & hoc in prima Apostolica epistola notandum, quod scribunt se misisse Iudam & Silam, vt illa ipsa & eadem annunciant, quæ ipsi Epistola sua complexi erant. Quare autem nõ iusserunt potius Ecclesias contentas esse traditione viuæ vocis, per Iudam & Silam sine scripto nisi quod propter periculum commentitiarum traditionum, rationem hanc certitudinis iudicauerunt Ecclesiæ vtilem & necessariam esse, vt Iudas & Silas, qui ab Apostolis mā-

data acceperant ad Ecclesiam perferenda, ex scripto ostendere & probare possent, non incerta, ad alteram, vel falsam, sed genuinam & veram esse quæ afferrent & traderent. Et Lucas mox subiicit, ipsos multis verbis & longa oratione hoc fecisse, & tamen illa, quæ longe pluribus explicauerunt, non fuerunt contraria, non diuersa, imò nõ alia præter illa, quæ scripta fuerant, sed τὰ αὐτὰ, sicut Apostolorum epistola inquit: non quod illas literas & syllabas tantum ingeminarunt, sed sententia fuit vna & eadem pluribus quidem verbis, & prolixius à Iuda & Sila explicata. In summa autem & breui compendio, quantum sufficiebat & necessarium erat, in Apostolorum scripto comprehensa.

Et hæc ipsa obseruatio de prima origine scripturæ in nouo Testamento ostendit fontes explicationum, quando Pontificij obiiciunt, Apostolos frequentius & pluribus docuisse, quàm quæ paucis illis Scripturæ paginis potuerint omnia comprehendere.

Sed de reliquis etiam scriptis noui Testamenti inquirendum est, propter quas causas, quo consilio, & in quem usum conscripta & edita sint, hoc enim supra diximus statum esse huius disputationis. Et si ordinem temporis sequi liberet, prius de Epistolis quibusdam Pauli dicendum esset, sed ordinis gratia primum de Euangelistarum scriptis, postea de Apostolorum epistolis dicemus.

DE SCRIPTIS EVANGELISTARUM.

Illud igitur probandum est, Euangelistas propter hanc causam, hoc consilio, & in hunc usum, historias suas conscripsisse, vt literis ad posteritatem commendata extarent, quæ Apostoli de dictis & factis Domini, Ecclesiam ad posteritatem scire, necessarium iudicauerunt.

Omnium autem consensu Matthæus, primus inter quatuor Euangelistas, historiam suam conscripsit. De occasione autem & consilio scribendi, Eusebius hoc annotauit li. 3. ca. 24. Matthæus cum primum Ebræis prædicasset, & iam ad alios quoque transiturus erat, Euangelium suum patrio sermone literis tradidit, & quod subtrahebat sua præsentia desiderare possent illi, à quibus discedebat, per literas adimpleuit. Nicephorus li. 2. ca. 45. hanc sententiam ita expressit: Discedens absentiam suam scripto præsentem compensauit.

Thomas citat hanc Hieronymi descriptionem: Matthæus in Iudæa Euangelium edidit, ob eorum maxime causam, qui Ierosolymis ex Iudæis crediderant. Cum enim primum prædicasset Euangelium viuâ voce, volens transire ad gentes, primus Euangelium conscripsit, quod fratribus à quibus ibat, in memoria dereliquit. Sicut enim necesse fuit ad confirmationem fidei, Euangelium prædicari, sic & contra hæreticos scribi.

Chrysofomus homilia prima, in Matthæum ita inquit: Matthæus scripsit, accedentibus his qui ex Iudæis Christo crediderant, & rogantibus, vt quæ verbis docuisset, hæc eis in literis seruanda dimitteret.

Autor operis imperfecti in Matthæum, quod sub Chrysofomi nomine extat, occasionem scribendi ita recitat. Cum facta esset grauis persecutio in Palestina, vt periclitarentur dispergi omnes, ne carentes doctoribus, doctrina etiam carerent, petierunt Matthæum, vt omnium verborum & operum Christi conscriberet eis historiam, vt vbiq; essent futuri, totius secum haberent fidei statum.

Thomas

Scriptura noui Testamenti occasio & causa.

Scriptura noui Testamenti finis & vsus.

Matthæi Evangelium quo consilio & occasione scriptum.

Thomas illam sententiam ita recitat: Petierunt Matthæum, vt dispergendis totius fidei, quam viua voce tradiderat summam, scripto complecteretur, &c. Et hæc narratio de persequutione, non malè congruit ad tempus scriptionis iuxta Irenæum. Circa 20. enim ab ascensione Christi annum, Iudæam miserabiliter afflictam fuisse à magis & latronibus author est Iosiphus. Accessit captiuitas Pauli, quæ videbatur omnibus Christianis periculum minari.

Causæ igitur propter quas Matthæus Euangelium suum conscripfit, hæc sunt. Primò, Vt quod propter discessum, presens viua voce, docendo & confirmando præstare non poterat, id absens scripto, seu per literas præstaret. Secundò, quia memoria fragilis & labilis est; vt quæ docuerat ea literis seruanda dimitteret. Tertio, vt totius fidei statum, & summam scripto comprehensam haberent, qui viua Apostolorum voce uti non possent. Quarto, propter hæreticos necesse fuit doctrinam Euangelij scribi, ne Ecclesiæ falsa, supposititia, & adulterina, sub nomine Euangelij obtruderentur. Et Irenæus scriptionem Matthæi, primum exemplum ponit eius, quod dixerat: Apostoli quod præconauerunt per Dei voluntatem, postea in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.

Lindanus leti pede hæc transit, fingens tantum *μνημόστυχον* fuisse, sicut de amicorum munusculis dicitur.

Esse sui dederat monumentum & pignus amoris.

Sed ea quæ manifesta sunt, non patiuntur se tam facile eludi.

Euangelij secundum Matthæum & eius. Norandum est & hoc, quem ipsi Apostoli, & viri Apostolici iudicauerint vsum esse Euangelij à Matthæo conscripti.

Hieronymus scribit, Pantænium cum à Demetrio Episcopo Alexandrino missus esset in Indiam, reperisse Bartholomæum ibi prædicasse aduentum Christi, iuxta Matthæi Euangelium, quod etiã Hebraicè scriptum, inde secum attulerit Alexandriam.

Nicephorus lib. 4. cap. 32. historiam illam ita recitat: Apud quosdam fideles in India Matthæi Euangelium inuentum esse Hebraico sermone, à Bartholomæo expositum, quod in multa tempora formas literarum eius, qui id primò scripsit, illasas conseruauit.

Idem etiam lib. 17. cap. 36. refert in Barnabæ tumulto Euangelium Matthæi repertum fuisse, ipsius Barnabæ manibus scriptum. Ipsi igitur & Apostoli, & viri Apostolici, reuerenter de Euangelio Matthæi senserunt, & quis debeat eius vsus esse in Ecclesiã, suo exemplo ostenderunt.

Marcum plerique omnes secundo loco, post Matthæum scripsisse consentiunt. Clemens verò Alexandrinus, Lucam præponit Marco: Irenæus etiam Marcum post mortem Petri & Pauli scripsisse refert. Sed de ordine & tempore non disputabimus. Illud verò vtilius quæritur, quâ occasione, & quo consilio scripsit, quæque sit scripti ipsius autoritas.

Eusebius ex Clemente hanc historiam recitat lib. 1. cap. 15. quam Nicephorus repetit lib. 2. cap. 15. Cum Euangelium in Occidentem venisset, tantus pietatis splendor mentibus illorum, qui Petrum audierant, illuxit, vt non possent contenti esse, non scripta diuinæ prædicationis doctrina, aut in iis, quæ sine scripto, de diuino verbo didicissent permanere: sed Marcum magna animorum contentione obtestati suat, vt commentarios eius doctrinæ,

quam verbo sine scripto traditam acceperant, literis comprehensam ipsis relinquere. Aiunt autem, Apostolum Petrum, cum ex instinctu Spiritus sancti hoc cognouisset, delectatum esse virosum illorum voluntate, & scriptum hoc iudicio suo comprobasse & confirmasse, vtque in Ecclesiis legeretur, constitui.

Nicephorus lib. 2. cap. 45. dicit, Petrum dictasse Marco Euangelium, atque vt id in Ecclesiis deinceps legeretur, sanxisset. *Nicephorus.*

Eusebius lib. 3. cap. 39. & Nicephorus lib. 3. ca. 20. ex Papiæ referunt, Marcum ordinis quidem negligentem fuisse, hoc verò vobis cum sibi in scribendo proposuisset, ne quid eorum quæ audierat omitteret, aut qua in re, quod falsum esset traderet. *Eusebius.*

Irenæus lib. 3. cap. 1. Marcus discipulus & interpres Petri, ea quæ annūciata erant, nobis tradidit. *Irenæus.*

Pighius delectatur Ruffini verbis, qui Euangelium Marci, vocat religiosum furtum: vt scilicet eò facilius Scripturæ autoritatem possit extenuare. Sed quo consilio in literas relatum sit Marci Euangelium, & quam eius autoritatem Petrus in Ecclesiis esse voluerit, ex illis quæ annotata sunt, lector intelligit. Et videbit, quàm frivola & peregrina Pontificij ad hæc clarissima testimonia respondeant. *Ruffinus de Euangelio Marci.*

De Luca, quo is consilio historiam suam conscripserit, non opus est aliorum testimonia cõquirere. Ipse enim in præmio disertè explicat, quâ occasione, & propter quam causam scriptionem suam instituerit: quia scilicet multi tentabant, nec satis diligenter nec certò, nec fideliter contexere narrationem, de iis quæ Iesus cœpit facere & docere. Potest autem *ἀνατάξασθαι*, & ad traditiones & ad scriptiones referri: vtroque enim modo, tunc fuit adulterata & deprauata doctrina Euangelij. Et ex antithesi obseruetur, vnde potissimum factum fuerit, Lucas enim ea, quæ scribit, vocat *πειροφόρον*, certissimæ fidei, quæ diligenter & certò affectus sit. Inde ergo corruptelæ oriri cœperunt tempore Apostolorum, quod vel falsa, vel supposititia, vel non satis cõperta, pro certis & veris tradebantur vel voce, vel scripto, ab illis, qui *ἀληθοφάνειαν* doctrinæ Euangelicæ non satis certò affecti fuerat. *Luca Euangelium.*

Euangelij secundum Lucam scripti occasio.

Quale verò remedium huic periculo adulterationis doctrinæ, tempore Apostolorum oppositum fuit? Nam existimant, traditionibus viuæ vocis, animis credentium receptis, & cordibus inscriptis, posse certò & tutò ad posteritatem, contra corruptelarum discrimina, puritatem doctrinæ conseruari?

Certè Theophilus erat *κατηχηθεὶς*, hoc est, doctrinam Euangelij viua voce, ex veris Apostolorum traditionibus acceperat, sed propter eius doctrinam *ἀσφαλίσαν*, Lucas dicit, se Euangelium suum conscripsisse. Pulcherrimè autè hoc vocabulo descripsit, certam & firmam custodiam & conseruationem puritatis doctrinæ, contra quæuis pericula & insidias corruptelarum.

Verbum enim *ἀσφαλίζειν* ita vsurpatur, quando accurata custodia aliquid ita asseruatur, vt caueatur, ne vel elabatur, vel amittatur. Ita Acto. 16. custodia captiuorum, hoc vocabulo describitur. Et Matthæi 27. Iudæi petunt sepulchrum Christi *ἀσφαλίσασθαι*. Usurpatur etiam vocabulum illud, quando contra ingruentem vim aliquid ita munitur & firmatur, vt tutum & illasum retineri & conseruari possit, vt cum oppida munitionibus & præ-

Euangelij à Marco conscripti occasio.

& præfidis firmantur: cum caput galea munitur: cum fores pessulo firmantur: qualia exempla multa extant apud autores.

Propter talem igitur puritatis doctrinæ ἀσφάλειαν, contra corruptelarum incurfiones, dicit se Lucas Euangelium suum conscripisse. Et eodem vocabulo Paulus etiam de suis scriptis vtitur, Philip. 3. sicut post ea annotabimus.

Theophylactus duobus modis vocabulum illud explicat. I. Prius te sine scriptis institui, nunc scriptum tibi trado Euangelium, atq; ita mentem tuam munito, vt ne obliuiscatur eorum, quæ sine scriptis tradita sunt. II. Solemus sæpe, quâdo quis nobis sine scripto loquitur, suspicari nequid fortè mendacij admixtum sit: quando autem etiâ scribit quæ loquitur, tunc credimus, quod non scripserit, nisi vera se dicere consideret. Ita Lucas inquit: Scripsi tibi Euangelium, vt ea de quibus sine scripto eruditus es, in maiori securitate cõserues, maioremq; mihi fidem habeas, qui ad eò de his, quæ sine scripto docui, confidam, vt etiam scripturis prodete non formidarim. Hæc Theophylactus.

Certum igitur & manifestum est, qua occasione, propter quam causam, quo consilio, & in quem finem Lucas Euangelium suum conscripserit, Eusebius lib. 3. cap. 24. de Luca inquit: Necessariò nos à dubia aliorum opinione liberaus, dum certâ ipse narrationem per Euangelium suum tradit. Quid verò Lectori expectandum sit ex illo scripto, ipse etiam explicat. Dicit enim, se ea descripsisse, quæ de dictis & gestis Saluatoris inter Christianos, tunc fuerint *πεπληροφορημένα*, hoc est nota, certa & indubitata, & de quibus soliti fuerant catechisari. Et ita se descripsisse ait, sicut Ecclesiæ tradiderunt ei, qui ab initio fuerant spectatores & ministri doctrinæ Euangelicæ. Apostolos igitur viua voce, sine scripto, primum doctrinam Christi tradidisse, nullum est dubium. Num autem traditiones illæ Apostolorum manserunt, & relictæ sunt sine scripto? Certè Lucas affirmat, se ea, & quidem eodem modo scripto complexum esse, sicut Apostoli doctrinam de factis & dictis Christi, Ecclesiæ tradiderunt. Et quare traditiones illas in literis retulerit, supra ostensum est. Irenæus lib. 3. cap. 14. pulchrè hac in re confert præceptorem Paulum, & discipulum Lucam. Paulus Miletu euocatis presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ dicit: Non subtraxi vobis, vt non annunciarem omnem sententiam Dei. Lucas verò sine inuidia quæ didicerat, tradidit, inquit: sicut tradiderunt nobis, &c. Hæc Irenæus.

Ambrosius illud expendit, quod cum Lucas affirmet, se assecutum omnia, non tamen omnia, sed de omnibus se scripsisse dicit, Actor. 1.

Chrysostom. quærit, quomodo Lucas affirmat se de omnibus scripsisse, quæ Iesus cœpit facere & docere, cum Ioannes dicat, hoc esse impossibile. Respondet autem: Non dixit omnia, sed de omnibus, perinde ac si quis dicat summam & in genere, Aut de omnibus loquitur, quæ necessaria sunt.

Hæc pro autoritate Scripturæ, contra prætextum traditionum non scriptarum, sicut illæ nostro tempore à Pontificiis iactantur, profectò manifestissima sunt.

Restat vt de quarto, hoc est, de Iohanne dicamus. Observatio enim historiæ de ipsius scriptione, multa ad hanc disputationem pertinentia monebit. Cum iam edita essent, & in Ecclesia extarent trium Euangelistarum scripta: Apostoli viuentes adhuc,

docebant de gestis Christi, & ea quæ à tribus Euangelistis conscripta extabant, & quæ præterea facta & dicta esse, memoria tenebant, vt rectè tunc ab Apostolis, de gestis Christi vsurpari potuerit illa Pauli vox 2. Theff. 2. Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem nostrum, siue per trium Euangelistarum scripta.

Vide autem quid factum fuerit. Cum reliqui Apostoli morte essent sublatis, & Ioannes in Pathmò esset relegatus: Ebion & Cherintus, motis certaminibus de Christi diuinitate, de regno eius terreno, de Leuiticis obseruationibus, &c. Ecclesias miserè perturbarunt. Sed audi quæso, qua ratione, qua specie, & quo prætextu hoc fecerint, Eusebius lib. 3. cap. 28. citat ex Caio, Cherintum prætextu reuelationum, velut à magno Apostolo acceptarum, portentosa sua dogmata voluisse in Ecclesiâ inuhere. Et addit ipsum fuisse inimicū Scripturis Dei: Quia igitur in recenti adhuc Ecclesiæ memoria erat, Apostolos de gestis & cõcionibus Saluatoris tradidisse alia quædam, præter illa, quæ in triū Euangelistarum historiis conscripta extabant: Cherintus & reliqui hoc prætextu abusi sunt, & adulterina sua dogmata, quæ ex Apostolicis scriptis, quæ tunc extabant, probare non poterant, proponerent hac specie, quod Apostoli viua voce talia docuissent: & ad illas commentitias traditiones cõtendebant inflectenda esse ea, quæ scripta erant. Ad hæc certamina respicit Ioannes, Apocal. 2. cum inquit: Examinaui eos, qui gloriantur se esse Apostolos, & non sunt. Item Isabel, quæ dicit se esse prophetissam, &c. Iactarunt igitur & reuelationes & traditiones, quibus Apostolicam auctoritatem tribui voluerint. Et sicut Ioannes inquit in Epistola ad Thyatherenses, illa sua dogmata vocarunt *τὰ βιβλία*, hoc est, non vulgaria illa Apostolorum dogmata, quæ omnibus in Ecclesia, ex scriptis etiam nota erant, sed profunda, recondita & abstrusa mysteria, quæ Apostoli non cuius ex vulgo, sed priuatim suis familiaribus viua voce, vt mysteria silentio veneranda, per manus tradiderant. Ioannes verò vocat profunda non Apostolorum, sed Satanæ.

Et illud certamen hac specie motū, valde turbauit Ecclesias. Negare enim non poterant, quia recens adhuc erat memoria, Apostolos de gestis Christi, plura viua voce tradidisse, quàm quæ scriptis trium Euangelistarum comprehensa erant. Et quia reliqui Apostoli iam morte sublatis erant, Iohanni Deus longiorem vitam, post reliquorū Apostolorum mortem, sine dubio id eò concessit, vt Apostolica vigiliantia Ecclesiæ ad omnem posteritatem prospiceretur, ne vel supposititiæ traditiones, vel adulterina scripta, pro vera & genuina Apostolorum doctrina, Ecclesiis obruderentur.

Cum igitur Ioannes ab exilio ex Pathmo, in Asiam reuersus esset, controuersia illa à Cherinto & aliis interea motæ, ad ipsum, tanquam ad postremum ex Apostolis vigilem & inspectorem examinandæ & diudicandæ delatæ sunt, non tantū ab Episcopis Asiæ, verum etiam multorū fidelium, & totius Ecclesiæ legationibus, sicut Hieronymus inquit. Ibi Ioannes, sicut Eusebius scribit, libro tertio, cap. 24. trium Euangelistarum scripta probauit, & veritatis illis dedit testimonium. Quia verò hæc quæstio magnis tunc tumultibus agitabatur: An omnia, quæ Dominus fecisset & docuisset, quæq; Apostoli de ipsius gestis tradidissent, comprehensa essent in scriptis triū Euangelistarū,

Lucas quæ
qualia scri-
pserit.

Ambrosius.

Chrysostom.

Ioannis Eu-
angelium.

an verò plura essent tradita, quam scripta? Ne igitur Ecclesia ad posteritatem, quouis vento & prætextu traditionum circumferretur, sed certa esset de doctrina ab Apostolis de gestis Christi tradita: Ioannes data sibi hac occasione, ea quæ præter triū Euangelistarū narrationes & facta sciebat, & tradita nouerat, quæq; Spiritus sanctus Ecclesiæ ad omnem posteritatem necessaria & sufficientia iudicabat, conscripta sua Euangelica historia adiecit, & Ecclesiæ exposuit. Et quia Ebion solum Matthæi Euangelium recipiebat, cui peculiare interpretationes, quasi ex traditione acceptas affingebat, Ioannes cõcionibus Christi accuratius quam reliqui fecerant descriptis, inde veram interpretationem sumendam esse monstrauit.

Hæc vera obseruatio, de occasione & causa scriptiõnis Iohannis, valde multa monet. Num verò postquam Ioannes etiam scripsit, singula quæ Iesus fecit & dixit, scriptis comprehensa sunt? Nequaquam. Ipse Ioannes enim ita concludit: Sunt & alia multa quæ Iesus fecit, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scriberentur, libros. Non ergo omnia de doctrina Christi, quæ necessaria sunt, & quæ sufficientiant in Euangelistarum scriptis habebimus, sed præter ea, alia etiam ex traditionibus, ad fidem & salutem necessaria erunt? Hoc quidem Pontificij pugnant. Sed audi, quid Ioannes dicat: Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credetes vitã habeatis in nomine eius.

Lindanus, vt hæc verba eludat, dicit Ioannem de vno illo articulo, de diuinitate scilicet Christi, in sua scriptiõne egisse. Sed certũ & manifestum est, de doctrina & miraculis Christi, ea quæ in reliquorum Euangelistarū descriptionibus deerant, ipsum adiecere voluisse. Summã verò & finem totius doctrinæ Christi, ponit veram fidem, salutem & vitã æternã. Et illa quæ de Christi doctrina, ad veram fidem & salutem necessaria sunt & sufficiunt, Ioannes affirmat scripta esse. Res igitur manifesta est, licet nec omnia, nec singula, illa tamen tot & tanta, de doctrina & miraculis Christi conscripta esse, quæ ad veram fidem, & ad vitam æternã necessaria sunt, & sufficiunt. Non enim de sua tantum scriptiõne, sed de reliquorum etiam Euangelistarū scriptis, Iohannes hæc loquitur, sicut veteres omnes interpretantur. Qui ergo præter illa adhuc alia de doctrina Christi querunt, manifestũ est quòd nec fidem nec salutem, sed perfidiam & perditionem querant. Hæc enim scripta sunt vt credatis, & credentes vitã habeatis, inquit Ioannes. Quare verò Spiritus sanctus non voluerit singula conscribi, rationem reddit Ioannes non vt ex scrinio peccatoris Pontificis Romani, titulo & prætextu traditionum, quiduis in Ecclesiam eructaretur, sed quia mundus, inquit, non caperet. Et Augustinus rectè dicit, intelligendum hoc esse non de mole librorum, nec de locali capacitate, sed quòd Spiritus sanctus nostri habuerit rationem, & ea selegerit conscribenda, quæ in hac infirmitate credentes capere possent. Grata igitur mente, & reuerenter debemus illud Spiritus beneficium amplecti & osculari, quòd ad nostrã se demiserit infirmitatem, & noluerit illam nimiam onerare, sed de doctrina & miraculis Christi ea selegit & dictauit conscribenda, quæ ad verã fidem, & vitam æternã sufficere & necessaria esse iudicauit.

Hic verò Andradius exclamat: Ergone reliqua quæ Christus fecit & dixit, quæ scripta non sunt,

fuerunt ociosa & inutilia ad fidem & ad mores. Inanem igitur laborẽ, & ociosam operam exceptis illis quæ scripta sunt, in cæteris omnibus Christus posuit, quæ nihil erant futuris seculis profutura? Sed nos simpliciter respondemus verbis Ioannis, si singula scriberentur, mundus non caperet omnes libros. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, & per fidem vitam habeatis. Nec propterea ociosa & inutilia fuerunt reliqua, quando easdem conciones, & similia miracula sæpius repetiuit, confirmanda enim erat illa doctrina, cuius summa cum confirmata esset, postea per Dei voluntatem cõscripta est.

Ita obiicit etiam hoc Andradius: Christus post resurrectionem per 40. dies, de regno Dei permulatus locutus est, quæ à nemine Euangelistarum scripta extant, & tamen non fuisse tam parui momenti, existimandum est, vt ociosa iudicari potuerint. Sed respondemus id, quòd Augustinus de illa Christi sententia Io. 16. Multa habeo dicere, &c. cum Euangelistæ tacuerint, quis nostrũ dicat ista vel illa fuisse, aut si dicere audeat, vnde probabit? quis tam vanus aut temerarius, qui etiãsi vera dicat, sine villo diuino testimonio affirmet ea esse, quæ Spiritus sanctus per Euangelistas scribere noluit. Quis hoc nostrum facit, & nõ maximam culpã temeritatis incurrat, in quo nec Prophetica, nec Apostolica excellit auctoritas? Sed tamẽ quæ illa fuerint, quæ de regno Dei Christi locutus est Apostolis, cum mentem ipsis aperiret, ex Apostolorum scriptis certò colligere possumus?

Opera precium autem est obseruare, memorabile artificij Andradii, quòd sine dubio in Concilio Tridentino didicit. Contra Iesuitas allegauerat Augustini & Cyrilli sententias, ex doctrina & miraculis Christi electa esse ea, quæ conscriberentur, quæ saluti fidelium tam ad mores, quàm ad dogmata à Spiritu sancto, iudicata sunt sufficere. Quid verò existimas bone Lector, contra hæc tam clara testimonia, quæ radio solis (sicut Tertullianus loquitur) scripta videri possent, Andradiũ contra Scripturæ sufficientiam, pro traditionibus præferre posse? Dicam tibi, primũ strenuẽ maledicit, nos gænonum more, mutilis & decurtatis sanctorum testimoniis agere, vt imperitam multitudinem circumueniamus. Nos verò Dei beneficio & possumus & solemus, ipsorum authorum loca inspicere, nec ex solis commentariis sapere. Sed audiamus sanè, quòd artificij Andradius aliam sententiam ex illis dictis Augustini & Cyrilli exculpere possit. Torno autem supercilio quasi ex Tridentinis subselliis dicitur. Quando Augustinus inquit: Electa sunt quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt, nequaquam hæc esse sententiam, omnia fidei nostræ sacramenta Euangelistas paruo volumine complexos, sed ea tantum literis consignasse, quæ ad cõstituendam fidem aliarum rerum omnium, quæ literis comprehensa sunt, sufficere non poterant. Audax profectò est interpretatio. Sed quid sunt hæc Augustini verba? Non sunt, sed Andradii. Atqui receperat, se ex Augustini verbis, hæc nobis sententiam monstrare velle. Audi verò, quomodo hoc præstet. Augustinus dicit miraculum resuscitati Lazari fidem facere. I. Christum esse illum Deum, qui omnia, quæ vniuersitatis ambitu continentur, creauit. II. quòd in fine seculi, omnes mortuos resuscitaturus, vt credamus in eum, & ad illã resurrectionem præparemur, quæ erit ad vitam non ad iudiciũ. III. dicit resuscitatione Lazari, figurari resurrectionem animarum, quæ magna Dei gratia, per

fidem

fidem sit, ne moriantur in æternum, &c. Et hinc Andradius vult probare, Augustinum loqui de fide illarum rerum, quæ sacris literis comprehensæ non sunt. Atqui ego hæcenus, pro mea simplicitate credidi, articulos istos, de quibus Augustinus loquitur, expressè in sacris literis contineri. Et iam animum subibat admiratio, quomodo homo sanus, nisi per febrè forsan somnare posset, ex illis Augustini verbis extrui posse id, quod Andradius dicitur, sed non meminere, Andradium Tridenti in Concilio hoc scripsisse, ubi ius & plenaria autoritas est taliù interpretationù, nec cuiquã liberũ est dicere: Quid facis? Oporteret pfectò magnam esse vel insolentiã, vel impudentiã Andradij, qui existimat, se talia posse Germaniæ sua grandiloquentia persuadere. Eiusdem fatinæ etiã est altera interpretatio. Cyrillus dicit: Non omnia quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quam ad dogmata putarunt sufficere. Andradius vero tradit talè interpretationè, Cyrillum his verbis non asserere, fidei omnia Sacramenta sacris esse literis explicata sed tantum ea, quæ ad credendum, omnia diuina mysteria (quæ scilicet in Scriptura comprehensa non sunt) sufficere possunt. Nihil addam, manifestum enim est, quàm petulans & superba sit hæc Andradij non explicatio, sed ludificatio, si ad verba Cyrilli conferatur. Et quale putas Conciliũ fuisse, in quo tales interpretationes regnarunt? Exempli sanè gratia, vtile est talia Pontificiorũ artificia extare. Et quidè ipse Andradius suæ ludificationi non satis fidit, ided alia quærit effugia. Affirmat Cyrillũ de solo Euangelio Ioannis hoc dixisse. Sed Cyrilli verba sunt, quæ scribentes putarunt sufficere: Num is solus Ioannes est? O os impudens. Postremò concludit, vt maximè sit Augustini & Cyrilli sententia, conscripta esse, quæ ad mores, fidè, & ad salutem sufficiunt, communè tamen consensum, quo contrarium statuitur, esse præferendum.

Repeto igitur illas Augustini & Cyrilli sententias, quas nunc magis amo, cum videam illos tam firma perspicuitate, auctoritatem & sufficientiam Scripturæ, de doctrina Christi asserere, vt cum Andradius omnibus acerbis & grandiloquentiæ neruis, toto denique Tridentino artificio illas variis modis incantare, & transformare conatus sit, nihil tamen inde, præter extremæ impudentiæ notam retulerit. Sunt autem hæc sententiæ, de tota historia Evangelica, quatuor Euangelistarum. Augustinus tractatu in Ioann. 49. cum multa fecisset Dominus Iesus, non omnia scripta sunt, electa sunt autem, quæ scriberentur, quæ saluti credentiũ sufficere visa sunt. Cyrillus lib. 12. in Ioan. Non igitur omnia quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quam ad dogmata putarunt sufficere, vt recta fide & operibus, ac virtute rutilantes, ad regnum cœlorum perueniamus per Iesum Christum.

Addam adhuc vnã sententiam Augustini, de confer. Euangelist. lib. 1. cap. 35. vbi refutat illos, qui discipulos Christi, Euangeliũ conscribentes, ided contemnendos putant, quia ipsius Christi nulla scripta pferantur à nobis. Christus (inquit) omnibus discipulis suis, per hominem quem assumpsit, tanquã membris sui corporis, caput est. Itaq; cum illi scripserunt, quæ ille ostendit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra id operata sunt, quod dictante capite cognouerunt. Quicquid enim ille de suis factis

& dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquã suis manibus imperauit. Hæc Augustinus. Agnosce autè candide Lector, quis intelligendus sit author & censor, quado in præcedentibus sententiis dicitur: Quæ visa sunt sufficere, quæ scribentes putarunt sufficere. Sed in postrema hac sententia, Andradius statim inueniet rimã qua elabatur, Augustinus enim dicit, quæ de suis factis & dictis Christus nos legere voluit, ea Euangelistis describenda mandauit. Andradius verò dicit. Non omnia voluit nos legere in Euangelistarum scriptis, sed maximã partem de suis dictis & factis, tanquã præcipui precij thesaurum, ex traditionibus non scriptis, sed per manus traditis nos audire voluit. Sed lector videt, August. hoc nec velle, nec dicere. Et quæ hoc titulo nunc à Pontific. iactantur, ea certè legimus in Pighio, Perezio, Lindano, Osio, in Pontificali, in Rationali diuinorũ, in Tomis conciliorum, &c. Augustinus verò dicit: Quicquid de suis dictis & factis Christus nos legere voluit, illud scribendum Euangelistis, tanquam suis manibus imperauit. Christus igitur non voluit, vt apud alios scriptores, de suis factis & dictis aliquid, quod in illis, quæ apud quatuor Euangelistas descripta extant, non continetur, legamus. Quicquid ergo præter hæc ab aliis de Christi dictis & factis scriptũ est, illud certum est, Christũ non imperasse scribendum, nec voluisse, vt illud legamus. Quicquid enim de suis dictis & factis Christus nos legere voluit, illud scribendum Euangelistis, tanquã suis manibus imperauit. Quando igitur Pontificij fabulatur, Christum instituisse confessionem Chrismatism, Sacramentũ confirmationis, extremæ vnctionis, auricularis confessionis, satisfactionis, indulgentias, purgatoriu, Missam, inuocationè Sanctorum, adorationem imaginũ, vtrumq; gladũ Pontificis, & scriniũ in pectore eius, & similia quæ sub hoc titulo in Pontificiorum scriptis legimus, opponimus hanc Augustini sententiã. Quicquid de tais factis & dictis Christus nos legere voluit, illud scribendum Euangelistis, tanquã suis manibus imperauit. Quid ergo de illis, quæ apud Euangelistas non legimus, & tamè hoc titulo venditantur, quod sint facta & dicta Christi, iudicandum sit, manifestũ est. Loquimur autè non de literis & syllabis, sed de sententia: sicut eius dicti quod Paulus recitat, Acto. 20. Beatus est dare, quam accipere, &c. sententiã extat in multis concionibus Christi. Irenæus autor est, quatuor illa conscripta Euangelia fuisse in primitiua Ecclesia normã, amissimã & regulam, ad quam exigebantur, à quocunq; aliquid, quasi de factis & dictis Christi proponebatur: & quod illis consentaneum inueniebatur, recipiebatur, quod verò vel dissentiebat vel repugnabat, liberè repudiabatur.

Ita autem inquit Irenæus, libro tertio, capite 1. Nec plura numero, nec tuius pauciora capio esse Euangelia quàm quatuor illa. Quoniam enim quatuor sunt regiones mundi, & disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem & firmamentum Ecclesiæ est Euangelium & spiritus vitæ, consequens est, quatuor habere eam columnas vndiq; stantes incorruptibilitatem, & iustificantes homines. Et postea subd. Hi verò, qui sunt à Valentino suas conscriptiones proferentes plura habere gloriãntur, quàm sint ipsi (scilicet conscripta) Euangelia, siquidem in tantum processerunt audaciæ, vt quod ab his non olim conscriptum est, veritatis titulent Euangelium, in nihilo conueniens

Cyrillus.

Concil. Trid.

Augustinus.

Cyrillus.

Augustinus.

Papistarũ de
scriptura &
traditionibus
sententia.Irenæus de
scriptis Euã-
gelistarum.

hiens Apostolorum Euangeliis. Si enim quod ab eis profertur, veritatis est Euangelium: Dissimile autem est hoc illis, quæ ab Apostolis nobis tradita sunt, qui volunt, possunt dicere, quemadmodum ex ipsis Scripturis ostenditur iam non esse, id quod ab Apostolis traditum est veritatis Euangelium.

Thomas etiam in Marcum inquit: Oportuit Euangelium non solum prædicari propter præsentem, sed etiam scribi propter futuros. Et hæc tenus quantum satis est, ostendimus, quibus de causis, quo consilio, quo proposito & instituto, Euangelistæ historiam de dictis & factis Christi, literis consignarint, quæ voluerint illorum scriptorum usum esse in Ecclesia, quo loco primitiua Ecclesia scripta illa habuerit, quid & quantum illis tribuerit. Et ex illis, quæ annotauimus, ea, quæ à Pontificiis de traditionibus non scriptis, contra auctoritatem, perfectionem & sufficientiam Scripturæ disputantur, rectissime diiudicari possunt. Iucunda enim est illa obseruatio, quæ fuerit summa fidei de dictis & factis Christi in Ecclesia Ierosolymitana, ex qua verbum exiit in omnem terram, in Matthæi Euangelio literis consignatum est. Et quæ sit doctrina, quam de dictis & factis Christi, Petrus viua voce, Romanæ Ecclesiæ, cuius fides in vniuerso mûdo, viuentibus Apostolis celebrabatur, tradiderit, scripto Marci memoriæ mandatû est, hæc enim sunt antiquitatis verba. Lucas verò ipse affirmat, se ea conscripsisse, quæ Apostoli de dictis & factis Christi, in Ecclesia Antiochena (eius enim ciuis Lucas fuit) quæ prima Christianis hoc nomen dedit, tradiderunt, & quæ Ecclesiæ illæ gentium, quas cum Paulo perlustrauit, certa & indubitata tunc fide tenebant & profitebantur. Quid verò Iohannes in Ephesina Ecclesia de dictis & factis Christi tradiderit, ipse etiam scripto complexus est. Et hæc Ecclesiæ, extra omnem controuersiam, tunc fuerunt præcipuæ, Ierosolymitana, Antiochena, Ephesina & Romana. Addatur si libet, & Alexandrina, ad quam Marcus cum Euangelio suo, postquam illud conscripsisset, profectus esse scribitur. Si ergo pio studio quærimus, quæ sint veræ & indubitata Apostolorum traditiones, de doctrina Christi, quæ fuerit *πληροφορία*, hoc est, certa & indubitata fides illarum Ecclesiarum, quas Tertullianus matrices vocat, res ex illis quæ hæcenus diximus manifestissima est.

DE SCRIPTIS ET EPISTOLIS

Apostolorum.

Quando propriè loqui volumus, inter doctrinam Christi, & doctrinam Apostolorum, nulla est differentia. Ita enim Apostolis Christus dat potestatem annunciandi Euangelium, Mat. 28. vt disertè addat: Docentes ipsos seruire quæcunq; præcepi vobis. Io. 16. Spiritus sanctus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixi vobis. 2. Cor. 13. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? 2. Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur, &c. Hoc verò loco, ordinis & distributionis gratia, doctrinam Christi intelligimus, iuxta Lucæ explicationem, Act. 1. quæ Iesus cœpit facere & docere, vsq; ad diem cum assumptus est. Et hanc doctrinam de dictis & factis Christi, quantum nobis Spiritus sanctus necessariû esse & sufficere iudicauit, Euangelistarum scriptis comprehensam esse demonstrauimus. Apostolorum verò doctrinam intelligimus, quam post ascensionem Christi, ipsi per totum terrarum orbem, tam inter gentes quàm inter Iudæos tradiderunt & propagarunt. De illa iam nobis

dicendum est. Constat enim, Apostolos primis aliquot annis, Apostolicam doctrinam ex Scripturis quidè veteris Testamenti probasse & confirmasse sed sine suo aliquo scripto, sola viua voce tradidisse & propagasse. Postea verò de doctrina sua cœperunt quædam conscribere, quo consilio, quibus de causis, quo proposito & instituto hoc fecerint, quem huius suæ scripturæ usum in Ecclesia esse voluerint, eodè modo inquiremus, sicut de Euangelistis fecimus. Illa enim (etiam aduersariorum confessione) est vera, tota & perfecta doctrina Euangelij (quantum quidem pro modulo huius vitæ) quæ Christus Dei filius proprio ore primû promulgauit, deinde per suos Apostolos omni creaturæ prædicari iussit. Si igitur, sicut iam de Christi doctrina probauimus, de Apostolorum etiam doctrina ostenderimus literis consignatam, & scriptis comprehensam esse, quantum Spiritus sanctus nobis ad dogmata, & ad mores necessariû esse & sufficere iudicauit, manifestum erit, sacram scripturam esse Canonem, normam, regulam, fundamentum & columnam totius nostræ fidei, ita quod ex Scriptura probandum & confirmandum erit, quicquid hoc titulo & nomine, quod sit Christi & Apostolorum doctrina, suscipi debet, quod ad hanc normam, omnia in controuersis religionis ita exigenda & examinanda erunt, vt valeat Hieronymi illud dictum, quicquid de Scripturis sacris auctoritatè non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Et hoc est caput controuersie, inter nos & Pontificios. Ad hanc verò considerationem omnino pertinet & necessarium est, vt constet & monstrari possit, quæ fuerint prima principia, qui secuti progressus Apostolicæ prædicationis, quomodo primû Ecclesias fundarint, cum inter Iudæos tum inter Gentes, quomodo postea aliquantulum progressus in fide confirmarint, qui fuerint ritus, quæ exercitia, & quæ quasi πολιτεία fuerit in prima Apostolica Ecclesia. Et certum quidem est Apostolos non statim primis annis suæ prædicationis scripsisse. Ne tamen opus esset, vel diu coniecturis diuinare, vel ex rumulculis traditionum quæ sine capite sparguntur, petere, quis fuerit primus, & verè antiquissimus Apostolicæ Ecclesiæ status, voluit Spiritus sanctus certum authenticum & canonicum de his tam necessariis & vtilibus rebus, scriptum ad omnem posteritatem extare in Ecclesia, cum non ignoraret, fore, vt hoc titulo multa incerta, vana, supposititia, & falsa obtunderentur Ecclesiæ. Lucas enim cum descriptione Euangelicæ historiæ fidem & auctoritatè in Ecclesia sibi comparasset, contexit etiam historiam de actis Apostolorum, exorsus à primis initiis Apostolicæ prædicationis. Et hæc historia abundè suppeditat, quæ de his rebus necesse est, & sufficit scire.

Lindanus tragicis vocibus tumultuatur, in omnibus Apostolorum scriptis non extare literis consignatum, quomodo nondum Christianos ad fidem adduxerint, & quæ fidei capita suis catechumenis soliti fuerint proponere, quia (inquit) Epistolas suas Apostoli scripserunt, non ad rudes fidei, & ad catechumenos, sed ad illas, quas iam antea in rudimentis fidei instituerant. Et inde infert, Apostolos non omnia Euangelicæ fidei dogmata, in Scripturas contulisse & conclusisse. Sed non animaduertit Lindanus, aut potius videre noluit, in actis Apostolorum à Luca, non tantum descriptam esse historicam narrationem, quod multi, qui prius non erant Christiani, tam

Antiochia.

Alexandria.

Doctrina Christi.

Doctrina Apostolorum, quæ æqualis fuerit.

Acta Apostolorum quo consilio scripta, & quid contineant.

Catechisandi ratio in actis descripta.

ex Iudæis quàm ex Gentibus, ad fidem Euangelicam conuersi & facti fuerint Christiani, verum etiam extare ibi integras descriptiones, quæ capita doctrinæ, & quomodo Apostoli proposuerint illis, quos ad fidem Euangelicam primum adducebant, non tantum ex Iudæis, quibus doctrina Prophetica antea nota erat, verum etiam ex Gentibus, qui planè rudes erant doctrinæ diuinitus patefactæ.

*Catechesis
Apostolica
capitula.*

Et Hebræo. 6. capita Apostolicæ catecheseos, quæ vocantur sermones inchoationis, ita recensentur: Doctrina pœnitentiæ ab operibus mortuis, fidei in Deum, baptismi, impositionis manuum, resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Quis verò ita insaniat, vt fingere audeat, hæc capita vel non tradita, vel non explicata extare in actis & in scriptis Apostolorum, cum hoc manifestissimum sit?

Irenæus lib. 4. cap. 40. dicit apud illos, qui à Mose & Prophetis, de peccato & de promissione aduentus Messie præcatechisati erant, breuem & facilem fuisse Apostolorum catechisationem, sicut Act. 8. Philippus paucis catechisationem absoluit, & ab Eunuchio rursus discedit: Paulo verò Apostolo apud Gentes laboriosiore fuisse catechisationem, oportebat enim illos instrui, Non mœchari, non furari, &c. & quæcumque odio habentur à Deo. Item quod sit vnus Deus, qui filium miserit, &c. Hæc Irenæus. Vtrumque autem certè habemus in scriptis Apostolorum, & quid Iudæis, & quid Gentibus proposuerint quando eos ad fidem Christi adducebant. Et Lucas cap. 1. dicit, se scribere certitudinem illorum, de quibus Theophilus antea catechisatus fuerat. De catechesi igitur Apostolorum, nihil desideratur in ipsorum scriptis. Sed inquit Lindanus: Certè nec in actis, nec in Epistolis Apostolorum scriptum est de omnibus illis ritibus, quos nos Pontificij circa Baptismum seruamus, nec de Sacramento confirmationis per Chrisma, &c. Respondeo. Hoc & nos dicimus, in Pontificiorum doctrina multa esse, quæ nulla habeant in Scriptura testimonia, & idem cõtendimus, illa immeritò tribui Apostolis, quorum nulla extant vestigia vel in actis, vel in scriptis Apostolorum. Sed excipiunt, non omnia singulorum Apostolorum acta, à Luca esse literis consignata. Pauca enim tantum de Petro narrat: Plura quidem de Pauli gestis scribit, vt cuius itineris comes & ministerij socius fuit, sed tamen nec omnia Pauli acta recenset, sicut ex 11. capite secundæ ad Corinthios, Roman. 15. Galat. 1. & 2. & ex aliis locis colligitur, de reliquorum & Apostolorum actis, fermè nihil annotauit. Omnino igitur plura & dixerunt & fecerunt Apostoli, quàm quæ Lucas angusto illo libello de actis Apostolorum complexus est. Non rectè itaque aliquid idem reicitur, vt ab Apostolis nec institutum, nec factum, quia Lucas in actis Apostolicis illud non annotauit, sed multò plura credenda sunt ab Apostolis instituta & facta, quàm quæ ex Actis à Luca cõscriptis probari possunt. Respondeo, Et quis tandem erit modus, finis aut numerus eorum, quæ sub hoc titulo Ecclesiæ, sine teste obrudentur? Simplex autem & vera solutio ita deprehenditur. Antiquis temporibus, statim post Apostolorum tempora, argumentum illud ita fuit agitatum, quod multa scripta proposita fuerunt, promittentia supplementum eorum, quæ à Luca de actis Apostolorum præterita, & tamen Ecclesiæ necessaria videbantur, vt itinerarij Petri, quasi à Clemente conscriptum, Prædicatio Petri. Actus Andreae, Philippi, Petri, Thomæ, &c.

*Scriptura
ignorat multa,
qua pro
culin habet
papatus.*

Et quidem viuentem adhuc Ioanne Apostolo, historia de periodo siue actibus Pauli & Teclæ sparsa fuit: quam Ioannes conficto commenti auctore, ostendit esse supposititiã, sicut ceteri etiam libri de actibus Apostolorum, ab Ecclesia reprobati sunt. Non recensitur artificium est, sub illo titulo & prætextu, quod Lucas non omnia singulorum Apostolorum acta, scripture sua persecutus est, vana, falsa & supposititia obrudere Ecclesiæ. Cum verò supposititiij illi libri, qui promittebant pleniorè narrationem de actibus singulorum Apostolorum, reprobarentur, sine dubio idem, quod incerta & falsa continerent, num edita tunc fuerunt alia authentica scripta, de gestis aliorum Apostolorum, quæ ad posteritatem conseruarentur, cum præsertim Ioannes, qui ad Euangelicam historiam ea quæ videbat à ceteris prætermittenda, quæ posteritati tamen cognitu necessaria iudicabat adiecerat, tunc adhuc superstes esset? Hoc certè factum esse, nemo affirmabit. Nec sanè audebimus dicere, idem illud intermissum esse, vt posteritas suo arbitratu, vel ex incertis narrationibus quiduis fingeret de Apostolorum institutis, dictis & factis. Restat ergo, idem non fuisse aliquid aliud de actibus Apostolorum conscriptum, quod iudicatum fuit, illa, quæ Lucas ediderat, adhibitis Epistolis Apostolorum, posteritati sufficere. Nam & in veteri Testamento, non omnium seu Patriarcharum seu Prophetarum acta descripta sunt. Nec omnes Prophetæ, doctrinam suam literis posteritati commendarunt, imò quorundam scripta Deus interciderè passus est, vt Nathan, Gad, Semeia, Haddæ, Achie, Iehu filij Hammoni, &c. & ex illorum non scriptis traditionibus, Rabini dicunt Thalmud confectum esse. Quid verò illis aliud respondere possumus, nisi quod ex omnibus Patriarcharum & Prophetarum dictis & factis, Spiritu sancto monstrante & seligente, ea literis mandata sunt, quæ posteritati ad dogma & ad mores (sicut Cyrillus loquitur) necessaria esse & sufficere iudicata sunt.

*Acta Apost.
ab alio con-
scripta, sed
reiecta.*

*Patriarcharum
acta, non
omnia descripta.*

*Prophetarum
conciones non
omnes extant.*

Idem responsum verè etiã opponimus Pontificiorum obiectionibus. Quod enim attinet ad Ecclesiæ statum, ad ministeriũ, doctrinam, fidem, &c. non habuerunt singuli Apostoli proprium aut peculiare aliquid, sed vna fuit fides, eadem doctrina, & commune ministerium, quo vnum & eundem Ecclesiæ (quod ad substantiam Euangelicæ religionis) statum constituerunt: vt etiam si singulorum Apostolorum acta conscripta essent, non tamen contrarium, non diuersum, non aliud, sed vnum & idem sæpius scriptum legeremus. Quæ igitur ratio communis illius ministerij vnius fidei, eiusdem doctrinæ in primo, & antiquissimo Apostolicæ Ecclesiæ statu fuerit, quia Spiritus sanctus non curauit sigillatim cultusque; Apostoli acta conscribi, sine dubio iudicauit, nos illud, quantum ad nostram doctrinam sufficit ex illis, quæ Lucas conscripsit, posse colligere & intelligere. Si enim plura iudicasset necessaria esse, absque dubitatione curasset illa per alios ad posteritatem conscribi, sicut in historia Euangelica fecit. Vsurpabimus igitur nobis verba Augustini. Cum Dominus tempore Apostolorum, noluerit reliquorum Apostolorum acta conscribi: quis nostrum dicat, ista vel illa esse, aut si dicere quis audeat, vnde probabit?

*Apostolorum
fuit vna fides,
& doctrina
vna & commune
ministerium.*

Sed inquis: In actis apud Lucam, plerumque tantum capita consignata sunt, non autem additæ sunt iustæ & necessariae explicationes. Respon-

deo,

deo. Illæ explanationes conscriptæ extat in Epistolis Apostolorum, ut ita de doctrina Apostolica, quod nobis necessarium sit, in scriptis noui Testam. nihil desiderari possit. Inquit edum igitur iam est nobis, quo consilio, propter quas causas, & in quem usum Apostoli Epistolas suas conscripserint, hæc enim consideratio, id, quod quærimus, liquido ostêdet.

Nicephorus li. 2. ca. 34. de Pauli Epistolis ita scribit: Ad plerosq; quos eum adire Spiritus sancti vis & gratia iussit, quosq; per fidem in Christum Euagelium magnifice regenerat, quæ præsens oratione sua dilucide docuerat, eadê per compediũ abfens in memoriam reuocans, epistolas dedit. Ita vero ea quoque quæ secretioris mysterij magisq; abstrusa antea silentio præterierat, postea per sacra sua scripta, aut grandioris sapientia verbis accurate & dilucide declarauit, aut saltem (ut ita dicam) parabolarum more & specie taquam per ænigmata adumbravit: neque propter eos, qui ad res diuinas audiendas idonei futuri erant, ea occultans, neq; propter ineptos atq; indignos, dilucide profusus & aperte, ad contemptum euitandum exponens. Hæc Nicephori verba manifeste ostendunt, I. Pauli Epistolas scriptas esse, ut essent *επισημιατα*, compendio complectentia eadê quæ præsens oratione sua, dilucide tradiderat illis, quos per fidem in Christum regenerat. II. Quod præterea etiam ea, quæ in tradendis primis fidei principiis, ut altioris sapientia mysteria præterierat, voluerit in epistolis accurate & dilucide declarare. III. Quod illa scripserit, non præsentibus tantum, sed illis etiam, qui ad res diuinas audiendas idonei futuri erant. IIII. Quod accurate & dilucide dogmata in epist. suis declararit. V. Multa tamen in epistolis Pauli, quasi per ænigmata esse adumbrata, propter ineptos & indignos, ad contemptum euitandũ, illa vero ænigmata Paulum ita esse moderatum, ut ea quæ scribebat, nollet occultata esse illis, qui idonei ad res diuinas audiendas futuri erant. Quod idem est, sicut Augustinus dicit, Spiritum sanctum Scripturas sanctas magnifice & salubriter ita modificasse, ut locis apertis fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim (inquit) fere de illis obscuritatibus eruitur, quod nõ planissime dictum alibi reperitur. Sed totum id, quod quærimus, non potest evidentius, certius & firmitus, quam ex ipsis Apostolorum epistolis demonstrari. Hoc igitur quam fieri potest breuissime annotabimus, quomodo in ipsis Apostolorum epistolis deprehendi & obseruari possit, quo consilio, & propter quam causam scriptæ sint, & quis earum debeat in Ecclesia vsus esse. Et iuxta Nicephori obseruationem, duo illa præcipue considerabimus, quod scilicet Apostoli voluerint epistolas suas esse *επισημιατα*, compendio complectentia ea, quæ præsentibus voce Ecclesiis tradiderat, deinde quod ea, quæ post percepta prima fidei principia, Ecclesiis adhuc necessaria iudicabat, per scripta sua accurate & dilucide declararint.

Et quia multum refert, hanc sententiam ex solidis fundamentis, & firmis testimoniis constitutam & confirmatam habere, operæ præciũ est, huic considerationi aliquantulum immorari. Plus enim animus confirmatur vno Scripturæ testimonio, quam si sexcenta ex aliis Scriptoribus cumulerentur.

Possent autem in argumentis & perpetuo cõtextu singularum epistolarum, multis & variis demonstrationibus hoc ostendi, sed copiosa, & valde proluxa futura esset oratio, & ab instituto aliquantu-

lum nos abduceret. Quædam igitur tantum, quæ maxime illustria sunt testimonia, ex Apostolorum epistolis annotabimus, ut ex ipsis Apostolorum vocibus audiamus & discamus, quo consilio, propter quas causas, in quem finem & usum, Apostoli doctrinam cœlestem, quam primum viua voce tradiderunt, postea literis consignarint, & scriptis monumentis complecti voluerint.

Prima igitur ante alias scripta videtur prior ad Thessalonicenses. Occasio autê & causa, quare illa scripserit, ex 17. cap. Act. & ex ipsius epistola verbis non obscure colligitur. Multos enim & ex Iudæis & ex Gentibus religiosi, non paucas etiam ex primariis matronis Thessalonica Paulus ad fidem Christi, tempore non ita longo adduxerat, statim verò a Iudæis infidelibus, mota per tumultum seditione ciectus inde fuerat. Sollicitus igitur erat, ne propter persecutionem fidem recens susceptam, vel negligerent, vel abiicerent. Et cum ipse venire non posset, Timotheum eõ miserat, qui hortaretur ipsos, ut in fide semel suscepta perseverarent. Postea propter illam ipsam causam, scripsit priorem hanc ad Thes. epistolam, in qua non tantum hæc verbis vitur: In doctrina quam viua voce à me tradita accepistis, permanete, sed capita eius doctrina, quam præsens tradiderat, in qua ut perseverarent, ipsos hortabatur, repetit & recitat, ut ita epistola illa esset perpetua commonsactio, per repetitione reuocans ipsis in memoriam doctrinam, quam viua voce ipsis tradiderat. Altera vero causam scriptio nis suæ, hanc esse dicit, ut impleret ea, quæ deerant fidei ipsorum. Id quia reditu suo ad ipsos hætenus præstare non poterat, per Epistolam supplet & efficit. Hæc plane conueniunt ad generalem obseruationem Nicephori, de Paulinis Epistolis.

Alter a ad Thessalonicenses, non multò post scripta est. Et in illa præcipue hoc obseruandum est, quod in secũdo capite diserite explicatur alia occasio seu causa, propter quam Apostoli cœperunt doctrinam suã literis comprehendere. Verba hæc sunt. Ne turbemini, siue per Spiritum, siue per sermonem, siue per epistolam, quasi à nobis profectam. Audis quosdam tunc turbasse Ecclesias, sparsis nouis dogmatibus, prætextu Spiritus seu reuelationũ. Quia enim doctrina Apostolorum habebat autoritatẽ, propter testimonium Spiritus, arrogabant sibi hoc etiam alij: ut cum iactarent Spiritum & reuelationes diuinas, postularunt suã etiam dicta, pari reuerentia & pietatis affectu suscipienda esse, sicut Apostolorum. Sed hoc facile refutabatur, tantum enim Apostoli erant electi, ut essent testes Christi, quoru doctrina talem haberet autoritatem. Cum igitur intelligerent homines phanatici, Ecclesiam debere alligatam esse ad illam vocẽ doctrinã, quã Apostoli sonabant, alia ratione corruptelas meditabatur: prætendebant enim illa sua commenta, quæ afferebant, esse vel à Paulo, vel ab aliis Apostolis, viua voce in aliis Ecclesiis tradita. Ideo enim Paulus dicit: Nolite turbari, siue per spiritum, siue per sermonem, quasi à nobis profectum. Et speciosus erat prætextus, cum ad illa ferme tempora, doctrina Euangelij, sola viua voce tradita fuisset. Erat autem Apostolis mandata, non tantum cura docendi, verum etiam inspectio, ne alia quam vera & sana doctrina Ecclesiis proponeretur, sed animaduertebat, cum longe lateque propagata Ecclesia, ipsi viua sua voce non possent vbique præsentibus esse, puritate doctrina Apostolicæ per traditiones, nec fideliter,

Apostoli doctrinam suã quare scriptis comprehenderunt.

ha. dicitur quod cap. actuum quare scriptis

Apostolica autoritas.

Apostolorum officium in docendo.

Nicephorus. Pauli epistola quomodo scripta.

Epistola Pauli & aliorum quales sint.

Augustinus. Scripturaru magna est perspicuitas, cum selectari quadam difficultate permixta.

*Scriptorum
Apostolorum
osculis.*

nec tuto ubique retineri & conseruari, sed sub illo prætextu & titulo spargi peregrina & commentitia dogmata. Cœperunt igitur doctrinam suam literis consignare, ne sub titulo traditionum adulteraretur, sed vt Ecclesia certa esset de vera & genuina Apostolorum doctrina. Qui vero etiam suppositiue Epistolæ, quasi à Paulo, vel ab aliis Apostolis profectæ, Ecclesiis obtrudebantur: Paulus peculiari signo suæ manus, genuinas suas Epistolas notauit. Et illas authenticas Apostolorum Epistolas, hoc est, autographa, in illis Ecclesiis, quibus inscriptæ erant, suo adhuc tempore seruatas fuisse Tertullianus autor est, lib. de Præscriptione aduersus hæreticos.

*Traditiones
venerab. ad-
huc Apostolis
corrupta, quo
magis nunc,
Etc.*

Hoc diligenter obseruandum est in hac secunda ad Thessalonicenses Epistola, qua occasione, & propter quam causam Apostoli, cū aliquot annis sola viua voce doctrinam tradidissent, postea cœperint illam literis cōmendare: ne scilicet turbarentur Ecclesiæ, siue per spiritum, siue per sermonem tanquā ab Apostolis traditū. Et recte hoc opponimus Pontificiis. Si enim in primis annis Apostolicæ prædicationis, ipsis Apostolis adhuc in carne viuentibus, per traditiones non fuit ubiq; seruata doctrinæ puritas, vbi Apostoli ipsi non poterant presentes esse, sed sub illo titulo & prætextu, varia cōmenta sparsa fuerunt, quasi ab Apostolis tradita: An nō luculenter insaniunt, qui in hisce postremis temporibus, de quibus licet Christus & Apostoli prædixerunt, tantam fore Pseudoprophetiam, ut copia, tantam errorum efficaciam, vt si fieri possit, etiā electi seducerentur, ipsi tamen iubent nos, omnia clarissima lucē, & certissima regula Scripturæ, veritatem & puritatē doctrinæ Apostolicæ querere in traditionibus, quæ tanquam ab Apostolis profectæ, nūc à quibusdam iactantur, & hoc nomine venditatur. Certe prudentius & rectius facimus, quod veritatē & puritatē doctrinæ Apostolicæ querimus in Scriptura, quam ideo ab Apostolis Ecclesiæ traditā esse, manifestissima testimonia ostendūt, ne sub prætextu & titulo traditionum Apostolicarum, quiduis nobis obtrudi posset. Sed ex hac ipsa Epistola Pontificij necunt argumentum, quod tanquam Achilleam panopliā opponunt contra Scripturā, pro suis traditionibus. Paulus enim dicit: Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Manifestissimum ergo est (aiunt) non omnia quæ necessario tenenda sunt, in scriptis Apostolorum comprehensa esse, sed ea etiam, quæ ab Apostolis viua voce tradita, per traditiones ad nos peruenerunt, pari reuerentia & pietatis affectu suscipienda esse. Et fateor, inter omnia Pontificiorum argumenta, quæ contra sufficientiā Scripturæ pro traditionibus cumulantur, nullum maiorem habere speciem, quā hoc. Videtur enim ipsa Scriptura suam insufficientiam fateri, & ideo nos mittere ad traditiones non scriptas, cum dicit: Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.

Possent autem respondere: Quia non contraria, non diuersa, non alia, sed vna & eadem fuit doctrina, quam Paulus tradidit, siue per sermonem, siue per Epistolam, ideo recte ipsum dicere: Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Et videtur in verbis precedentibus explicare quas velit intelligi traditiones, inquit enim. Gratiā agere debemus Deo pro vobis, quod elegerit vos in salutem in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis, in qua vocauit vos, per Eu-

angelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi, Et per particulam illatiuam annectit: Itaque tenete traditiones, &c.

Quod autem de veris Apostolorum traditionibus scriptum est, non statim ad illas, quæ à Pontificiis hoc nomine proponuntur, transferri debet. Si enim tam liquido & certo probarint, traditionem aliquam esse indubitato Apostolicam, sicut ea quæ scripta sunt, probantur, valeat sane id, quod Paulus dicit: Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Hoc vero in controuersia adhuc positum est, an sint veræ Apostolicæ traditiones, quæ à Pontificiis iactantur. Quādo hoc probauerint, postea de dicto illo Pauli disputent. Hæc possem vere ad hanc obiectionem respondere: sed non vtar nunc quidem illis responsionibus, sed paulisper sequar, quod nos ducunt aduersarij, vt Andradius iterum ex commiseratione quadam cogitet, me minime circumspicendum esse. Concedo igitur, tunc cum Paulus Thessalonicensibus hæc scriberet, non omnia quæ de Christi & Apostolorum doctrina tenenda sunt, scriptis fuisse comprehensa. Iuxta Irenæi enim supputationem, quam aduersarius meus Andradius sequitur, nec Matthæus, nec vllus Euangelistarum adhuc scripserat. Et à Paulo prior tantum Epistola ad Thessalonicenses tunc scripta erat, altera verò tunc primum scribebatur. Sicut igitur recte dicitur, & nemo impugnat, in duabus illis Epistolis ad Thessalonicenses, non omnia quæ de Christi & Apostolorum doctrina, cognitu necessaria sunt, quantum satis est, comprehensa esse, ita Paulus merito dicit, Thessalonicenses debere nō tantum illam doctrinam, quam in priori Epistola ab ipso traditam acceperant, tenere (in illa enim non omnia erant expresse & explicite comprehensa) verum etiam quæ viua voce ab ipso tradita acceperant, quæ in Epistola illa non omnia continebantur.

Ex collatione illud quod dico, simplicissime & clarissime intelligi potest. Si quis Canone Scripturæ veteris Testamenti nondum absoluto, libros Moyſis, sicut Sadducæi postea fecerunt, ita recepisset, vt ea quæ per Prophetas à Deo tradebantur, repudiaret & abiiceret, merito culpandus esset. Recte enim tunc dici poterat: Tenete doctrinam quam Deus vobis tradidit, siue per scripta Moyſis, siue per os, aut sermonem Prophetarum. Si vero Cabalista aut Thalmudista aliquis, post constitutum & absolutum Canonem Scripturæ veteris Testamenti, idem illud argumentum ad suas traditiones cōfirmandas accommodare vellet, quæro ab Andradio, & à reliquis Pontificiis, num constet & admittendum sit hoc argumentum? Tempore Prophetarum recte dicebatur, suscipiendam & tenendam doctrinam verbi Dei, non tantum quæ scriptis Moyſis comprehensa erat, verum etiam quæ per Prophetas viua voce tradebatur, ergo etiam post tempora Prophetarum, postquam constitutus & absolutus est Canon Scripturæ veteris Testamenti, existimandum est, non omnia quæ de doctrina Patriarcharum & Prophetarum necessario tenenda sint, in libris sacræ Scripturæ contineri, sed præterea etiam illa, quæ à Phariseis & Cabalisticis, titulo traditionum venditantur, pari reuerentia & pietatis affectu suscipienda & veneranda esse. Non arbitror Andradium hoc admissurum. Petrus certe à Soto negat. Quæ ergo ratione putant consequi Paulus cum primo vnam Epistolam scripsisset, di-

*Exemplum
simile.*

dit,

cit, Thessalonicenses debere tenere traditiones, nō tantū quas in vna illa Epistola acceperant, sed quas præterea etiam viua voce ab ipso didicerant, quæ in vnica illa Epistola non omnes plene continebatur, ergo nunc etiam, postquam cōstitutus & absolutus est Canon Scripturæ N. T. idem de imperfectione & insufficientia totius Scripturæ dicendum est, vt præterea illa etiam, quæ nūc titulo traditionum à Pontificiis iactantur, pari reuerentia & pietatis affectu, sicut ipsam Scripturam, suscipiamus & veneremur. Certe manifestissimū est, etiā si vera essent, quæ à Pontificiis de traditionibus disputantur, ex illa tamen Pauli sententia minime hæc consequi. Longe aliud enim est de Scriptura N. T. loqui, cum primum vnica tantum Epistola Pauli edita esset, quam cum tot libris & epistolis postea tradita & explicata est, sicut postea ostendemus, quod Paulus in Epistola ad Timotheum, quam circa finē vitæ scripsit, longe aliter loquatur de Scriptura.

Quid contra hanc manifestissimam veritatem, vel speciem aliqua veritatis, dicere possint Pontificij, non sane video, nisi forsan crepitu anathematū, veritati oppedere voluerint. Quoties igitur argumentū illud, in scriptis Pontificiorum legeris, memineris esse insignem fallaciam à dicto secundum quid, ad dictū simpliciter. Et sane gestit animus audire, quid Andræ grandiloquentia, contra hanc euentiam proferre conabitur.

Sed progrediamur ad reliquas Pauli Epistolas, proxima enim post ambas ad Thessalonicenses, scripta videtur, siue ex Phægia, siue ex Macedonia prior ad Timoth. Act. 18. in qua sicut Nicephorus dicit, Paulus ἐν τῷ πρῶτῳ rationem & vitā Hierarchicā copiose descripsit. Et sane non egemus Nicephori testimonio, ipse enim Paulus causam scriptionis explicat c. 3. Hæc scribo tibi, sperans me cito venturū ad te, si autē tardauero, vt scias, quomodo oportet in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viuī, columna & firmamentū veritatis. Manifesta explicatio, qua occasione, propter quā causam, & in quē vsum Paulus priorē Epistolā ad Timoth. scripsit. Commendauerat ipsi ministeriū in Ecclesia Ephesina, vt sanam doctrinā, & traderet & confirmaret. ἡ περιδιδασκόμενος verō refutaret, quæ cū sana doctrina in moribus pugnant, argueret, ritus Ecclesiæ ad ædificationem vtiliter institueret & conseruaret, ministros ordinaret, &c. Vt autē sciret, quomodo fidelem ministrum Christi in his, quæ ad ministeriū pertinent, oporteat recte versari in Ecclesia, quæ non est congregatio malignantiū, sed domus Dei, columna & firmamentum veritatis, propter hanc causam, & in hunc vsum affirmat se scripsisse illam Epistolam. Et quidem non dicit, Quomodo oporteat te conuersari, sed indefinite & generaliter loquitur, Quomodo oporteat conuersari, &c. Vt sit typus generalis. Et profecto magna hæc est huius Epistolæ commēdatio. Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, extra omnem controuersiam, propter possessionem & conseruationem puritatis doctrinæ Apostolicæ. Quomodo vero ministeriū docendi, ita sit instituendum & vsurpandū, vt Ecclesia non fiat spelunca latronum, & congregatio malignantiū, sed sit & maneat colūna & firmamentum veritatis: propter hanc causam & in hunc finē ipse Paulus suis verbis testatur, se priorem hanc Epistolam ad Timot. conscripsisse. Et ideo statim in primo capite ponit summam παραγγελίας, hoc est, illius doctrinæ, quam à Christo acceptam, Timo-

theo annunciandam commendauerat. Et præcepta illa, quæ scribit, aliquoties nominat ἀποδοχῆν, cap. 1. & 4. hoc est, veram Apostolicam Cabalam, ex traditione viuæ vocis, ab Apostolis ita acceptā, vt fidelis sit sermo, & dignus acceptione. Et ad illa etiā præcepta, quæ scripta illa Epistola comprehendebat, subinde se refert: Hoc præceptum commendo tibi, hæc scribo tibi, hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assēcutus es. Hæc præcipe & doce. Hæc meditare. In his esto. In his permane, hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiūt. Testor coram Deo, vt hæc custodias sine præiudicio. Hæc doce, & exhortare, &c. Certū igitur & manifestum est, quo consilio Paulus hanc epistolam ad Timot. scripsit, & quē voluerit eius vsum esse in Ecclesia. Tertullianus de præscriptione aduersus hæreticos, expendit diligenter vocabula, quod Paulus non dicit illud vel illa, sed hoc præceptum, & hæc proponens, &c. Inquit enim, Cū Paulus inquit: Hæc, de eis dicit, de quibus in præsentia scribebat. De occultis vero, vt de absentibus, apud conscientiam, non (hæc) sed (illa) dixisset. Consideretur vero & hoc, cum Paulus Timotheo ministeriū & inspectionem Ecclesiæ Ephesinæ cōmendarer, nō est dubiū, ipsum viua voce, ea, quæ ad ministeriū pertinet, tradidisse & explicasse. Dicit enim: Sicut rogavi te, vt denunciare, &c. Cur vero non multo post discessum suum, eadem scripto cōprehensa mittit ad Timotheum? Ita enim orditur Epistolā: Sicut rogavi te, vt maneres Ephesi, &c. Et in tertio demum capite sequitur ἀναποδοχῆν: Sicut rogavi te, hæc scribo tibi. Certe non ideo hoc fecit, quod tam parum fideret memoriæ Timothei: Sed quia autoritas Timothei non erat par Apostolicæ autoritati, sed oportebat ipsum testimoniū habere, & liquido posse probare ea, quæ proponebat esse ab Apostolo tradita & accepta, ideo Paulus ea, quæ ad ministeriū pertinentia, viua voce ipsi mandarat, iā literis consignata ad ipsum mittit, ne quis, sicut inquit, adolecentiam ipsius cōtemnat, sed vt & ipse certus sit, & aliis probare & confirmare possit, hoc esse præceptum illud, sibi à Paulo commendatum, vtq; Ecclesia certa sit, Timotheum, quādo hæc proponit fratribus, esse bonum ministrum Christi. Nunquid autem nō suffecisset sola asseueratio Timothei, si affirmaret, se illa quæ proponebat à Paulo, ex traditione viuæ vocis accepisse? Certe non opus fuisset scriptione Pauli si Pontificios de autoritate traditionum non scriptarum in cōsilium adhibuisset. Quia vero illa, quæ Timotheo viua voce commēdarat, scripto complecti voluit, satis ostendit, quo consilio id fecerit, & quem iudicauerit scripturæ vsum debere esse in nouo Testamento, vt tale scilicet testimonium proponat, qui gloriatur se Apostolicam doctrinam afferre. Accedit & hoc, quod Timotheus non diu seu continue mansit Ephesi, sicut historia Actuum ostendit. Paulus igitur ideo scripsit, vt post discessum Timothei, haberent Apostolicam formam ministerij, quomodo conuersandum sit in Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis. Hæc profecto sunt valde illustria testimonia, contra quæ si quis excipiat generalia quidem capita eorum, quæ ad ministeriū pertinent, in hac Epistola notari, vt de sanis sermonibus Christi, de ea, quæ secundum pietatem est doctrina, quæ est Apostolica, non autem extare in ea, plenas & iustas explicationes, re-

Episto. ad Timoth. prima.

Epistol. ad Timoth. prima quare scripta.

Timothei autoritas ex Epistola Pauli.

Ecclesia columna & firmamentum veritatis.

spōdeo. Qui sint sani sermones Domini nostri Iesu Christi, habemus in scriptis Euāgelistarū, quę vero sit Apostolorum doctrina, in aliis ipsorū Epistolis plenius explicatū est. Si quis vero pertinaciter cōtēdat, præter illa quę & in hac Epistola, in aliis scriptis N. T. consignata sunt, alia etiam fuisse tradita, quę æque nobis sint necessaria: Respondeo verbis Augustini: Cū Spiritus sanctus illa noluerit scribi, quis dicet vel ista vel illa esse? & si quis tam temerarius & audax erit, vt dicere audeat, vnde probabit?

De iis quę scripta sunt, certi sumus, quod sint ab Apostolis tradita, quę propter hanc etiam causam scripta sunt, vt de iis certi essemus. De incertis vero, non potest fides esse. Relinquamus igitur talia illis, qui certis & necessariis relictis, incertis occupari malūt: nos iis quę propter fidei certitudinem conscripta sunt, contenti simus.

Epistola ad Titum.

Eadem omnino est ratio Epistolę ad Titū, quę post priorem quidem ad Corinthios ex Nicopoli Act. 20. scripta est: sed propter argumenti similitudinē, hoc loco de illa annotabimus, quę ad nostri instituti rationem pertinent. Huius rei gratia inquit, reliqui te in Creta, vt ea quę desunt corrigas, & constituas presbyteros. Num igitur vel incertū & ignotum est, vel ex Pōtificiorum traditionibus diuinandum est, quę & quomodo ex mandato Pauli, Titus in Creta debuerit corrigere, quę Paulus festinans ad alia loca nō potuerat absoluerē? & quomodo debuerit presbyteros cōstituere: Certe propter hanc causam, & hoc consilio scripsit Epistolā ad Titum, sicut ad illa quę scribit se refert: Hęc loquere: de his volo te affirmare.

Et quia ab Epheso Paulus ita profectus est, vt iret in Macedoniā: in illo igitur itinere peruenit in Cretam, & ab ea proxima est Epirus, vbi Nicopolis sita est. Post paucos igitur dies à discessu suo ex Creta, Paulus scripsit hanc Epistolam ad Titū, repetēs ea, quę præsens viua voce ipsi in mādatis dederat. Quare vero hoc fecit, cum elapsis paucis diebus, mandata illa in recenti adhuc memoria Titi essent: nec periculū esset, ne Titus doctrinā adulteraret? Respōdeo: Causam ipse in Epistola indicat. c. 2. Hęc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio: nemo te contemnat. c. 3. Fidelis sermo: de his volo te asseuerare. Iam vero Titus potuisset vere confirmare, se illa quę agebat docendo, exhortādo, arguendo & corrigendo, facere ex mandato Pauli, quod viua voce paucis ante dieb. ab ipso acceperat. Sed vi des cōsiliū Pauli, quia scripto illa sua mādata cōplecti voluit. I. Vt Titus ipse certus esset, ea quę proponebat, esse fidelem sermonē de quo recte & merito posset & deberet asseuerare. II. Vt Ecclesia haberet testimonium, ea quę Titus cum asseueratione proponebat, esse fidelem sermonem. Vt igitur ea quę Titus ratione ministerij, docēdo, exhortando, arguendo & corrigendo agebat nō contemnerentur, sed haberent auctoritatem, vt ab Apostolo tradita & mandata, vt cum omni imperio posset docere, exhortari & arguere: Paulus iudicauit non satis esse, si Titus saltem affirmaret, se illa viua voce ab Apostolo accepisse, sed mandata illa scripto cōprehensa misit ad Titum, propter causas, quas ipse (sicut monstrauimus) in Epistola indicat. Si igitur tunc, quando Paulus nō tantum in carne adhuc viuebat, sed in loco valde vicino aderat, & ante paucos dies, viua voce, mandata dederat Titi, quem vocat Germanū suum filium, quem Cretēs viderant esse non tantum cōmitem itineris Pauli, sed

& socium ministerij: si tunc inquam, Paulus iudicauit solam allegationē traditionis, in iis quę ministerij sunt, non sufficere illis qui ipsi non erant Apostoli, sed doctrinam ab Apostolis traditam docebant: sed necessarium esse testimonium ex scripto, vnde probari & confirmari posset, certum esse sermonem, qui à nemine esset contemnendus, sed cum omni imperio proponendus (hęc enim sunt Pauli verba) quid igitur hisce iam postremis mundi temporibus Pontificij cōtendunt, pro traditionibus Apostolicis esse recipiendū, quę ex Scriptura probari & confirmari nullo modo, quę & ipsi fatēri non erubescunt, possunt? Certe ab Apostolo discimus, quomodo Titus Cretētib. debuerit probare & confirmare, certum & fidelem esse sermonem de quo asseuerabat, qui non esset contemnendus, sed auctoritate Apostolica proponendus. Et iā Lector de tota hac controuersia iudicare potest. Ideo enim potissimum ab aduersariis flagellamur, quod tutissimum hoc Pauli consiliū sequendum esse docemus, hisce præsertim postremis senescentis mundi temporibus: de quorum periculis, quod ad doctrinę corruptelas attinet, multa & manifesta in Scriptura extant vaticinia.

Et hęc quę ex ipsis Pauli verbis ostēdimus, quo cōsilio, propter quas causas, & in quem vsū Epistolas suas conscripserit, cauillationibus sane exagitari & cōspurcari possunt, iuxta Phormionis artificium: Nihil tam bene dictum est, quod maledicendo deprauari non possit: Sed veris & solidis argumentis labefactari nullo modo poterunt. Pergamus igitur ad reliqua Pauli scripta.

Prior ad Corinth. Epistola videtur Ephesi scripta esse. Paulus enim dicit, se mansurum Ephesi vsque ad Pētecosten. Et in fine dicit: Salutant vos Ecclesię Asię: & inter illas nominat etiam Aquilam & Priscillam, quos Ephesi Act. 19. Paulus reliquerat. Nō diu igitur post discessum suum Paulus Epistolam illam scripsit ad Corinthios. Nobis vero tantū propositū est inquirere, quo cōsilio, propter quas causas, & in quem vsū, Epistolam illam scripserit. Deprehendimus autem statim in principio, Paulū voluisse Epistolę illius vsū esse, nō tantum in Corinthiaca Ecclesia, pro præsentis tantum necessitate. Inscribit enim illam omnibus qui inuocant nomen Christi in omni loco, & ipsorū, & nostro. Hoc primo obseruetur propter Pighij calumniā, quasi Paulus Epistolas suas tantum propter particulares quasdam Ecclesias, & tantum in vsū præsentis tunc necessitatis conscripserit.

Deinde & causę, propter quas Epistolam illam scripserit ex ipsius verbis colligi possunt. Erant inter Corinthios schismata: Ego sum Pauli, Ego Apollos, ego Cephe, ego Christi, hoc est, Cum quidā doctrinam accepissent à Paulo, quidā ab Apollo, viro disertissimo: quidā à Petro, qui cū Christo in carne cōuersatus fuerat: quidā etiā cōuenissent, qui Christū in carne viderant, & docentem audierāt: inde certabatur apud Corinth. quę traditiōes essent præstantiores. Paulus vero ostendit, nō ex personarum docentū discrimine, sed ex vnitāte & veritate doctrinę iudicandum esse. Fundamētum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positū est, qui est Christus Iesus. Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt. Illa etiam circumstantia temporis digna est cōsideratione, quod Paulus tunc primum cœpit doctrinam suam literis consignare, postquam datis dextris societatis, Galat. 1. publice declarata erat

Scripto comprehendere Paulus mandata sua voluit.

Titi auctoritas ex Pauli Epistola.

Epist. ad Corinthios 1.

Epist. ad Corinth. 1. occasio 23. vsus.

confer-

consensio de doctrina inter ipsum & reliquos Apostolos: ut certi essemus, in Epistolis Pauli comprehensam est doctrinam, quæ communis fuit omnibus Apostolis: ne quis caillari posset, nos Pauli tantum, non etiam reliquorum Apostolorum doctrinam in scriptis noui Testamenti habere.

Quia vero apud Corinthios, quidam ab illa forma doctrinæ, quam per traditionem viæ vocis à Paulo acceperant, discesserant, & adulterationes quædam cœperant irrepere de peccato, de Cœna Domini, de resurrectione mortuorū, &c. Paulus capita traditionis suæ in illa Epistola literis cōsignare voluit: quomodo scilicet fundamentū posuerit, quomodo potum lactis Corinthiis dederit: Nihil, inquit, iudicavi me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Vnde prædicationem suā vocat verbum crucis. Et ca. 15. inquit: Euangelium quod accepistis, & in quo statis, hac ratione prædicavi vobis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepistis, quod Christus mortuus est, &c. Et addit: Slue ego, siue alij Apostoli ita prædicauimus, & ita credidistis. Doctrinam igitur Christi, sicut illa ab Euangelistis descripta nunc extat, prædicauit & tradidit: & hoc vocat fundamentum, ca. 3. Sicut & ca. 11. instructionem Cœnæ Dominicæ iisdem verbis repetit, sicut extat apud Euangelistas. Et præfatur: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.

Fuit igitur vna causa scriptionis, sicut Nicephorus inquit: quod quæ præfens oratione sua dilucide docuerat, eadem absens per compendium in memoriam, scripta Epistola reuocare voluit, propterea quod à quibusdam Pauli traditionibus discesserāt. Et diligenter hoc notetur, quod puritas doctrinæ Apostolicæ apud Corinth. per cōseruationem traditionis viæ vocis, nō diu fuit custodita, sed intra valde breue tēpus cœpit adulterari. Quod si id factum fuit primis annis Apostolicæ prædicationis, ipsis Apostolis adhuc viuētib: quid putandū est accidisse traditionibus, per tot cēturias annorū post mortem Apostolorū, & quidē postremis mūdi temporibus? Et si tunc ad cōseruationē puritatis doctrinæ, opus fuit scriptis Apostolorum: quanto infinitis modis magis nunc hac via & ratione opus est?

Alteram causam, quod priorem ad Corinthios Epistolam Paulus scripsit, ipse etiam exponit. Posito enim fundamento, cum nō esset dubium, superstruendum esse ædificium: illo prætextu alij quidem superstruebant aurum, argentum, gemmas: alij vero ligna, scœnum, stipulas. Et obseruetur hoc, quod ipsis Apostolis adhuc in carne viuētib: imo non diu post discessum Pauli, quidam apud Corinthios cœperunt lignum, scœnū, stipulas super fundamentum extruere. Vt igitur posito fundamento, non esset incertum, quæ Apostolica structura superimponenda esset, ipse Paulus scripto ostendit, quod sit aurum, argentum & gemmæ, quæ Apostolica structura super fundamentum extruantur: vnde etiam diiudicari possint lignum, scœnum, stipula, quæ ab aliis superstruantur.

Et ita habemus literis consignatum, totū ædificium Dei (cuius architecti sunt Apostoli) fundamentum scilicet, & ea quæ superstruenda sunt: & quæ huius scriptionis vsū in Ecclesia Paulus esse voluerit, inde constat, quod Epistolā inscripsit omnibus, qui inuocant nomē Christi in omni loco.

Miserat quidem Paulus Timotheum ad Corinth. cap. 4. qui inquit, ἀναμνήσει, hoc est, quasi obliuioni datas in memoriam vobis reducet vias meas. Simul

vero addidit ei quasi instructionē, seu literas fiduciaras aut credentiæ (sicut vulgo loquimur) in hac Epistola: qualis scilicet deberet esse ἀνάμνησις illa, ut inde probare posset Timotheus, ea quæ diceret à Paulo se in mādatis accepisse. Et hac cautione Paulo ideo vtendū fuit: alicubi enim Ecclesiis imponebatur, quasi per sermonē à Paulo p̄fectū, 2. Thef. 2.

Quod si quis cauilletur, vel capita quædam Apostolicæ doctrinæ, vel certe iustas explicationes in hac Epistola desiderari: respondemus simpliciter, nos non ita vnam aliquam Pauli Epistolā amplecti, ut reliquas non inspiciamus & conferamus: sed adhibitis & collatis omnib: scriptis noui Testamenti, affirmamus nos in illis habere, quātum necesse est; & sufficit, capita scilicet doctrinæ Apostolicæ, & iustas explicationes: sicut postea Paulus 1. Tim. 3. ipse confirmabit. Et hoc loco 1. Cor. 4. dicit: Sicut ubiq; in omnibus Ecclesiis doceo. Adhibenda igitur & conferenda sunt illa etiam, quæ à Paulo in aliis Ecclesiis tradita esse, ex scriptis eius cōstat. Hac enim demonstratione Paulus σὺν ἑσπέρῃ suis; adhuc viuēte se vti voluit; sicut iam ostendimus. Ideo enim scripta mandata ipsis tradidit.

Sed inquit, Paul. 1. Cor. 11. de Cœna Domini loquens, dicit: Cætera cum venero disponā. Ergo illa quæ nunc in Pontificiorum Missa seruantur, Paulus postea viua voce Corinthiis tradidit. Ita Iesuitæ.

Audax profecto est consequentia: sed eadē facilitate conuenitur, qua probatur. Omnino tamen (dicat quis) sequitur Paulum quædam voluisse viua voce disponere, quæ scripto nō est complexus. Num vero dogmata quædam plura & alia, de Cœna Domini promittit? Certe de iis quæ scribebat, dicit: Ego à Domino accepi, quod & tradidi vobis. Nō ergo vel plura, vel alia dogmata de Cœna Domini, quæ quæ à Domino acceperat, promittere potuit. De ritib: igitur quibusdam externis loquitur. Nā ita ca. 16. verbum *ἀναμνήσει* vsurpatur, ut prima sabbati elemosyna seponatur. Paulus vero iolicite distinguit illa de quib: mandatū Domini habet, à ritibus adiaphoris, qui ad ædificationē Ecclesiæ ordinantur. Talia enim non sicut dogmata perpetua & vniuersalia sunt: vt de aperto & velato capite, ca.

11. Cum igitur ea quæ præfens ordinare voluit, noluerit scripto cōplecti, quis nostrum dicat, ista vel illa esse: aut si quis dicere audeat, vnde probabit? Sed video ex hac obseruatione præter opinionem, scriptionē nostram excrecere. Vellem enim generali annotatione, quæ de reliquis Epistolis restant, cōprehendere: sed tamen animaduerto, ex singulis ferme Epistolis, peculiare aliquid, quod ad hoc nostrum institutum illustrandū & confirmandū pertinet, vtiliter posse annotari. Cumq; hæc testimonia, quæ ex ipsis Epistolis Apostolicis sumuntur, omnium sint certissima, quibus præsertim, cōtra omnes caillationes rectissime possunt cōfirmari: pertexamus Catalogum illum, qua fieri poterit breuitate.

Alteram igitur ad Corinthios, ex Macedonia, non multo post priorem scripta est hac occasione. Cum ex Tito redeunte, inter cætera & hoc Paulus cognouisset, doctrinam suam à quibusdam apud Corinthios hoc prætextu in contemptum adduci, quod aliorum Apostolorū maior deberet esse auctoritas, qui cum Christo per aliquot annos versati fuerant: auctoritatem igitur ministerij sui vindicat, & inquit capite 12. Nihil inferior fui iis qui sunt supra modum Apostoli. Quid est quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, &c. Iterum vi-

Scriptura libri omnes retinendi & inser se conferendi.

13

2. Epistol. ad Corinth. scrip. pra occaso.

Epistola 1. ad Corinth. scrip. pra, altera causa.

Ædificium Dei.

des, Ecclesiam turbare disputationibus, de viuis Apostolorum traditionibus. Illud vero ad nostrum institutum proprie pertinet, quod à falsis fratribus, tunc cepit iactari, longe alium esse Paulum absentem per epistolas, quam præsens sit verbo & facto. Colligitur hoc ex 1. 10. & 13. capitibus. Aliquoties igitur repetit: Quales sumus absentes per Epistolas, tales & præsentes facto, c. 10. Prædixi & prædico, vt præsens, ita & nunc absens, ca. 13. Et pulcherrima extat sententia in 1. cap. Non enim alia scribimus vobis, quã quæ legitis & cognoscitis. Vtitur duobus verbis ἀναγιγνώσκετε, quod Græca scholia recte interpretantur, quasi per reminiscenciam aliquid antea traditum & notum recognoscere: & ἀναγιγνώσκετε quod significat notum, compertum & exploratum habere. Ipse igitur Paulus occasione sibi ab aduersariis data, ex professio consignauit testimonium de suis Epistolis, quod in illis nihil scripserit, quã quæ præsens viua voce tradiderat, ita vt legentes Epistolas, in illis recognosceret doctrinam prius traditam. Et pulchre huc conuenit, sicut Basilius verbo ἀναγιγνώσκουσιν vtitur, cum inquit: Agnouit Epistolam tuam, sicut filij non degeneres ex similitudine cum parentibus noscitantur: ita Paulus dicit Epistolas suas ex doctrina quã præsens viua voce tradiderat, agnoscit. Ea igitur quorum cognitionem antea viua voce Ecclesiis tradiderat, postea Epistolis suis cõplexus est. Non enim alia inquit, scribo vobis, quã quæ cognoscitis & cognoscitis. 1. Cor. 14. verbo illo ita vtitur, vt significet se Epistolas suas subiicere recognitioni seu diiudicationi illorum, qui Prophetæ seu spirituales erant. Dixerat enim: Spirituales diiudicant omnia, ca. 2. Ita autem inquit ca. 14. Si quis videtur Prophetæ esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quod Domini mandata sint. Publico igitur Ecclesiæ testimonio & iudicio comprobata fuerunt Pauli Epistolæ, cum quidem aduersarij illas arroderent. Et hoc testimonium Pauli de suis Epistolis, cum aduersarij illis detrahere inciperent, diligenter notandum est, quod qualis præsens viua voce fuit, talis sit in Epistolis. Non minus igitur nunc, nec alio modo habemus Paulum docentem, quam cum præsens viua voce Ecclesias institueret. Et has traditiones Pauli, ex animo amplectimur, veneramur & exosculamur. Venimus iam ad Epistolam ad Romanos, cui hoc à nostris tribui indigne fert Lindanus, quod complectatur methodum fidei Christianæ. Sed ipse Paulus explicet nobis, quo cõfilio Epistolam illam scripserit, ca. 1. inquit: vt impertiar vobis aliquod donum spirituale, ad confirmandos vos: hoc est, vt communem capiam consolationem in vobis, per eam quæ in uicem est fidem vestram atque meam. Et cap. 15. inquit: Scio, quod repleti sitis omni scientia: sed tamen audacius scripsi vobis, ex parte tanquam in memoriam vobis reducens, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi, in Gentibus, sacrificans Euangelium, vt fiat oblatio Gentium accepta, &c. Quod igitur præsens præstare non potuit, per Epistolam efficere voluit, confirmare scilicet fidem, quæ communis erat & Pauli & Romanorum: id quod reducendo in memoriam, ita vt in Epistola ad Romanos sit minister Christi, sacrificans Euangelium in Gentibus, sicut impleuerat illud à Ierusalem ad Illyricum vsque. Addit autem, se scripsisse illam Epistolam, cum instituisset profectionem Ierosolymam. Et de illa profectione, dicit Actorum 20. Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protesta-

tur, vincula & tribulationes me Hierosolymis manere. Scio quod amplius non videbitis faciem meam, &c. Cum igitur Ierosolymas quasi ad mortem proficisceretur, conscripsit illam Epistolam: vt si quid ipsi accideret, literis cõsignatum post se relinqueret, quomodo administrasset Euangelium Dei inter Gentes, & quod esset Euangelium Christi quod impleuerat, hoc est, plene, sufficienter & perfecte prædicauerat à Ierusalem per circuitum, vsque ad Illyricum. Et propter hanc causam copiosius & accuratius capita doctrinæ, quæ in alijs Epistolis tantum recitauerat, ad Romanos iusta explicatione tractat & declarat: id quod pulcherrima methodo.

Habemus igitur in Epistolis Pauli non nudum tantum catalogum capitum eius doctrinæ quam viua voce tradidit: verum etiam iustas explicationes, & quidem quo ordine, & qua methodo capita illa à Paulo sint proposita: & propter hanc causam, Epistola ad Romanos merito à nostris commendatur. Complectitur enim methodum fidei quæ fuit & Pauli & Romanorum: continet summam Euangelij quod Paulus impleuit, hoc est, plene prædicauit à Ierusalem ad Illyricum vsque: & hoc ita continet, vt fundamenta, ex quibus doctrina illa munitur & confirmatur, monstret & explicet. Dicit enim: Ad confirmandos vos, εἰς τὸ σθερῶσαι ὑμᾶς. Et quidem tunc scripta est, cum Paulus ob imminens vitæ discrimen, quasi confessionem suam fidei & doctrinæ volebat post se relinquere. Et quia fides Romanorum tunc in vniuerso mundo, celebrabatur, hanc Epistolam illis inscripsit: vt hac ratione totius orbis Ecclesiis Pauli confessio innotesceret, & commendatior esset.

Theodoretus quærit, quare Epistola ad Romanos primo loco sit collocata, cum tamen non sit prima omnium scripta? Et respondet hoc factum esse, quia in se omnis generis doctrinam, & accuratam copiosamque dogmatum pertractionem contineat.

Hæc omnia tam manifesta, firma & plena consolationis, Lindanus eludere conatur vnica vocula, quod Rom. 15. Paulus dicit: Audacius scripsi vobis εὐμάρως. Ergo non omnia necessaria fidei dogmata, illa Epistola complecti voluit. Dicit enim, se ex parte scripsisse. Quid autem, si illud εὐμάρως, referendum sit non ad verbum scripsi, sed ad aduerbium audacius? vt sensus sit, Aliquantulum, vel quodammodo audacius scripsi vobis: sicut 2. Corinth. 2. particula illa vsurpatur: Non me contristauit, sed εὐμάρως quodammodo vos omnes. Et si maxime coniungatur verbo Scripsi, tamen & 1. Corinth. 13. Paulus dicit: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Dicit etiam 2. Corinth. 1. Spero quod vsque ad finem cognoscetis, sicut & cognouistis nos ex parte. Dicemusne propterea Paulum etiam viua voce non tradidisse omnia quæ necessaria erant? Ita tandem nec in Scriptura, nec in traditionibus Apostolorum habebimus omnia. Sed demus sane institutionem Baptismi & Cœnæ Dominicæ, integram historiam de dictis & factis Christi, de virginibus, de Antichristo, de excommunicatione, de extremo iudicio, de ritibus, qui in priori ad Timotheum describuntur, &c. non contineri in Epistola ad Romanos. Si igitur εὐμάρως hoc significat, quædam capita doctrinæ in Epistola ad Romanos non comprehensa esse: nos quæ illa sint, ex alijs scriptis noui Testamenti monstrare & probare possumus. Pontificij vero illud εὐμάρως non tantum ad Epistolam ad Romanos, sed ad to-

Vides Et dignitas Epistola Pauli ad Romanos.

Epistola Pauli ad Romanos.

Quo consilio Epistola Pauli ad Romanos sit conscripta.

tam Scripturam veteris & noui Testamenti referunt. Et reliqua illa quæ in Epistola ad Romanos non continentur, non tantum volunt ea intelligi, quæ in aliis Scripturæ locis extant, sed præcipue quæ ipsi titulo traditionum Ecclesiæ obtrudunt. Hoc verò Paulus non dicit, cum inquit, *ἀπὸ μέγας*. Quod si Pontificij instant & vrgent, respondemus verbis Augustini aliquoties iam repetitis: Si scripta non sunt: quis nostrum, qui nec Prophetica nec Apostolica autoritate excellimus, dicet ista vel illa esse: aut si quis dicere audeat, vnde probabit? Quis enim est tam vanus & temerarius, qui cum sine vlllo testimonio diuino affirmet illa esse, non maximam culpam temeritatis incurrat: Quod enim titulum traditionum Pontificij præterdunt, non sufficit. Nam cum Timotheus & Titus, potuissent verius illud præterdunt: Paulus tamē, sicut ostendimus, idē ipsis dedit Epistolas, vt ex scriptis probarent autoritatem & veritatem eorum quæ proponebant, vbi Paulus ipse presens adesse non poterat. Apostolorum enim erat, vt sanam doctrinam vel ipsi traderent, vel ab aliis traditam, si vera esset, comprobarent & confirmarent: aut si secus deprehenderetur, notarent & refutarent. Idque vbi & quantum poterant, viua faciebant voce: sicut Acto. 8. mittuntur Petrus & Ioannes, vt Philippi prædicationem, Apostolica autoritate comprobarent & confirmarent. Vbi verò viua voce presentes esse non poterant, per literas illud efficiebant: sicut Paulum fecisse monstrauimus. Talia igitur documenta, talem demonstrationem & probationem merito requirimus, quando aliquid quasi Apostolica traditio nobis proponitur. Inter ea illis quæ Scriptura continentur, contenti sumus.

Et hæc sunt Epistolæ, quas Paulus ante captiuitatem suam scripsit. Quas verò Roma ex vinculis ad Ecclesias misit, de iis non potest certo constitui, quo ordine sint scriptæ: nec ad nostrum institutum magnoperè hoc facit, qui tantum inquirimus, quo consilio, propter quas causas, & in quem Ecclesiæ usum sint scriptæ. Eo igitur ordine, sicut vulgò collocantur, de illis dicemus. Epistola ad Galatas, propter quas causas, & in quem usum scripta sit, ipsa indicat. Galatæ enim à doctrina Euangelij, quam ex traditione viua vocis à Paulo acceperant, discesserant & translata erant. Quo verò modo, qua specie, aut quo prætextu, Euangelium interuersum fuerit apud illos, qui Paulum antea vt angelum Dei, imò vt Christum ipsum susceperant, ipsa Epistola non obscure indicat. Instabantur opiniones, vt tradita à reliquis Apostolis qui non ita abhorrent à lege & ab operibus eius, sicut Paulus, & contendebatur, illorum autoritatem, qui cum Christo versati, omnium secretorum eius conscij essent, merito præferendam esse Paulo. Non instituumus iustam explicationem argumenti Epistolæ ad Galatas, sed hanc tantum observationem ostendimus, quod puritas doctrinæ, per traditiones non fideliter fuerit conseruata apud Galatas: sed quod titulo & prætextu traditionum, quasi à reliquis Apostolis acceptarum, Ecclesia turbata, & pura doctrinæ massa fermento corruptionis infecta fuerit, sicut Paulus ipse loquitur. Non autem omnino abiecerant Galatæ professionem Euangelij, sed historiam veteris Testamenti, & historiam de Christo ipsos retinuisse, non obscure ex hac Epistola colligitur. Affirmat autem Paulus Euangelium apud ipsos esse interuersum propterea quod discrimen legis & Euangelij, & verum cuiusque officium & usum, admissa consu-

sione amiserant: quod puritatem doctrinæ de peccato, de operibus legis, de iustificatione fidei, & de sequenti nouitate, non rectè & distinctè conseruauerant. Et hoc diligenter obseruandum est, doctrinam Euangelij non tantum consistere in historica vel narratione, vel assensione, de dictis & factis Christi, & reliquis quæ in Sacra Scriptura narrantur: sed potissimum sitam esse in vera interpretatione & accommodatione ad penitentiam, fidem, iustificationem, spem & caritatem. Et de hoc argumento Paulus laborat in Epistola ad Galatas.

Consideremus autem, quale remedium Paulus opposuerit corruptelis illis, sub prætextu traditionum sparsis. Afferit quidem multis argumentis ministerio suo autoritatem: & Galatas deducit ad illud Euangelium, quod ex traditione viua vocis antea ab ipso acceperant. Et addit: Si vel nos Apostoli, vel angelus de cælo euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Num verò silentio præterit & inuoluit, quæ fuerint illæ suæ traditiones, ad quas Galatas ablegat? Certè illo consilio instituit scripturam huius Epistolæ, vt ea quæ de doctrina Euangelij, viua voce apud Galatas tradiderat, explicet & confirmet: de Iesu scilicet Christo crucifixo (in quo tota historia Christi comprehenditur) & de vera huius historia accommodatione, explicatione & usu. Quale igitur fuerit Euangelium quod Paulus Galatis annunciauit, quodque Galatæ acceperant, non opus est vt vel ex coniecturis, vel ex fama traditionum non scriptarum diuinemus. Paulus enim literis illud consignauit, & copiosè explicauit in Epistola ad Galatas. Rectè igitur Hieronymus dicit: Spiritus sancti doctrina est, quæ canonicis literis prodita est: contra quam si quid statuunt Concilia, nephas duco. Quia igitur Paulus dicit: Si quis præter id, quod nos euangelizauimus, & vos accepistis, annunciauerit, anathema sit. Illud verò quod Paulus euangelizauit, & Galatæ acceperant, literis consignatum est: rectè ergo & Basilii & Augustini Pauli illam sententiam ad Scripturam accommodant: Si quis præter illam doctrinam, quæ in Scriptura comprehensa & tradita est, aliud euangelizauerit, anathema esto. Paulus enim non tantum dicit, Si contra: sed, si præter id fuerit, etiam si modicum fuerit fermenti, corrumpi puritatem totius massæ, Gal. 5. Cap. 4. dicit: Filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Quomodo verò parturit Paulus Galatas? Certè illa doctrina quæ in hac Epistola explicauit: & illa ipsa doctrina, antea fuerant regenerati. Habemus ergo in Epistola ad Galatas, doctrinam qua filij Dei generantur, & qua rursus si lapsi fuerant, parturiuntur, vt Christus in ipsis formetur. Et cap. 6. Epistolam ita concludit: Quotquot iuxta hunc Canonem, normam seu regulam incedunt, pax super illos, & misericordia. Repeto autem quod ex Tertulliano antea citatum est: Si Paulus aliquid aliud, præter & extra ea quæ scripserat, intelligi voluisset, nominasset vel istum vel illum Canonem. Dicit autem *τὸ κατὸν νόμον*, iuxta hunc Canonem. *δευτικῶς* ergo intelligit de iis quæ scripserat. Et non simpliciter dicit in præsentem *σοιχοι*, sed *ἑσσι σοιχοι* vt ostendat, non propter Galatas tantum, & presentem ipsorum necessitatem scriptam esse hanc Epistolam: sed sicut Psal. 102. inquit. Scribantur hæc in generationem alteram: vt apud populum qui creabitur, eius usus sit.

Et sine dubio appellatio Scripturæ canonicæ hinc sumpta est. *σοιχοι* enim in re militari vocantur ordines, certa ratione collocati, & hostibus

Doctrina Evangelica quæ in repositissima consistat.

Doctrina Epistolæ Pauli ad Galatas

Epistola Pauli ad Galatas.

oppo-

oppositi. Et γῆ κατὰ σοῖχον περιουμένη vocatur, in qua certo ordine, ad certam normā arbores compositæ sunt. Et vtraq; significatio pulchre hūc loco conuenit, vt certo ordine vestigijs veræ fidei insistamus. Ro. 4. Ne aberremus, vtq; contra incurfiones hostiū fidei præmuniti simus, necesse est, vt ad certū ordinem, certis quasi cancellis circūdati incedamus, ne lineā illam, quæ quasi norma est ordinis, prætergrediamur. Quis autē sit illis κανόν, Paulus ostēdit, cum de iis quæ scripserat, dicit, τῷ κανόνι τῷ τῷ. Et vitur tempore futuro, significans quem velit scriptorū suorum vsum esse apud posteritatē, in Ecclesia: vt scilicet sint canon fidei, ita vt pax & misericordia sit super illos, quorum fides secundū hunc canonē incedit. Et quid amplius quærimus, quā vt pax & misericordia Dei sit super nos credentes: Et grati hoc beneficiū Dei celebrare debemus quōd in Scriptura illum canonē certō nobis constituit: iuxta quem si fides nostra inceserit certi sumus, pacem & misericordiam super nos esse.

In Epistola ad Ephesios cap. 3. extat insignis sententia de instituto, sine & vtu Epistolarum Pauli: Sicut suprā scripsi in breui πρὸς ὁ, potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi. Sed prius explicandum est: quid significet τὸ πρὸς ὁ. Vetus interpres reddit, prout potestis legentes intelligere. Et ita Chrysostomus interpretatur, exclamans Papæ. Itaque neque rem omnem scripsit, neque quantum scribi oportebat: istud enim rei natura non ferebat.

Theophylactus: Scripsi non quantū oportebat, sed secundum captū vestrum. Oecumenius: En tātum modo scripsit, quorum caperent notionem. Et ita vsurpatur aliquādo Præpositio πρὸς, in proportionibus. πρὸς αὐτὸν, pro corporis eius quantitate: πρὸς τὸ μέγεθος τῆς πόλεως, pro vrbis magnitudine. Dicitur etiam πρὸς τὸ δοκῆν, prout visum fuerit: πρὸς τὸν πολλῶν λόγον, sicut vulgus existimat. Porro habet etiam Præpositio πρὸς cū accusatiuo alias significaciones, quæ ad Pauli sententia rectē conueniunt, vt Thucydides: πρὸς τὰς ἀριστολὰς ὑπέπλεον αὐτὸν, ex Epistolis habebant ipsam suspectū: Germanicè ita dicimus: Man kennt in an seiner sprach/an seinem schreiben. Et ita Lutherus reddidit Pauli sententiā: Daran jr mercken fundt. Latine non potest commodius reddi, quā: Vnde, seu ex quibus potestis intelligere. Conuenit & hæc significatio: τὰ πρὸς ἀλήθειαν καλὰ, τὰ πρὸς νόμον, quæ ad normam veritatis & legū, pulchra, honesta sunt. Ita Plutarchus dicit: πρὸς φῶς βαδίζειν, Lumine monstrāte viam ambulare. Quod igitur Paulus dicit Eph. 3. πρὸς ὁ δὲ δόξα τοῦ νοῦ σου; sensus erit, vel sicut verus interpres reddidit, Prout potestis intelligere: vel, vnde, seu ex quibus potestis intelligere: Daran jr fündt mercken. vel, Ad quā tantā normam legētes potestis intelligere. Et singula hæc sententiam Pauli illustrent, quid scriptis suis ipse tribui velit. Sensus autem ita colligetur. Cap. 1. nominat Euangelium salutis, quod fide amplexi, & Iudæi & Gentes signati sunt Spiritu promissionis sancto in redemptionē acquisitionis. Petit illuminari oculos mentis, vt sciant quæ sit spes vocationis, quæ diuitiæ hæreditatis, quæ potentia Dei in credentes, &c. Cap. 2. dicit: Christus veniens (per ministeriam scilicet) euangelizauit pacem, & iis qui procul aberant, & qui propè erant. Estis superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente summo angulari lapide, ipso Iesu Christo. Cap. 3. Siquidē audiuitis dilpen-

sationē gratiæ Dei, quæ data est mihi in vos, quoniam secundum reuelationem notum factum est mihi mysterium, vt inter Gentes euangelizem, &c. Vide autem quomodo illa omnia Paulus ad scripta sua referat. Dicit enim: Sicut suprā scripsi, in breui πρὸς ὁ, potestis legentes intelligere, cognitionem meam in mysterio Christi, Digna omninō est sententia accurata consideratione. Paulus enim valedicens presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ, Act. 20. inquit: Non subterfugi, quōd minus annunciarim omnem consilium Dei vobis. Iam verō Romæ ex vinculis ad ipsos scribens, repetit summam & capita, quōd Christus per ministerium euangelizari pacem & Gentibus & Iudæis: quōd Iudæi primum, postea Gentes fide susceperint Euangelium salutis: quōd ipse Paulus Euangelium, quōd per reuelationem filij Dei accepit, annunciarit inter Gentes: quōd Ephesij audierant, per quod superextructi sunt super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, &c. De his omnibus verō tandem dicit: Sicut suprā scripsi in breui πρὸς ὁ, potestis legentes intelligere scientiam meam in mysterio. Verba sunt aliquantō diligentius expendenda, ἐν ὀλίγῳ. Oecumenius interpretatur, vei pauld antè, vel per breuiam, seu paucis. Quōd si ἐν ὀλίγῳ significat pauld antè: verbum ergo προέγραφα non simpliciter significabit, suprā vei ante scripsi: esset enim Tautologia: sed habebit alteram significacionem, quæ pulcherrimè huc quadrat. Significat enim πρόγραμμα Scripturam in publico loco positam, vt ab omnibus legi possit: sicut edicta magistratus, aut rescripta Principum proponebantur. Et suprā ostendimus ex secundo capite Habacuc, quomodo Propheta summam suarum concionum soliti fuerint conscribere & proponere. Scribe, inquit Dominus, visionem, & explica eam super tabulas, vt percurrat qui legerit eam. Inde Paulus Romanorum 15. Scripturæ veteris Testamenti, tribuit verbum προγράφεσαι, quōd Paulus hoc loco ad sua etiam scripta transfert, quōd sint quasi προγράμματα, hoc est, tabellæ, complectentes summam doctrinæ Euangelij publicè propositæ, vt summam illam quivis legere posset. Dicit autem, se ἐν ὀλίγῳ in præcedentibus breuiter & paucis illa conscripsisse. Pluribus enim sine dubio verbis & apud Ephesios per triennium, & alibi doctrinam Euangelij tradiderat. Ne verō idē Scriptura arguatur imperfectionis seu insufficientiæ, addit, πρὸς ὁ, potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi. Si sequamur Chrysostomi sententiam, redditio erit rationis, quare ea, quæ multis verbis & copiosa oratione tradiderat, breuiter & paucis voluerit scripto comprehendere: prout scilicet legentes possint scientiam Pauli in mysterio Christi intelligere.

Narrat Paulus 2. Corinth. 12. se raptum in tertium vsque cælum, audiuisse ibi ἀρρήτα verba, hoc est, mysteria, quæ verbis explicari non possunt. Totam igitur scientiam suam in mysterio Christi, non potuit humanis verbis satis & plenè explicare. Et etiam si potuisset angelorum & hominum linguis loqui. 1. Corinth. 13. affirmat tamen hoc loco, se & breuiter & eo modo scripsisse, prout legentes scientiam ipsius in mysterio Christi possent intelligere. Quod igitur paucis & breuiter Paulus scripsit, non rectè à Pontificiis in accusationem Scripturarum cōuertitur, quasi sint imperfectæ & insufficientes. Sed eò gratiores debe-

Chrysostom.

Theophylactus.

mus hoc beneficium Spiritus sancti summa cum reuerentiā amplecti, quōd Scripturā ita moderari voluit, prout legētes intelligere possimus. Et hinc iudicari potest, qualis sit præsumptio, nolle illis, quæ scripta sunt contentū esse, propterea quōd Apostoli plurib. & copiosius doctrinā tradiderint.

Epiphanius.

Epiphanius narrat, Caianos confinxisse librum, quem ascensum Pauli nominarunt: occasione inde accepta, quōd ἀρρητὰ illa verba, quæ in tertio cœlo Paulus audiuerat, quia tunc carnalibus & rudibus adhuc non poterat explicare, iudicant tamē cognitū necessaria esse, prætēr illa, quæ scripta extabant, & potuerunt prætendere, quōd Paulus tunc scripserit, prout poterant intelligere, postea verō perfectioribus reliqua etiam esse tradita & scripta. Sed nugæ & fraudes sunt. Illis igitur, quæ propter nostram tarditatem & infirmitatem breuiter & simpliciter scripta sunt, contenti simus.

Si verō Præpositio πρὸς, alio modo accipiatur, reddet hunc sensum: se paucis quidē scripsisse, sed tamen ita, quōd inde possit à legentibus intelligi, qualis fuerit cognitio Pauli in mysterio Christi. Si igitur quæstio est, quōd fuerit mysterium, cuius agnitionem ex reuelatione filij Dei Paulus accepit, quōd inter Gentes annunciauit, quōd fideles & Iudæi & Gentes susceperunt, quōd Ephesi audiuerunt, cūm Paulus ipsis omne Consilium Dei annunciat, per quōd superextructi sunt, super fundamentum Apostolorum & Prophetarū? Respondet Paulus, se paucis quidē, sed tamen ita scripsisse, vt πρὸς τὸτο inde & tanquam ad normam intelligi possit, quæ sit scientia ipsius in mysterio Christi. Et quid per Deum immortalem amplius quærimus? Hæc enim est vnitas illa fidei & agnitionis filij Dei, de qua capit. 4. loquitur, propter quam dat quosdam Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Doctores, Pastores, ne circūferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominū, &c. Hoc profectō luculentum testimonium, quid Paulus suis scriptis tribui velit: & ostēdit illustrē refutationē Pontificiæ obiectionis, de breuitate & angustia scripturæ.

Epistola ad Philippenses.

Epistola ad Philippenses, præbet etiam nō contemnēdum testimonium eius rei, de qua inquisitionem instituimus: quo scilicet consilio, ppter quā causam, & in quē vsum Apostoli doctrinam suam literis consignarint. Ita enim dicit cap. 3. τὰ αὐτὰ, eadem vel illa ipsa vobis scribere me quidem non piget, vobis autem tutum est. Illud autem τὰ αὐτὰ, non potest referri ad alias aliquas Epistolas, quas Philippensibus antea scripserit: hoc enim probari non potest. Referendum igitur est ad ea, quæ præsens viua voce tradiderat, sicut cap. 4. inquit: Quæ didicistis, accepistis, audiulistis, & vidistis in me.

Testatur itaq; ipse Paulus, se eadē & illa ipsa scripsisse, quæ præsens viua voce tradiderat. Et causam addit, quare eadem & illa ipsa scripto comprehendere voluerit: Mihi inquit, ἐκ ὀκνηρον, hoc est, non grauatim hoc facio quasi pudeat me, vt superfluū & nō necessarium quid agere, eadem scilicet, quæ tradidit etiā scribere: vobis verō inquit, τὸ ἀσφαλές, quōd eadē quæ viua voce tradidi, scriptis completor. Quā verō emphasin habeat vocabulum ἀσφαλές, & quā pulchrē ostendat, ppter quā causam, & in quē vsum Paulus eandem doctrinā quam viua voce tradidit, literis consignarit, supra ostendim⁹, cūm de Lucæ scriptione ageremus: vt scilicet de veritate doctrinæ Apostolicæ simus certi & securi, vtq; eius puritatē certius, firmitus & tutius, contra

incurSIONES corruptelarū conseruare possemus: sicut & Paulus hoc loco ostendit. Cūm enim dixisset, Vobis τὸ ἀσφαλές, tutum est: Mox addit, Videte canes, videte malos operarios, &c.

Cap. 3. dicit, ad quōd peruenimus, eodem procedamus Canone. Quis autem est ille Canon? sine omni dubitatione illa doctrina, quam præsens viua voce tradiderat. Atqui Paulus affirmat, se eadē & illa ipsa scribere. Quis igitur sit Canon Pauli, habemus in ipsius scriptis, idq; ipsius testimonio: dicit enim, se τὰ αὐτὰ scribere.

Et cap. 4. de iis quæ scripserat, dicit: τὰ ὑπὲρ, hæc cogitare, quæ & didicistis, & accepistis, & audiulistis, & vidistis in me. Cōiungit igitur ea, quæ tradiderat, cū iis quæ scribebat, ita vt dicat: Hæc cogitare, quæ & audiulistis, &c. Quod nō rectē diceretur, si alia essent tradita quā scripta. Tūc enim dicēdū fuisset, Illa cogitare: vel, cogitare hæc, & præterea quæ audiulistis, dicit autē: Hęc cogitare, quæ & audiulistis & didicistis. Omnino igitur eadē esse ostendit.

Et propter has quidem causas, Paulus ad illas Ecclesias, quas præsens viua voce suæ doctrinæ fundauerat, scripsit: Colossenses verō & Laodicenses, faciē ipsius in carne non viderant, sicut dicit cap. 2. Quo consilio verō, ppter quas causas, & in quem vsum illis scripsit, qui ex ipsius viua traditione doctrinā Euangelij non acceperant. Respondet ipse cap. 2. Volo vos scire, qualem sollicitudinē habeam pro vobis, & quicumq; faciē meam in carne nō viderunt: vt cōsolationem accipiāt corda eorū, cūm fuerint instructi in caritate, & in omnes diuitias certē persuasionis intelligentiæ in agnitionē mysterij Dei. Hoc autē dico, ne quis vos decipiat in sublimitate sermonū. Item, videte ne quis vos decipiat per Philosophiā, & inanē fallaciam secundū traditionē hominū, &c. Didicerant igitur Colossenses Euangelij ab Epaphra: Paulus verō scribit ad illos, I. Vt ex Apostoli scripta cōprobatione habeāt πληροφορίαν, illud, q; ab Epaphra, qui nō erat Apostolus, acceperant, nō esse incertū aut adulterinū dogma, sed esse verbū veritatis Euangelij, quod prædicatū est in vniuerso mundo sub cœlo. II. Ne vel per Philosophiam, vel per traditiones hominū seducantur, &c. Et huius rei sollicitudinē Paulus sibi vt Apostolo incumbere ostendit, ita vt ἀγῶνα appellet, ne sub suo vel aliorum Apostolorū nomine adulterinum aliquid spargatur. Vbi igitur præsens viua voce, nō potest adesse, per scripta officio suo satisfacit. Quod igitur Epaphras asseuerauit doctrinam illam, quā Colossensibus proponebat, esse traditionem Pauli & aliorū Apostolorum, verē & rectē faciebat. Ad πληροφορίαν verō necessaria erat Apostolica confirmatio: quam cūm Paulus viua voce præsens tribuere non posset, idē Epistolā scripsit ad Colossenses, vt certā haberent persuasionē de cognitione mysterij Dei, & ne secundum traditionē hominū seducerentur sub prætextu humilitatis & opinione sapientiæ. Hæc enim sunt ipsius verba: Non autē tantūm hæc verba scribit: Vera sunt, quæ Epaphras apud vos docuit: sed capita doctrinæ Apostolicæ recitat, vt inde agnoscant & intelligant πληροφορίαν eorū, quæ ab Epaphra audierant. Iquod eadem essent. Qualis autem esset πληροφορία, si Epaphra, alia docuisset, quā quæ Paulus tunc Colossensib. scripsit? Quicquid ergo proponitur tanquā doctrina seu traditio Apostolica, illud omnino Apostolica autoritate & comprobatione cōfirmandum est: & vbi viua Apostolorum vox haberi non

ri non potest, Confirmatione per literas opus fuit: sicut & alibi, & in hac Epistola Paulus testatur. Cap. 3. dicit: Sermo Christi habitet in vobis operenter. Quod de doctrina Christi, sicut ab Evangelistis descripta extat, intelligendū videtur. Cap. 4. meminit Marci, à quo madata acceperint. Quod intelligo de Epistola Apostolorum, Acto. 15. Cū enim separarentur Paulus & Barnabas, Act. 15. sicut Paulus cum suis tradidit Ecclesiis dogmata decreta ab Apostolis. Acto. 16. quæ scripto comprehensa fuisse certissimum est, Act. 15. Ita non est dubium, etiam Barnabam cum Marco, quem Act. 15. assumpserat, idem fecisse. Et quæ Act. 16. vocantur *δὲ γράματα*, hoc loco vocari videntur *ἐπιτολὰι*. Ita ad scripta noui Testamenti, quæ tunc extabant, Paulus Colossenses deducit. Non autem in Colossensium tantum usum Paulus Epistolam illam conscripsit, sed vult ut legatur etiam in Ecclesia Laodicensium, qui ut Colossenses faciē ipsius in carne non viderant. Nobis igitur omnibus, qui Pauli viam vocē non audiuius, & faciem in carne non vidimus, Epistolæ eius propositæ sunt, ut inde *πληροφορίαν* fidei nostræ sumamus. Hoc enim est ipsius Pauli consilium, & est ratio controuersie, quæ inter nos est & inter Pontificios.

*Epistola ad
Hebræos.*

Addamus hoc loco etiam obseruationem ex Epistola ad Hebræos: de autore enim iam non disputamus. Recte autem definit doctrinam Euangelij, quæ à Domino primū cœpit enarrari, & postea ab Apostolis prædicata & confirmata est. Dicit autem cap. 2. Ne *παρὰφύωμεν* Recte enim dicit Chrysostomus: Quando sermo auditus non retinetur aut conseruatur, dicitur effluere. Quare igitur Epistola illa scripta sit, inde potest æstimari: ne scilicet effluant ea, quæ ex traditione viæ vocis acceperant. Et capite quidē 13. dicit, se breuiter & paucis scripsisse: duo tamen cōplectitur, in quibus summa doctrinæ Apostolicæ consistit. Nā cap. 5. & 6. ostendit, quæ elementa doctrinæ Apostolicæ solita fuerint proponi in Ecclesijs, tempore Apostolorū. Et nuda sanē tantum capita Apostolicæ catecheseos ibi recitantur: iustæ verò explicationes in alijs Apostolorū scriptis extant. Principale verò argumentum Epistolæ ad Hebræos hoc est, quis intelligendus sit solidus adutorū cibus, quem post percepta prima fidei elementa Christianis proponi solitum, Paulus etiam cōfirmat, 1. Cor. 3. & 14. Et hæc duo capita, sine dubio cōplectuntur summā totius doctrinæ Apostolicæ. Ideo cap. 13. concludit: Doctrinis varijs & peregrinis nolite circumferri. Ita Nicephorus etiā dicit argumentum Epistolarum Apostolicarum consistere in duobus: I. quod ea, quæ viua voce tradiderant, per literas in memoriā Ecclesijs reuocant. II. Quæ fundamento suprà extruenda erant, per Epistolas adiiciunt. Et cū illa duo, in quibus summa totius Apostolicæ doctrinæ consistit, fundamentum scilicet, & quæ fundamento superextruenda sunt, habeamus in Scriptura noui Testamenti, quid ultra desideramus?

Superest ex Epistolis Pauli, posterior ad Timotheū: quā tunc scripsit, cū finis resolutionis ipsius instaret: & quia illā paulō ante mortē suam scriptam, quasi vltimæ voluntatis loco Paulus Ecclesie relinquere voluit, suppeditabit nobis maximè illustre testimoniū de tota Scriptura noui Testamenti. Cap. 2. dicit: Habeto *ὑποτύπωσιν* sanctorū verborum, quæ audisti ex me. Ne verò dubia aut ignota sit illa hypotyposis, mox addit, illam consistere in his du-

obus capitibus, fide scilicet & charitate, quæ in Christo Iesu fundata sunt. Et hoc mox vocat bonū illud depositum, quod iubet custodire. Cap. 2. inquit: Quæ audiuiisti à me per multos testes, hæc cōmenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Et cap. 3. Tu permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.

Has sententias loqui de doctrina, quam Paulus præfens viua voce Timotheo tradiderat, non est dubium. Sed vnde nos, qui nec Pauli, nec Timothei viua vocem audiuius, certi erimus quæ fuerint illæ traditiones, Timotheo à Paulo commendatæ? Num apud posteritatem, *πληροφορίαν* fidei nostræ voluit pendere à narrationibus & asseuerationibus hominum, qui (sicut Augustinus inquit) nec Propheticam nec Apostolicam habent autoritatē? Certè sæpius iā ostensum est quod propter illā ipsam causam Paulus doctrinam suam literis consignarit. Eodem etiam modo 2. Tim. 3. à traditionibus viuæ vocis digreditur ad Scripturam.

Et cū hæcenus de singulis Epistolis & scriptis noui Testamenti, obserauerimus testimonia ex ipsis verbis Scripturæ, iam hoc loco Paulus circa finem vitæ suæ, in genere, vniuersæ Scripturæ, & veteris & noui Testamenti, clarissimū & pulcherrimum voluit præbere testimonium. Et sicut Col. 2. dicit, se dum viueret sollicitū fuisse de plerophoria fidei illorū, qui faciē ipsius in carne non viderant: ita iam moriturus, eandē sollicitudinem Ecclesie ostendit pro tota posteritate, quæ faciem ipsius non visura, & vocem non auditura erat in hac vita. Est autem sine dubio eius doctrinæ, quā Paulus præfens viua voce tradidit, summā & finis, ut homines erudiantur ad salutem per fidem in Christo Iesu.

Idem verò de sacris literis affirmat, inquit enim: Sacræ literæ possunt te eruditū reddere ad salutem per fidē quæ est in Christo Iesu. Sicut igitur Ioannes de scriptis Euangelistarū pronunciat: Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credētes, vitā habeatis in nomine eius: ita Paulus de tota Scriptura affirmat: Sacræ literæ possunt te instruere ad salutē, per fidē quæ est in Christo Iesu. Iudicium tam est simile, & quidem iisdem verbis pronunciatum à Paulo primū, & postea à Ioanne: ut illa similitudo & autorem eundem Spiritū sanctum ostendat, & præcipuè constantē certitudinē & firmitatem iudicij huius de Scriptura sacra confirmet. Ne enim iudicium illud de Scriptura, putetur vno in loco obiter excidisse: alio loco & tempore, iisdem verbis Spiritus sanctus illud repetere voluit. Et tales repetitiones in Scriptura, significationem habent certitudinis, quodque res magni momenti sit, quam Deus eorundem verborum repetitione diligenter commendatam esse velit hominibus. Ille verò locus Pauli, 2. Timoth. 3. si diligenter expendatur, ostendet Paulum loqui non tantum de sacris literis veteris Testamenti, sed de tota Scriptura veteris & noui Testamenti. Dicit enim, Timotheum ab infanzia nosse sacras literas. Sed illo tempore, quando Timotheus infans adhuc erat, nondum extabant scripta noui Testamenti. Loquitur ergo de sacris literis veteris Testamenti, quas Timotheum à primis pueritiæ annis notas habuisse confirmat. Mox verò attexit aliam sententiam: Omnis Scriptura diuinitus inspirata, &c. Hoc loco quæro, an illa sententiā tantum de sola Scriptura veteris Testamenti intelligenda sit? Si enim quis contendere ausit

*Pauli de sacra
Scriptura
iudicium.*

*Summa Epi-
stola ad He-
bræos.*

scripta

scripta noui Testamenti, quæ illo tempore iam extabant, in illa Pauli sententia non comprehendit, sed excludenda esse: sequetur, ea non esse diuinitus inspirata, nec utilia ad doctrinam, quod neminem credo dicturum.

Certum igitur & manifestum est, quod Paulus, cum de sacris literis veteris Testamenti locutus esset, mox addit generalem sententiã de omni Scriptura diuinitus inspirata: in qua scripta etiam noui Testamenti ipsum cõprehendere, nemo sine blasphemia negare poterit. Illo autem tempore quo Paulus hoc scribebat, extabant iã omnia ferme canonica scripta noui Testamenti, exceptis Ioannis scriptis. Paulus igitur & ea cõprehendit, quæ illo tempore iam extabant, & generaliter dicit: Omnis Scriptura diuinitus inspirata, &c. Hæc itaque vera est canonisatio scriptorũ noui Testamenti. Et quia de autoritate, certitudine, veritate, perfectione & sufficientia Scripturæ veteris Testamenti, nulla tunc inter fideles dubitatio erat: Paulus principaliter in posteriori illa sententiã, de scriptis noui Test. loqui videtur, de quibus iudicium suum iam moriturus ad omnẽ posteritatem Ecclesiæ relinquere voluit.

Sed quid, inquis, ex illa sententiã probabis? Vtilem enim esse Scripturam etiam noui Testamenti, nemo est qui neget. Sed ab utilitate ad sufficientiã argumentari, non est firma collectio. Liber Ruth utilis est ad doctrinam. Quis verò sanus inde colliget omnia quæ ad dogmata & ad mores necessaria sunt, in libro Ruth contineri, ita vt nihil suscipiendum sit, quod inde non possit expressè probari?

Respondeo. Fateor, si Pauli sententiã tantum diceret, Scriptura utilis est ad doctrinam, &c. non satis firmiter inde colligi sufficientiam Scripturæ. Sed Paulus pronunciat, omnem Scripturã diuinitus inspiratam, in qua etiam noui Testamenti libros comprehendit ostendimus, ita esse vtilem ad doctrinam, ad redargutionẽ, ad correctionem, ad institutionem in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum absolutus. Vocat hominẽ Dei, quod posset de quouis Christiano intelligi, qui Deo dicatus est. Sed in priori ad Timotheũ cap. 6. Homo Dei, est periphraasis ministri Euangelij, sicut Prophetæ vocabantur viri Dei. Et in tota hac posteriori ad Timotheum epistola, agit Paulus de ministerio docendi & tradendi Euangeliũ. Pronunciat igitur, Scripturã esse vtilem, vt homo Dei, hoc est, minister Euangelij sit ἀρπῶ quod significat sanũ, integrũ, omnibus partibus & numeris absolutũ. Et de sufficientia etiã vsurpatur, vt cum Græci dicunt: ἀρπῶ ποιῶν τὸ το, sufficientes sunt hoc efficere. De qua verò sufficientia & integritate Paulus hoc intelligi velit, ipse explicat, cum nominat hominem Dei, hoc est, ministrum Euangelij: vt ad omne bonum opus, quod ad ministeriũ scilicet requiritur, sit ἐξηρπασμένῳ. Nam & Tit. 3. cum de Zena legisperito & de Apollo locutus esset, addit: Discant & nostri bonis operibus præesse, quæ de ministerio præcipuè ibi intelligit. Quamuis si generaliter de quouis Christiano, & de omni opere bono intelligatur, nihil detraheretur sententiæ Pauli. Sed & vocabula & circumstantiæ ostendunt, Paulum præcipuè de ministerio loqui. Significat autẽ ἐξηρπασμένῳ, qui præparatus, instructus, & quasi ad finem deductus & absolutus est. Ita Act. 21. dies absoluti & expleti, hoc vocabulo describuntur, Et Oecumenius interpretatur ἐξηρπασμένον per τεπληρωμένον. Luca 6. vbi Christus dicit: Non est discipulis supra

magistrum, sed tunc perfectus erit, quando sicut magister erit: ibi vsurpat vocabulum κατηρπασμένῳ. Et ex illa collatione Lector intelligat, quid Paulus hoc loco vocet ἐξηρπασμένον.

Ex hac igitur vocabulorum declaratione manifestum est, Pauli sententiã hanc esse: Quando homo Dei, hoc est, minister Euangelij, Scripturã diuinitus inspiratã vtitur ad doctrinam, ad redargutionẽ, ad correctionem, ad institutionem: quod tunc sit in ministerio ἀρπῶ, hoc est, sanus, integer, sufficiens & perfectus ad omne bonum opus, quod ad ministerium requiritur, ἐξηρπασμένῳ, satis & sufficienter instructus, paratus & absolutus. Hanc enim esse emphasin vocabulorum certum est.

Quæritur iam, an homini Dei, hoc est, ministro Euangelij, quãdo habet & rectè vsurpat Scripturã diuinitus inspiratã, aliquid præterea aliud præter Scripturã ad ea quæ ministerij sunt, sit necessariũ? An verò Scriptura diuinitus inspirata, sufficienter contineat illa omnia, quæ ad ministeriũ Euangelij pertinent & requiruntur? Pontificij priorẽ sententiã defendunt: nos posteriorem de perfectione & sufficientia Scripturæ tuemur. Quod si pio studio quæritur, vtri sententiæ Paulus accedat, & suffragiũ suum adiungat: res contra omnes cauillationes manifestissima est, pronunciat enim Scripturã ad hoc esse vtilem, vt homo Dei sit ἀρπῶ, ad omne opus bonũ ἐξηρπασμένῳ. Quod si præter Scripturã, aliæ etiam & diuersæ traditiones non scriptæ, pari reuerentia & pietatis affectu suscipiendæ sunt: perfectò Paulus non rectè dixisset, Scripturam ad hoc vtilem esse, vt homo Dei sit ἀρπῶ, ad omne opus bonũ ἐξηρπασμένῳ. Habent autẽ se correlatiue, doctrina ministerij, & fides Ecclesiæ: quod igitur de vno probatur, de altero etiam probatũ esse intelligitur. Sed inquis: Paulus tamen Timotheo non tantum Scripturam commendat, verum etiã traditiones, quas viua voce ipsi tradiderat. Quæ audisti, inquit, ex me, quæ didicisti, quæ concredita sunt tibi, &c. Verum hoc est. Sed vide quã simplex & plana sit solutio. De suis traditionib. Paulus dicit: Hęc præcipe & doce. Hoc enim faciens, & te ipsum saluũ facies, & eos qui te audiunt. In illa igitur doctrina, quã Paulus viua voce tradidit, absq; omni dubitatione cõprehensa fuerũt omnia, quæ ad dogmata & ad mores necessaria sunt. Et de illis Pauli traditionibus rectè dici potuit, quod sint vtilis ad doctrinã, vt homo Dei sit ἀρπῶ, ad omne opus bonum absolutus. Non enim subterfugi, quin omne consilium Dei vobis annunciarim, inquit Act. 20. Quia verò Paulus, idem de Scriptura pronunciat, sicut ostensum est: omnino igitur necesse est, eandem doctrinã, quam Paulus viua voce tradidit, in Scriptura esse cõprehensam. Non enim dicit, Qui habet Scripturã, habet partem aliquam doctrinæ Apostolicæ: quando verò ad Scripturam adiungit traditiones nõ scriptas, tum demum homo Dei est ἀρπῶ. Hoc nõ dicit, sed verba sunt clarissima: Scriptura utilis est, vt homo Dei sit ἀρπῶ. Vtrumque igitur verum est: Homo Dei tenens Pauli traditiones, ἀρπῶ est in ministerio: & Tenens Scripturam diuinitus inspiratã, ἀρπῶ est in ministerio. Quia eadem est doctrina, quæ primò viua voce fuit tradita, & postea in scriptis comprehensa. Neque locum habet illa obiectio, quod 2. Thess. 2. inquit: Tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonẽ, siue per epistolam nostram. Illud enim Paulus tunc dixit, quando libri noui Testamenti pri-

An in sacra
Scriptura omnia con-
tineantur, quæ
ad ministeriũ
Euangelij
pertinent.

Obiectio eius
quæ refutatio.

mūm ceperant conscribi, & nondum omnes erāt editi. Sed circa finem vitæ suæ, cum iam conscripti & editi essent libri noui Testamēti, ita de Scriptura loquitur, quōd duo æquipollentia cōstituit traditionem & Scripturam, vt qui vnum habet, habeat & alterū: idq; inde & idē quia idem scriptum est quod traditū fuerat. Et illa ipsa etiā capita, quæ Paulus recenset, 2. Tim. 3. ostendunt perfectionē & sufficientiam Scripturæ, quatuor enim ponit.

I. διδασκαλίαν, quæ complectitur ea, quæ ad dogmata proponenda & confirmanda pertinent.

II. ἐλέγχον. Vsurpatur autem verbum ἐλέγχον, de refutatione hæreticorum, Tit. 1. ἐλέγχον igitur complectitur diuinationem, & refutationem falsorum dogmatum.

III. Ponit παιδείαν, & addit, Quæ est in iustitia, sicut scilicet, qui iustitiam facit, iustus est. Complectitur ergo institutionem piæ vitæ, & informationem morum.

IV. ἐπαγόρευσιν, quæ arguuntur, corriguntur & instaurantur, quæ in vita & moribus, ad regulam diuinæ voluntatis non conveniunt.

Et quando in ministerio hæc habemus tam ad dogmata quæ ad mores, certè nihil vltra debemus vel possumus desiderare. Rectè ergo Paulus pronunciat, Scripturā vtilē esse, vt homo Dei sit ἀρπόμενος.

Habemus igitur ex Paulo clarissima testimonia sigillatim de singulis ipsius epistolis, propter quas causas, quo consilio, in quem finem & vsum illas conscripserit, & Ecclesiis commendauit. Adiungemus breuiter etiam ex reliquis Apostolorum scriptis testimonia quædam.

Petrus igitur 1. cap. dicit, Euangelium esse quod Propheta pronuntiat, & Apostoli Euangelizarunt: Hoc, inquit, est verbū Domini, quod euangelizatum est inter vos. Sed illud, aiunt, fecerunt Apostoli viua voce. Rectè, quis enim hoc negat? Sed iam querimus, quia Apostoli doctrinam suam primum viua voce tradiderunt, & postea eam literis consignarunt, quo consilio, ppter quas causas, in quem vsum hoc fecerint. Ipse autē Petrus in fine prioris epistolæ illud explicat: Per Syluanū vobis fidelem vt arbiter fratrem, paucis seu breuiter scripsi, adhortans & testificans, hanc esse verā gratiā Dei, in qua & statis. Antea diximus, ad Apostolorum officium pertinuisse, vt doctrinam quæ Ecclesiis tradita erat, si vera & sana esset, suo testimonio comprobarent & confirmarent. Illud Petrus antea præsens viua voce fecerat in Samaria, Act. 8. Quia verò nunc præsens viua voce non potest vbiq; in dispersione illud præstare, mittit Siluanum. Num verò ita mittit Siluanum, vt is tantum titulū traditionum obducatur illis, quæ se in mandatis à Petro habere dictas erat? Et certe Siluanus in magna tunc fuit autoritate, vt qui vnā cum Paulo aliquot ipsius epistolis subscripserit. Sed tamen in comprobatione & confirmatione dogmatum, vbi Apostolica autoritas requiritur, Petrus cum ipse præsens adesse non posset, in scripto tradidit Siluano cōsignata illa, quæ suo nomine Ecclesiis exponi volebat: vt & Syluanus probare posset, & Ecclesiæ certæ essent, quæ vera, certa & γνήσια essent mandata Petri. Habemus igitur etiam ex Petri sententia & consilio, id quod ex Pauli epistolis supra aliquoties monstrauimus: vt quando aliquis qui non est Apostolus, aliquid nobis proponit tāquam ab Apostolis traditum & acceptum, si non possumus viuam Apostolorum vocem habere,

exigamus probationem ex scripto aliqua Apostolico. Si enim nudus traditionum prætextus & titulus Ecclesiis posset satisfacere, certè non opus fuisset, vt Syluano tantæ tunc autoritatis viro Petrus sententiam suam scripto comprehensam, & Ecclesiis ex scripto commonstrandam tradidisset. Hoc verò tempore (ne quid dicam durius) profecto non sunt Syluani, illi qui sine Scriptura prætextum traditionum nobis obrudunt.

Consilium autem & causam scribendi, Petrus his verbis exponit. Scripsi paucis, & testificans hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.

Lindanus fingit, Petrum in illa epistola tantum voluisse confirmare traditiones, quas sine scripto acceperant: quæ autem fuerint illæ traditiones, nullo modo voluisse in illa epistola ostendere vel exponere. Sed si hoc tantum fuisset Petri institutum, potuisset epistolam 4. aut 6. verbis absolueret. Testificor vera esse quæ tradita accepistis. Quare verò tam multis verbis capita doctrinæ Apostolicæ recenset & exponit? Certè ipse dicit, se paucis illa scripsisse, vt testificaretur τούτων esse verā gratiam Dei, in quam stabiliti essent, Non dicit (iuxta Tertulliani obseruationem) illam, sed hanc: referens se ad ea quæ scripserat. Eorum igitur quæ euangelizata fuerant in illis Ecclesiis, repetitionē in hac epistola instituit: vt post mortem suam, sicut in altera epistola inquit, extaret testificatio, quam Petrus iudicasset veram esse gratiam Dei. In altera epistola causam descriptionis pluribus verbis, & luculentius exponit. Recitatis enim summaris doctrinæ capitibus inquit: Licet hæc sciatis, & confirmati sitis in præsentī veritate, non tamen negligam vos de his commune facere (per scripta scilicet) Et addit hanc causam, vt post obitum meum habeatis, vnde memoriam horum faciatis. Erunt enim inter vos falsi Doctores, qui fictitiis sermonibus de vobis negociabuntur. Item: quia in nouissimis diebus venient illudores. &c.

Emphasis vocabulorum expendatur, ὑπομνήματα enim vocantur commentarii seu libri, qui in subsidium memoriæ, breuibus annotationibus ex lectione seu auditione conscribuntur. Et hinc colligitur, quid Petrus velit cum usurpat verbum ὑπομνήματα: nomen & ὑπομνήσεων. Aduerbiū etiam ἐκείσε, considerandū est: significat enim semper vbiq; sigillatim. Et sensus ex illa phrasi colligendus est, ἔχειν μνήμην ποιείδου, cuius sensus est, vel vt possitis facere, vel vt habeatis vnde faciatis memoriā doctrinæ Apostolicæ semper vbiq; & sigillatim, etiā quando viuam Apostolorū vocem amplius habere non poteritis post obitum illorum. Omnino enim plus est μνήμην ποιείδου, quàm μνήμην. Significat enim conseruare memoriā alicuius rei, ἵνα enim & ἵνα quod Græci interpretes nunc μνημόσων, nunc μνήμην, nunc μνήμην, reddiderunt, significat & memoriā alicuius rei, & monumentū, quo memoria illa renouatur & conseruatur: Duas igitur causas suæ scriptiois, verbis valde illustribus Petrus recenset. I. Vt cum viua Apostolorū voce destituti fuerint, possint tamen semper vbiq; & sigillatim memoriā puræ doctrinæ ab Apostolis traditæ habere & conseruare. II. Dicit, se ideo scribere, quia futuri sint in Ecclesia falsi Doctores. Et illorum corruptelas vocat fictitios sermones, quos scilicet fingent ab Apostolis traditos & acceptos, sicut Paulus dicit, 2. Thessal. 2. Nec de illis tantum periculis, quæ tunc temporis erant, loquitur: sed futuri sunt,

Lindanus.

Petri Apostoli de sacra Scriptura iudicium.

sunt, inquit capite 2. & ca. 3. In extremis temporibus venient. Quem ergo vsum suorum scriptorum in Ecclesia esse voluerit, manifestum est. Non igitur iudicauit Petrus, per traditiones seruari posse memoriam doctrinæ. Ideo enim scripsit, imo prædicit corruptelas orituras ex fictitiis traditionib. Et his scripta opponit, & recenset summam Scripturæ. 1. Sermonem propheticum, qui in veteri Testamēto descriptus est. 2. quæ de Christi aduētū, maiestate & potētia Apostoli & viderūt & audiuerūt. Illa vero in scriptis Euangelistarū exposita esse, supra demonstrauimus. 3. Mandatū quod Apostoli tradiderunt, illud vero conscriptum esse, mox ex Ioanne audiemus. Et Petrus ipse testatur, se ideo scripsisse, vt eius quod Apostoli tradiderant, memoria post mortem suam maneat & conseruetur. Nec de suis tantum scriptis loquitur, sed in fine concludit, sicut & dilectus noster frater Paulus, secundū datam sibi sapientiam scripsit vobis, quasi in omnibus epistolis loquens de his, &c. Vidit igitur Petrus Pauli epistolas & illas suo testimonio Ecclesiis ita commendat, vt significet, pertinere eas non tantum ad particulares illas Ecclesias quibus inscriptæ sunt, sed continere eas doctrinam vniuersalem, pertinētem ad omnes, qui æque preciosam cum Apostolis sortiti sunt fidem: ad illos enim Petrus scribit, & inquit: Vobis scripsit Paulus. Quomodo vero, & de quibus Petrus iudicet Paulum scripsisse, inde colligitur, quod non de vno tantum articulo, sed de tota sua doctrina, cuius mentionem in illa epistola fecerat, Petrus inquit: Sicut & Paulus scripsit vobis de his. Et illustre est encomium epistolarum Pauli, quod Petrus de his inquit, *ὡς καὶ λαλῶν*: hoc est quod Paulus in omnibus suis epistolis, quasi viua voce loquatur de dogmatibus. Si igitur quærimus, quasi viua voce Pauli tradentem doctrinam Apostolicam, Petrus ostendit, eam in Epistolis ipsius sonare & exaudiri. Sed inquit: Petrus tamen affirmat epistolas Pauli esse difficiles intellectu, quas multi ad suam perniciem deprauent. Periculosum igitur est, Scripturis vti: & tutius est, traditionibus acquiescere. Respondeo: Petrus hoc non dicit, epistolas Pauli ita esse conscriptas, vt difficultate & obscuritate sua Lectoribus præbeant occasionem ad perditionem, vtitur enim articulo, non fœmineo, sed neutro, significans res ipsas de quibus Paulus loquitur, quia positæ sunt longe supra & extra omnem conspectum rationis, non posse recte intelligi ab hominibus carnalibus, sed opus esse illuminatione Spiritus sancti. Nec dicit omnia dogmata in Epistolis Pauli esse *δυσνόητα*, sed quædam, Et illa non dicit per se præbere Lectoribus occasionem ad perditionem: sed homines inquit, indocti, & parum confirmati, deprauant illa ad suam ipsorum perditionē. Vtitur verbo valde emphatico, *επιβλέσει*, quod à torturis sumptū est. Sicut enim adhibitis tormentis, sæpe de innocentibus habentur quæstiones, vt aliquid aliud quam res ipsa se habet, pro affectu torquentiū ab illis exprimat: ita Petrus dicit, Scripturæ quasi tormenta adhiberi, quibus à genuina, simplici & aperta sententia distorqueatur: vt illud nobis loquatur, quod ante lectionem præsumptus us intelligendum, sicut Hilarius loquitur. Ergo per se nisi contorqueatur, non reddit nisi vnam, simplicem, veram & salutarem sententiam. Hanc vero fortunam, Petrus dicit epistolis Pauli cōmunem esse cum reliqua Scriptura. Inquit enim, Sicut & reliquis Scripturis. Num vero propterea dehortatur Petrus à

lectione Scripturæ. Nihil minus: sed causam & finem illius cōmonefactionis ponit, cum inquit: Vos igitur dilecti, quia præmoniti estis, cauete, ne simul cum aliis nephariorum errore abducti, excidatis à propria stabilitate, &c. Habemus igitur Petri iudicium de suis, de Pauli, & de reliquis Scripturis, quo consilio, propter quas causas, & in quem finem Ecclesiæ sint traditæ & cōmendatæ. Audiamus & Ioannem, quid in Epistola sua de scriptis Apostolorū iudicet, & quomodo ea Ecclesiæ cōmendet. Ponit primo descriptionem Apostolicæ prædicationis: Quod fuit ab initio, quod audiuius, quod vidimus de verbo vitæ, annunciauimus vobis. Mox vero addit: Et hæc scribimus vobis, vt gaudiū vestrū sit plenū. Et hæc est annunciatio, quam audiuius ab ipso, & annūciamus vobis, &c. Vides quid Ioannes de scriptis Apostolicis affirmet. Dicit enim: Hæc scribimus, & hæc est annunciatio quam audiuius à Christo, & annūciamus vobis. Cap. 2. dicit: Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Item: Sicut vnctio docuit vos, in eo manete. Hæc sententias loqui de iis, quæ Apostoli viua voce tradiderant, non est dubiū. Sed audi quid dicat Ioannes: Fratres, non nouum mandatum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Et mandatum vetus, est sermo ille quem audiuius ab initio. Fiat iam collectio. Ioannes dicit: Si in vobis permanerit quod audistis ab initio, & vos in Filio & in Patre manebitis: & repromissio est vita æterna. Sed idem Ioannes affirmat, verbum illud quod ab initio audiuerūt, conscriptū esse. Ergo qui permanet in iis, quæ scripta sunt, vere permanet in iis, quæ Ecclesiæ ab initio ab Apostolis tradita sunt. Sed quare Ioannes scribit illa, quæ antea audiuerant & didicerant. Hæc, inquit, scripsi vobis de his qui seducūt vos. Vos, inquit, habetis vnctionem à sancto & nostis omnia. Ne vero sub prætextu illius vnctionis, quiduis Ecclesiæ obtrudatur, mox addit: Nō scripsi vobis, vt ignorantibus veritatem, sed quia scitis eam. Quæ ergo ex vnctione Spiritus didicerant, ea Ioannes scribit: quibus vero, quomodo, & in quem finem, & quem velit vsum esse Scripturæ in Ecclesia expresse indicat: Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata: scribo vobis Patres, quoniam cognouistis eū qui ab initio est: scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum: scribo vobis puelli, quoniam cognouistis patrem, scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbū Dei manet in vobis. Hæc sane sunt manifestissima, omnibus ætatibus, propositam esse Scripturam, & quidem in illum vsum, vt scilicet certi sint, peccata remitti, se cognoscere Patrem, qui ab initio est, se vincere malignum, & verbum Dei manere in ipsis. Cap. quarto. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ exierūt in mundum. Quomodo vero spiritus sint probandi, & Pseudoprophetæ diiudicandi, hoc certe est, quod Ioannes hac sua scriptio- ne agit. Et ad ea, quæ scribebat, subinde se refert, cum inquit: Hoc est mandatum, hoc est testimonium. Mandatū igitur Apostolorū, cuius Petrus vult memores esse Ecclesias, scriptis comprehensum esse, Ioannes aliquoties in hac epistola testatur.

Cap. 5. cōcludens epistolā dicit: Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen filij Dei, vt sciatis quod vitam habeatis æternam, & vt credatis in nomen filij Dei. Hæc sententia in veteri versione, & mutilata & mutata est. Ostendit autem Ioannes se scripsisse

plisse & propter illos, qui iam credebant, vt in fide confirmati, scirent se habere vitam æternam, & propter illos, qui adhuc credituri erant, vt crederent in nomen filii Dei. Nudas tantum sententias recito: in re enim per se manifesta, non opus est multis verbis.

In Apocalypsi Ioannis, hoc in primis obseruandum est, quod Ioannes aliquoties mandatū accepit à filio Dei, vt scribat Ecclesiis ea, quæ & videbat & audiebat. Et tamen tanta est Eccii, Pighii, & Andradij mei impudentia, vt non vereantur dicere, Apostolos accepisse à filio Dei mandatū, non vt scriberent, sed vt tantū prædicarent Euangelium. Atqui Ioannes aliquoties expressum accipit mandatū ab ipso filio Dei, vt scribat Ecclesiis. Et de reliquis noui Testamenti scriptis Paulus affirmat, quod sint diuinitus inspirata: hoc est (sicut Petrus illud interpretatur) nõ humana voluntate, sed à Spiritu sancto impulsis, locuti sunt homines Dei. Pertinet & hoc in Apocalypsi ad nostrā obseruationē, quod non omnia Ioannes permixtus est scribere, sed ea quæ necessaria erāt, & capi poterant. Nam cap. 10. inquit: Cum locuta fuissent septē tonitrua voces suas, ego scripturus erā: & audiui vocem de cælo, dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septē tonitrua, & noli ea scribere. In fine cõminatur plagis, qui vel adpauerit vel diminuerit de verbis libri huius. Ergo quod de Scriptura veteris Testamenti dicitur, pertinet etiam & recte accommodatur ad scripta noui Testamenti: Nihil addas, nihil minuas: non declines siue ad dexterā, siue ad sinistrā: non facias singuli, quod vobis rectum videtur, sed quod ego præcipio tibi, hoc tantū facito: nec addas, nec minuas aliquid.

Iudas de sua Epistola inquit: Cū antea haberit studiū & promptitudinem scribendi de cõmuni salute, impositam sibi iam esse necessitatem scribendi, propter subingressos falsos Doctores. Et argumentum Epistolæ est, vt certet pro tuenda doctrina, quæ semel tradita est sanctis. Hic Lindanus exclamat, Iudā manifeste loqui de doctrina Apostolorum, quā viua voce tradiderant. Quidni loquatur de illa, cū nulla sit alia Apostolica doctrina, quā quæ ab ipsis tradita est? Sed iam ostēdimus, illa quæ Apostoli annunciauerunt & tradiderunt, esse ab ipsis consignata literis, & scriptis comprehensa. Et vt Iudas ostendat, se respicere ad scripta Apostolorū, ad verbum ferme describit, quæ extant in secunda Petri Epistola. Et postea dicit: Memores estote verborū quæ antehac dicta fuerunt ab Apostolis Domini. Non autem intelligit ignotas aut non scriptas traditiones, sed mox ipsa verba Petri citat, quæ extant in 3. ca. 2. epistolæ. Quia igitur Iudas, cum loquitur de fide semel tradita manifeste se refert ad scripta Apostolorū: sine dubio adiecisset alia, si quæ putasset deesse & desiderari in scriptis Apostolicis, ad conseruationem puritatis doctrinæ necessaria.

Quod in secunda & tertia epistola, quæ Ioannis nomine ferūtur, dicitur: Cum multa haberem quæ scriberem, nolui per cartam, atramentū & calamū: sed spero protinus me visurum te, & ore ad os loqui. Hoc Lindanus ita deprauat, præcipua quædam fidei capita, & sublimiora Christianismi dogmata Apostolos noluisse papyro & atramento peritura credere, sed vt perpetua essent, traditionibus commendasse: sed impudens figmentum, manifestum mendaciam est, quod textus hoc vel dicat, vel sentiat. Et verus Apostolus Ioannes multo aliter in prioris Epistola, quam constat *γινώσκων* esse, loquitur, se scilicet scribere mandatū illud vetus, quod ab initio

acceperant. De authore vero duarū posteriorum, ab antiquis semper dubitatum fuit. Maneat igitur, quod Hieronymus de Apocryphis ex sententia antiquitatis pronunciat, ad confirmanda ea, quæ in cõtrouersiam veniunt, testimonia ex illis sumi nec posse, nec debere. Et cum author illarum epistolarum, multa illa quorum mentionem facit, scribere noluerit, respondemus verbis Augustini: Quis ergo dicet, vel ista, vel illa esse: aut si quis dicere audeat, vnde probabit?

Et hætenus de singulis noui Testamenti scriptis ostendimus, quo consilio, propter quas causas, & in quem usum Apostoli doctrinam suam literis obligauerint, & scriptis comprehenderit: & illam tractationem ideo institui. Tota enim disputatio de autoritate, perfectione & sufficientia Scripturæ, omnium rectissime ex his fundamentis potest diiudicari. Constitueram autem in principio paucioribus, vno atque altero testimonio hanc obseruationem absoluere. Sed in ipsa tractatione, postea animaduerti, in singulis Apostolorum Epistolis extare luculenta aliqua de hac re testimonia, quæ singula peculiare aliquid monent: sicut illa simul in vnum collecta, firmiores & solidiores de autoritate, perfectione & sufficientia Scripturæ præbent probationes, quam quæ ieiunis Pontificiorum cauillationibus & sophismatis eludi & labefactari possint. Me sane erudiuit, delectauit, & plurimum confirmauit hæc tractatio: & spero ad Lectorem etiam aliquid fructus, Deo beneiuuante, inde reidurum.

Summa autem eorū, quæ demonstraui, hæc est. Hoc consilio, propter has causas, & in hunc usum Apostolos doctrinam suā literis cõsignasse. 1. Vt ea quæ præsentibus viua voce tradiderant, per literas repeterent, & in memoriam reuocarent. 2. Vt ea quæ post tradita prima fidei elementa superstruenda erāt, per epistolas explicarent. 3. Quia sub prætexto & titulo traditionū, quasi ab Apostolis acceptarū, Ecclesiæ turbabantur, & doctrina adulterabatur. 4. Quia doctrina viua voce ab Apostolis accepta, nõ fideliter per traditiones cõseruabatur. 5. Vt alij Doctores, qui non erant Apostoli, haberent scriptum testimoniū, vnde probare possent Ecclesiis, Apostolicā esse doctrinam quā afferbant. 6. Vt Ecclesiæ quæ non poterant audire viua voce Apostolorū vocē, certæ essent, quam doctrinam vt vere Apostolicam suspicere & venerari deberent. 7. Eadē quæ Apostoli præsentibus viua voce tradiderant, absentes postea scriptis complexi sunt. 8. In scriptis Apostolorum proponi, non nudum tantum Catalogum, quæ fuerint capita Apostolicæ Doctrinæ, verum etiam iustas explicationes. 9. Quod Canon fidei Christianæ sit in Scriptura. 10. Ex scriptis Apostolorum posse intelligi, quæ fuerit ipsorum cognitio in mysterio Christi. 11. Apostolos ita scripsisse, prout credentes in huius vitæ infirmitate mysteria Euangelii capere possunt. 12. Eadem quæ prius tradiderant, postea literis consignarunt, ideo vt puritas doctrinæ contra corruptelas cõseruari posset. 13. Apostoli in suis scriptis complexi sunt, & prima elementa fidei, & quæ postea subsecuta fuerit plenior & perfectior doctrina. 14. Omnis Scriptura diuinitus inspirata, utilis est, vt minister Euangelii sit perfectus ad omne opus ministerii satis instructus. 15. Apostoli ideo scripserunt, vt Ecclesia post obitum Apostolorum, quando viua ipsorum voce destituta esset, haberet vnde posset retinere & conseruare memoriam doctrinæ Apostolicæ, præcipue quia in postremis

postremis temporibus futurum erat, ut commentitiis sermonibus, quasi ab Apostolis traditis, multę corruptelę Ecclesiis obtruderentur. 16. Ut extaret forma, quomodo in ministerio versandum sit in Ecclesia, ut sit & maneat columna & fundamentum veritatis. 17. Eadem quę ab initio Apostoli tradiderunt, postea conscripserunt, idque in certum usum omnibus ætatibus, omnibus Ecclesiis, & omnibus temporibus. 18. Scripserunt & pro illis, qui iam credebant, & pro illis etiam, qui adhuc credituri erant. 19. Mandatum scribendi acceperunt ab ipso Filio Dei. 20. Eadem est origo, ratio & usus Scripturę in nouo Testamento sicut fuit in veteri, ut nihil addatur, nihil minuatur, non declinetur, vel ad dexteram, vel ad sinistram. Et quę præterea huc pertinentia, in ipsa tractatione explicata sunt.

Hęc contra omnes cauillationes, contra omnia sophismata Põtificiorum, luculenter & solide probant & confirmant auctoritatem, perfectionem & sufficientiam sacrę scripturę in nouo Testamento. Quę vero de traditionibus obiiciuntur, infra suo loco explicabuntur.

TESTIMONIA VETERIS ECCLESIE DE SCRIPTURA.

Quę hæcenus ex ipsis Scripturę verbis adduximus, firmissima sunt testimonia, quibꝰ pia mentis nutu potest. Proponunt enim nobis ipsius Spiritus sancti iudicium de Scriptura. Sicut enim veteres dicunt, de Deo nihil credendum esse, nisi ipso Deo reuelante & testificante: Ita etiam de Scriptura id credamus, quod ipsa Scriptura de se, imo quod autor ipse Spiritus sanctus de opere suo iudicat & pronunciat. Adiungemus vero etiam veteris Ecclesię consensum de auctoritate, perfectione & sufficientia scripturę. Amamus enim & veneramur veteris & purioris Ecclesię testimonia, cuius consensu & adiuuamur & confirmamur, fidem vero oportet niti verbo Dei, non humana auctoritate. Ideo Patrum testimonia non præponimus, sed subiungimus Scripturę.

Primum autem repeto Irenęi sententiam, lib. 3. ca. 1. Apostoli Euangelium tunc præconauerunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostrę futurum.

Augustinus. Augustinus de Ciuitate 19. ca. 18. Ciuitas Dei credit scripturis sanctis veteribus & nouis, quas Canonicas appellamus. Vnde fides ipsa concepta est, ex qua iustus uiuit, per quam sine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur à Domino.

Chrysostomus. Chrysostomus homilia prima in Matthæum: Oportuerat quidem nihil nos indigere literarum auxilio, sed tam mundam in omnibus exhibere vitam ut librorum vice, gratia Spiritus uteremur. Quia vero hanc nobis excussimus gratiam, age vel ad secundam nauigationem animum adiiciamus. Ita Patriarchis Deus non per literas, sed per semetipsum locutus est, quia munda eorum corda repperat. Postquam vero omnis Iudeorum populus in vitiorum ima delapsus est, necessario inde dantur literę ac tabulę, & ea, quę per has administratur admonitio. Et hæc nõ tantum veteris Testamenti sanctis, sed etiam noui accidisse perspiciamus. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquid tradidit Christus, sed pro literis Spiritus sancti se illis daturum gratiam promissit. Et hoc illo esse multo melius, testatur Irenęus, cap. 31. Paulus 2. Corinth. 3. Quia vero pro-

grediente tempore, quidam propter dogmata, alii propter morum improbitatem grauiter impegerunt, ea rursus quę literis constat, opus fuit admonitione. Et addit: Considera quam sit extremę omnino dementia, quia primam illam dignitatem perdidimus, ne secundo quidem remedio uti uelle ad salutem, sed cęlestia scripta, quasi frustra ac uane deposita despiceret: Primam igitur illam dignitatem, quādo sine literis sola uiua uoce tradebatur doctrina Apostolica, Chrysost. pronunciat amissam esse, & ostendit, propter quam causam, & in quem usum Deus Scripturam nobis tradiderit, non tantum in veteri, sed etiam in nouo Testamento. Ignorat enim differentiam illam, de qua Pontificii fabulantur.

Theophylactus illam Chrysostomi sententiam ita reddidit: Quoniam hæreses pullulaturę erant, quę mores nostros depascerentur, operę precium uisum est, ut scriberentur Euangelia: quia discentes ex illis ueritatem, nõ deciperemur ab hæresum mendaciis.

Augustinus de doctrina Christian. lib. 2. cap. 9. In his, quę aperte posita sunt in Scriptura, inueniuntur illa omnia, quę continent fidem, moresque uiuendi, spem scilicet & charitatem. Augustini igitur sententia est, omnia quę ad fidem, moresque uiuendi pertinent, inueniri in Scriptura, & quidem in illis locis, qui aperte positi sunt in Scriptura. Quid igitur de illis quæso iudicandum est, quę Pontificii præter & extra Scripturam nobis obtrudere conantur?

Augustinus contra literas Petiliani lib. 1. ca. 6. Si quis siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunq; alia re, quę pertinet ad fidem uitamque nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adiecit, si Angelus de cælo uobis annunciauerit, præterquam quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.

Arrigat ad hunc locum aures Lindanus, qui contendit non esse anathema, qui præter ea, quę scripta sunt, euangelizat, eo quod plura sint tradita quam scripta.

Item in Epistolam Ioannis Tractatu 2. Maxime debetis animaduertere, & memorię uestrę mandare, quod contra insidiosos errores Deus uoluit ponere firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audeat loqui, qui quoquo modo se uult uideri Christianum. Cum enim palpandum se præbuisset, non illi sufficit, nisi de Scripturis confirmaret cor credentibus, prospiciebat enim nos futuros, in quo nos palpemus nõ habemus, & quod legamus, habemus.

De bono uiduitatis, ca. 1. Quid amplius te doceram, quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostrę doctrinę regulam figit, ne audeamus sapere plus quam oportet. Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi uerba tibi Doctoris exponere.

Athanasius contra Gentes: Sufficiunt sanctę ac diuinitus inspiratę Scripturę, ad omnem instructionem ueritatis.

Chrysostomus 2. Thessal. 2. Omnia clara sunt ac plana ex Scripturis diuinis: quęcunque necessaria sunt, manifesta sunt.

Hieronymus ad Galat. Spiritus sancti doctrina est, quę Canonicis literis prodita est, contra quam sit quid statuunt Concilia, nephas duco.

Basilius in sermone de fidei confessione: Si fidelis est Dominus in omnibus sermonibus suis, & fidelia omnia mandata eius, manifesta est elapsio

(ἐκπλωσις) à fide, & superbix crimen, aut reprobare quid ex his quæ scripta sunt, aut superinducere quid ex non scriptis, cū Christus dixerit: Oves meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequetur, sed fugient, quia non nouerunt vocem eius. Idem in Moralibus, summa 72. capit. 1. pronunciat, quod oporteat auditores eruditos in Scripturis probare ea, quæ à Doctoribus dicuntur, & quæ quidem consona sunt Scripturis suscipere, quæ vero aliena reiicere. Et ad illam regulam accommodat sententiam Pauli, Galat. 1. Si Angelus è cælo euangelizauerit vobis, præter id quod prædicauimus vobis anathema sit. Ibidem summa 80. ca. 22. Quid est proprium credentis? Nihil audere, aut insuper addere, si enim omne quod non ex fide est, peccatum est, fides autem ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, omne quod extra Scripturam diuinitus inspiratâ, quia non ex fide est, peccatum est. Idem Epistola 80. Non putamus, iustum esse, obtinentem apud ipsos consuetudinem, legem ac regulam facere rectæ doctrinæ. Igitur Scriptura diuinitus inspirata, arbiter à nobis constituatur (Μαθησάτω ἡμῖν) & apud quos inuenta fuerint dogmata, diuinis sermonibus concordantia, his omnino etiam veritatis suffragium accedit.

Origenes.

Origenes in 3. ca. ad Rom. Paulus Doctoribus Ecclesiæ præbet exemplum, vt ea, quæ loquuntur ad populum, non propriis præsumpta sententiis, sed diuinis munita testimoniis proferant, ei enim tantus ac talis Apostolus autoritatem doctorū suorū sufficere posse nō credit, nisi doceat in Lege & Prophetis scripta esse quæ dicit: quanto magis nos minimi hoc obseruare debemus, vt non nostras cum docemus, sed sancti Spiritus proferamus sententias.

Gerson.

Gerson in prima parte de examine doctrinarum, citat glossam quandā super illud: Apparuit Moses & Helias cum ipso: Suspecta est omnis reuelatio, quā non confirmat Lex & Propheta cum Euangelio.

Epiphanius.

Epiphanius hæresi 65. Nos vniuscuiusq; quæstionis inuentionem, non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.

Sempiterna memoria digna est sententia Constantini Magni, qua Nicænâ Synodum (sicut nunc loquuntur) ipse aperuit. Et occasio eius sententiæ consideranda est. Sozomenus lib. 1. ca. 17. recitat, varias fuisse sententias. Aliis consulentibus, nihil inuouandum præter fidem ἀρχαίαν traditam, aliis vero affirmantibus, non esse temere adhærendum vetustis opinionibus ἀεσάνιστος temere, sine inquisitione & examinatione, & ita variis quæstionibus causa distrahebatur. Constantinus igitur, sicut Theodoretus scribit, li. 1. ca. 7. intulit sermonem de concordia, indignum dicens, hostibus Ecclesiæ domitis iam ipsos se mutuo impetere, & risum præbere inimicis, præsertim in disputationibus rerum diuinarum, in quibus doctrinâ Spiritus sancti haberent ἀνάγκη, hoc est in scripta, quasi in acta seu instrumenta relatam, hoc enim significat ἀναγκάσειν. Euāgelici enim inquit & Apostolici libri, & antiquorum Prophetarum oracula, plane instruunt nos, quid de rebus diuinis sentiendum sit. Proinde hostili posita discordia, ex dictis diuinitus inspiratis sumamus quæstionum explicationes. Pulcherrima hæc sententia, digna est, quæ ipsius auctoribus extet & nota sit. Sic autem habet: ἐναγγελικὰ καὶ ἀποστολικὰ βιβλίοι, καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θε-

πίσματα, σαφῶς ἡμᾶς ἀγγησάτω, τὸ θεῖον φερόντων ἐκ παλαιῶν βιβλίων. τῶν πολεμίων ἐν ἀπελάσαντες ἔειπεν ἐκ τῶν θεογραφῶσαν, λόγων λάβωμεν τῶν ζητημένων τῶν λόγων.

Ita etiam Euagrius lib. 2. cap. 16. de Ephesina & Chalcedonensi Synodo scribens, recenset Ioannis Antiocheni sententiam, à Cyrillo approbatam. Ex Euangelicis & Apostolicis de Domino vocibus, scimus viros diuinos constituisse, &c.

Euagrius.

Et Cusanus scribit, formam veterum vniuersalium Synodorum fuisse, vt sacra Euangelia ponerentur in medium.

Cusanus.

Item Augustinus Epistola 163. dicit, in priuatis etiam de religione disputationibus seruatum, Vbi-
cunq; inquit, locus cōstitutus fuerit, faciamus codices canonicos præsto esse. Et si qua proferri poterint ex vtraq; parte documenta, vt postpositis cæteris, rem tantam ad inquisitionis terminum perducamus.

Augustinus.

Chrysostomus homil. 13. in Genes. Dicunt de Paradiso, non sicut scripta sunt, sed alia ratione intelligenda. Sed Scriptura cum tale quiddam nos docere vult, seipsam exponit, & auditorem errare non sinit. Oro igitur & obsecro, vt omnibus illis præclusis auribus, ad amissam canonem sacra scripturæ sequamur.

Chrysostomus.

Origenes in Ezechielem homilia 7. Qui pessimæ vitæ est, non facile homines ad falsum dogma sollicitat: sed illi qui conuersationis optimæ sunt. Qui ergo curam habet vitæ suæ, non capiatur hæreticorum mansuetudine, ad consentiendum doctrinæ ipsorum. Nec meis qui doceo delictis scandalizetur, sed ipsum dogma consideret. Audi vero, quomodo Origenes ipsum dogma doceat considerandum. Nullum, inquit, imitemur, & si volumus imitari quempiam, propositus est nobis ad imitandū Christus Iesus, descripti sunt actus Apostolorum, & Prophetarum gesta de sacris voluminibus agnoscimus. Illud exemplar firmum est, illud propositū solidum: quod qui sequi cupit, securus ingreditur.

Origenes.

Cyrillus de recta fide ad Reginas: Necessarium nobis est, diuinas sequi literas, & in nullo, ab earum præscripto discedere.

Cyrillus.

Augustinus contra Maximinum lib. 3. ca. 14. Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, nō quorumcunq; propriis, sed vtriusq; communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.

Augustinus.

Origenes in Ieremiam: Necessè nobis est Scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri & enarrationes, sine his testibus non habent fidem.

Hieronymus.

Hieronymus ad Titum: Sine autoritate Scripturarum, garrulitas non habet fidem.

Idem in ca. Matth. 23. Quod de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

In Commentariis Psalm. 86. quæ Hieronymi nomine feruntur: Dominus narrabit in Scriptura populorum & Principum qui fuerunt in ea. Quomodo narrabit Dominus? Non verbo, sed Scriptura. In cuius Scriptura? populorum, hoc est, Scriptura sancta, quæ populis omnibus legitur, hoc est, vt omnes intelligant. Plato scripsit non populis, sed paucis, vix enim intelligunt tres homines. Isti vero, hoc est, Principes Christi, non scripserunt paucis, sed vniuerso populo, non vt pauci intel-

ci intel-

ci intelligerent, sed vt omnes. Dicit & in Principū Scriptura, hoc est, Apostolorum & Euangelistarū, horum qui fuerunt in ea. Videte quid dicat. Qui fuerunt, non qui sunt: vt exceptis Apostolis, quodcunq; aliud postea dicitur, abscindatur, nō habeat postea auctoritatem. Quamuis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos, quamuis disertus sit, non habet auctoritatem. Quoniam Dominus narrat in Scriptura populorum & Principum, horum qui fuerunt in ea.

Chrysofomus in ca. Matth. 24. homilia 49. Cum videritis haresin impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis Ecclesiæ sanctis, tunc qui in Iudæa sunt, conferant se ad montes, hoc est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas. Vera enim Iudæa, Christianitas est: montes autem sunt Scripturæ Prophetarum & Apostolorū, sicut scriptum est: Fundamenta eius in montibus sanctis. Quare autem in hoc tempore omnes Christiani conferre se ad Scripturas debent? Quia in hoc tempore, ex quo obtinuit haresis Ecclesiæ, nullā probatio potest esse veræ Christianitatis, neq; refugiū potest esse Christianorum aliud, volentiū cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ diuinæ. Antea enim multis modis ostēdebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ Gentilitas. Nunc autem nullo modo cognoscitur, volētib; cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas. Quare? quia haresis omnia similiter habet. Volens ergo cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscet, in tanta confusione similitudinis, nisi tantummodo per Scripturas? Sciēs ergo Dominus tantam confusionem rerum in nouissimis diebus esse futuram, ideo mandat, vt Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere veræ fidei, ad nullam rem fugiant, nisi ad Scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes, quæ sit vera Ecclesia, & per hoc incident in abominationem desolationis, quæ stat in locis Ecclesiæ sanctis.

Chrysofomus. Chrysofomus in Psal. 95. Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat. Verum vbi ē Scriptura diuinæ vocis prodiit testimoniū, & loquentis sermonē, & audientis animū confirmat.

Augustinus. Augustinus in Psalm. 57. Auferantur de medio chartæ nostræ, procedat in mediū codex Dei. Audi Christum dicentem, audi veritatem loquentem.

Tertullianus. Tertullia. aduersus Hermogenem: Adoro Scripturæ plenitudinem. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat vā illud, abiicientibus aut detrahentibus destinatum.

Augustinus de peccatorum meritis, lib. 2. capit. 36. Vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuātib; diuinarum Scripturarum certis clarisq; documentis, colibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando.

Cyrillus. Cyrillus, siue is Origenes est, in Leuit. lib. 5. Si nō potueris omnes carnes sacrificii, secunda die finire, nihil de his in tertia die comedes, &c. Ego, inquit, in hoc biduo, puto duo testamenta posse intelligi, in quibus liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet, requiri & discuti, atq; ex ipsis omnem rerum scientiā capi, si quid autem superfuerit, quod non Scriptura diuina discernat, nullam aliā debere tertiam Scripturam ad auctoritatem scientiæ suscipi.

Augustinus. Augustinus de vnitāte Ecclesiæ, cap. 3. Non audiamus, Hæc dico, hæc dicis: sed, Hæc dici. Dominus. Sunt certe libri Dominici, quorum auctori-

tati vtrique consentimus, vtriq; credimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Item, Auferantur de medio, quæ aduersus nos inuicem, non ex diuinis canonicis libris, sed aliunde recitamus. Quærat fortasse aliquis: Cur vis ista auferre de medio? Quia nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis Ecclesiam sanctam demonstrari. Item, Quicquid attulerint, & vndecunq; recitauerint, audiamus potius, si oues eius sumus, vocem pastoris nostri. Ergo in Scripturis sanctis canonicis Ecclesiam requiramus.

Chrysofomus homil. 13. in 2. ad Cor. Non multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiremus. Absurdum enim est, de pecuniis non credere aliis, sed ipsas numerare & supputare: de rebus autem multo amplioribus, aliorum sententiam simpliciter sequi, præsertim cū habeamus omniū exactissimam trutinam, gnomonem & regulam, diuinarum legum assertionem. Ideo oro vos omnes, vt relinquatis, quid huic vel illi videatur, & de his a Scripturis hæc omnia inquirete.

Chrysofomus in 2. ca. Matth. Quicquid quæritur ad salutem, totum iam impletum est in Scripturis.

Origenes in Matth. homil. 25. Ad testimonium omnium verborum, quæ in doctrina proferimus debemus sensum Scripturæ proferre, quasi confirmantem quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum quodquod fuerit extra templum, nō est sanctificatum: sic omnis sensus, qui fuerit extra diuinam scripturam, quamuis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur a sensu Scripturæ. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam nostros proprios intellectus assumere: nisi quis ostenderit eos sanctos esse, ex eo, quod in Scripturis continentur diuinis, quasi in templis quibusdam Dei.

Cyprianus ad Pompeium, habet valde elegantē sententiā, quam Augustinus dicit sine dubitatione optimam esse. In compendio est, inquit apud religiosas mentes, & errorem deponere, & inuenire atq; eruere veritatem. Nam si ad diuinæ traditionis caput & originem reuertamur, cessat error humanus. Si canalis aquæ, qui copiose prius & largiter profuebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, vt illic defensionis ratio noscatur: vtrumne ardescant venis in capite siccauerit, an vero integra inde & plena procurrēs, in medio itinere destiterit? Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes, & in aliquo si nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam, & Euangelicam & Apostolicam traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit. Et postea ostēdit, vnde probandæ sint traditiones: Vnde est, inquit, ista traditio? Vtrum de Dominica & Euangelica auctoritate discedens, an de Apostolorum mandatis atq; epistolis veniens? Ea enim faciendæ esse, quæ scripta sunt, Deus testatur & proponit, ad Iosue dicens: Non recedet liber legis huius ex ore tuo, vt obserues facere omnia, quæ scripta sunt. Si igitur aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis & actibus continetur, obseruetur etiam hæc sancta traditio, &c. Non ignoro autem, Cyprianū hæc pro defensione suæ rebaptisationis, in qua errabat, allegare. Sed Augustinus refutans illū Cypriani errorem, non dicit, hoc principium seu axioma falsum esse, ad originem scilicet Apostolicæ traditionis in Scriptura comprehensæ, esse recurrendum, indeq; canalem in nostra tempora diri-

dirigendam, & traditiones omnes, quæ hoc titulo proponuntur, ad Scripturam esse exigendas, & inde probandas, sed concedit hoc esse optimum, & sine dubitatione faciendum, li. 5. ca. 26. de vnico Baptismo contra Donatistas. In accommodatione vero Scripturæ ostendit Cyprianum errasse. Fixum igitur manet illud principium de Scriptura, Augustini etiam consensu & commendatione.

Augustinus.

Augustinus de pastoribus ca. 14. Ego vocem pastoris inquiri. Lege hoc mihi de Propheta, lege mihi de Psalmo: recita de Lege, recita de Euangelio, recita de Apostolo. Inde ego recito Ecclesiam, toto orbe diffusam, & Dominum dicentem: Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me, auferantur chartæ humanæ, sonent voces diuinæ.

Augustinus de vnitæ Ecclesiæ, capit. 6. Legite hoc nobis de Lege, de Prophetis, de Psalmis, de Euangelio, de Apostolicis literis legite, & credamus.

Capit. 10. Nec catholicis Episcopis consentiendum est, si ubi forte falluntur, vt contra canonicas Dei Scripturas aliquid sentiant.

Cap. 12. Qui aliud euangelizat, anathema sit, aut legat mihi hoc in Scripturis sanctis, & nõ sit anathema.

Cap. 16. Ecclesiam suam si possunt, demonstrēt: non in sermonibus & rumoribus Afrorum, non in Concilijs Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigijs fallacibus: quia etiam contra ista, verbo Domini præparati & cauti redditi sumus, sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus. hoc est, in omnibus canonicis sanctorum librorum autoritatibus. Item, Non dicat, Ideo verum est, quia illa & illa mirabilia fecit, vel iste vel ille, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille vel ille tale visum vel vigilans vidit, vel dormiens somnauit. Remoueantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Nam nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quod in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam quam tenemus commendarunt innumerabiles nostræ communionis Episcopi, aut quia nostrorum collegarum Concilij prædicata est, aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitarum fiunt, &c. Item ipse Dominus Iesus, cum post resurrectionem discipulorum oculis videndum, manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciæ se pati arbitrentur, eos testimonijs legis, Prophetarum & Psalmorum confirmandos esse iudicauit, &c. Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta, inquit Augustinus.

Et cap. 20. concludit: Exigite ab istis, vt ostendat aliqua manifesta de Canonicis libris testimonia. Memento te quod Domini dictum sit: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.

Et memorabile est, quod Augustinus illa de Scripturæ persuasionem, se ex Manichæorum hæresi eluctatum esse scribit, Confess. li. 6. ca. 5. Persuasisti mihi, non qui crederent, sed qui non crederent libris tuis, esse culpandos. Itaque cum essemus infirmi ad inueniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc opus nobis esset autoritate sanctarum literarum, iam credere cœperam, nullo modo te tributurum fuisse tam excellentem illi scripturæ per omnes iam

terras autoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.

Et alio in loco ita confitetur: Sed non sinebas me vllis fluctibus cogitationum auferri ab ea fide qua credebam, & in Christo filio tuo Domino nostro, atque in Scripturis sanctis, quas Ecclesiæ tuæ sanctæ commendat auctoritas, viam te posuisse salutis humanæ ad eam vitam, quæ post hanc mortem futura est, &c. Et vetus catechisatio talis fuit introductio, qua persuadebantur catechumeni, vera & diuinitus patefacta esse, quæ in sacra Scriptura continentur. Et eorum, quæ in scriptura comprehenduntur, summa proponebatur, & declarabatur catechumenis. Cumque responderent se illa credere, & velle obseruare, admittebantur ad Sacramenta. Ita catechisatio erat introductio ad Scripturam. Sicut hæc colliguntur ex Augustino de catechisandis rudibus. ca. 6. 9. 26. & per totum librum.

Possent plures ex patribus sententias recensere, sed posito ex ipsa Scriptura fundamento, sufficit aliquas in conspectu habere, quæ monstrant consensum veteris Ecclesiæ, quo ita adiuuamur & confirmamur, vt fides tarien nitatur, non humana auctoritate, sed verbo Dei. Et sunt quidem alij illustres Patrum sententiæ, quæ in genere de verbo Domini, & de doctrina Apostolorum loquuntur: Sed scio quomodo illas illudant aduersarij, non omnia scilicet verba Domini, nec totam doctrinam Apostolorum, scriptis contineri. Ideo illas potissimum veterum sententias collegi, quæ diserte & expresse de Scriptura loquuntur. Testimonia vero veterum, quæ de Canone sacre Scripturæ, & de scriptis Patrum loquuntur, suis postea locis annotabimus.

Habemus igitur etiam veteris Ecclesiæ testimonium de perfectione & sufficientia Scripturæ, quod omnia, quæ ad fidem moresque viuendi necessaria sunt, contineat, ita vt regula, Canon & norma sit, ex qua in negocijs religionis probanda & confirmanda sunt, quæcumque vt verbum Dei suscipi debent. Et huius manifestissimæ veritatis luce, aduersariorum oculi ita perstringuntur, vt verbis fateri cogantur, sacram Scripturam esse fidei regulam ætissimam. Sed audi quæ so, quam veteratorie Andradius illud eludat. Inde enim discas, quo sensu intelligi velint, quædo honoris (quod dicitur) gratia aliquando ita loquuntur, sacram Scripturam esse fidei regulam. Hæc autem sunt Andradii verba.

Omnia diuinarum literarum iudicio ita quidem metienda sunt, vt nihil probemus diuersum ab iis, quæ scripta sunt. Fides tamen catholica non ita ex Scripturæ sacre finibus & angustijs circumscribenda & coarctanda, vt nihil credamus amplectamurque quod in sacris literis scriptum non sit. Nam etsi omnia sacris literis comprehensa verissima sint, non tamen omnia, quæ Christiana fides credit, religio veneratur, sacrarum literarum sunt monumentis consignata. Hæc Andradius Tridenti scripsit: in quibus vides, quam curtam, imperfectam, defectuosam & consuetam regulam fidei faciant ex Scriptura. Veterum certe testimonia de Scriptura ita non loquuntur, & appellatio Canonis seu regulæ, hoc non patitur. Theophylactus enim dicit, Canon & amussis neque additionem patitur, neque ablationem. Et Photius apud Oecumenicum inquit: Quemadmodum in Canone seu norma siue abstuleris quippiam, siue addideris, totum perdidisti, ita & in fide.

Et contra Eunomium, qui symbolum, quod veteres

terres regulam fidei vocarunt, ita se recipere aiebat, ut iudicaret additamento exactiori opus habere. Basilius lib. 1. ita inquit: Regula & amussis, quandiu nihil defuerit, ut sint regula & amussis, nullum additamentum ad sinceritatem recipiunt, iuxta defectuosum enim contingit additamentum. Vbi verò imperfecta fuerint, ne appellationes quidem has recte susceperint, ut scilicet vocentur regula & amussis, &c. Idem etiam Andradius responsum esse volo. Si Scriptura non aliter est regula fidei, quam eo, quo ipse fingit modo, ne dignam quidem esse hac appellatione, ut vocetur regula fidei. Ideo etiam Pighius de Hierarchis Ecclesiarum lib. 1. c. 4. discrete dicit, ipsi etiam Scripturæ propter obscuritatem & flexibilitatem, opus esse alia certa & inflexibili norma & amussi, traditione scilicet Ecclesiastica. Usque adeo misera, curta, imperfecta, plumbea, incerta, flexibilis fidei regula est Scriptura. Inunc Tridentum, & quære à Patribus, an regula fidei sit sacra Scriptura? Quid enim responsi Principes nostri retulerint, dignum est sempiterna memoria, cum de forma salui conductus ageretur. Inter cætera petatum est à nostris, ut de iudice controuersiarum, ex Basiliensi Concilio hæc verba insererentur. Et signanter, quod in controuersia lex diuina, praxis Christi, Apostolorum & primitiua Ecclesiarum vnâ cum Conciliis & Doctoribus, fundantibus se veraciter in eadem, pro verissimo iudice in hoc concilio admittantur. Tridentinis verò patribus intolerabile hoc visum est, ut Conciliorum & Patrum sententia eatenus tantum recipiantur, quatenus veraciter se fundat in sacra Scriptura. Ideo formulam illam Basiliensis Concilij expunxerunt, & pro ea substituerunt hæc verba: Et signanter quod causæ controuersiarum secundum sacram Scripturam, & Apostolorum traditiones, probata Concilia, Catholica Ecclesiarum consensum, & sanctorum Patrum authoritates in Concilio Tridentino tractantur. Andradius verò omnia & ipsius verbi Dei, & Patrum testimonia de Scripturæ perfectione & sufficientia, vna *et ceteris* putat se posse euertere. Audiuit enim demonstrationes Geometricas, non tam probare quam cogere. Est autem hæc ipsius demonstratio: Deus semper in mundo habet aliquam Ecclesiam. Vera autem Ecclesia, à vera fide se iungi & separari non potest. Necessario ergo nobis credendum est, quicquid siue olim, siue nunc Ecclesia siue tradidit, siue credit, etiam si nullo id Scripturæ testimonio probari possit: & per consequens, non scriptura, sed Ecclesiarum sensus norma est exactissima, ad quam dirigenda & formanda est fides nostra. Fortis me hercle est *et ceteris*, quæ vno impetu Scripturam de gradu suo proturbare conatur, ne sit regula & Canon fidei nostræ. Vnica illa demonstratio potuisset, vel Christum cum omnibus Apostolis condemnare, propterea quod Scripturæ testimoniis, contra consensum Pharisæicæ Ecclesiarum pugnantibus, sed facilis est responsio. Verissimum est, veram Ecclesiam à vera doctrina seu fide non posse se iungi. Illa enim est vera Ecclesia, quæ veram & sanam doctrinam verbi Dei amplectitur & profitetur. Quando verò cœtus ille, qui habet titulum Ecclesiarum, discedit à vera doctrina verbi Dei, non sequitur propterea, vel sanam doctrinam falsam, vel errores, quos cœtus ille amplectitur, veritate esse: sed hoc sequitur, cœtum illum, quando non amplius habet veram doctrinam non esse veram Ecclesiam. Non ergo sicut Andradius vult, veritas verbi Dei dependet ab Ec-

clesia: sed, e contrario veritas Ecclesiarum dependet & diiudicatur ex veritate verbi Dei, quod amplectitur & profitetur. Ecclesia enim non est cœtus *autem* *christianus* siue *christianus*, sed debet certis & firmis documentis ostendere & probare, quod doctrina illa, quam amplectitur & profitetur, sit diuinitus patefacta, vera & sana. Illa verò documenta sumit ex instrumentis librorum Scripturæ Canonicorum, sicut ex veterum sententia hoc probauimus. Est & hoc considerandum, quod etiã in vera Ecclesia, super fundamentum sæpe extruuntur fœnũ, lignum, stipulæ, 1. Cor. 3. Aliquando vera Ecclesia praualete & supereminete altero adulterino cœtu, ita quasi latet, ut Elias dicat: Solus relictus sum. Et quando filius hominis venerit, putatne quod fidẽ inueniet in terra? Quod si quis tempore Eliæ ex consensu visibilis cœtus, de doctrinæ veritate iudicasset, omnino errasset. Andradij igitur postulatis oppono sententiam, quæ extat in Decretis, quæst. 30. Is qui præest, si contra voluntatem Dei, vel præter quod in scripturis sanctis præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tanquam falsus testis Dei, & sacrilegus habeatur. Oppono etiam Augustini sententiam supra citatã. In disputatione enim de vera Ecclesia, multæ magnæ quæstiones sunt, quæ non *geometricalis* sine probationibus postulandæ, sed *philosophicalis* probandæ sunt: An scilicet visibilis ille cœtus, qui arrogat & usurpat sibi titulum Ecclesiarum, sit semper & indubitato verã Ecclesia, siue habeat veritatem verbi Dei, siue non. Secundò, an ex statu Ecclesiarum, iudicandum sit de veritate doctrinæ, an verò ex doctrina diuinitus patefacta, iudicandum sit, quæ sit vera Ecclesia. Christus certe signum monstrans veram Ecclesiam hoc constituit: Oues meæ vocem meam audiunt. Et Paul. dicit: Super ædificati estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Augustinus disputans contra Petilianum, quæ & vbi sit Ecclesia, non vult illã in sermonibus & rumoribus hominum, non in Conciliis, nõ in scriptis Patrum, non in signis & prodigiis, sed in diuinis libris Canonicis quærere & demonstrari. Non audiamus, hæc ego dico, hæc tu dicis, sed audiamus. Hæc dicit Dominus. Falsum igitur est, quod Andradius somniat, ideo aliquid credendum esse, quia visibilis ille cœtus, qui titulum habet Ecclesiarum, illud obseruarit & obseruet, quamuis nullo scripturæ testimonio probari possit. Vera enim est Augustini sententia: Si quis vel Apostolus, vel Ecclesia, vel etiã Angelus de cœlo, de quacunque, quæ pertinet ad fidem, vitamque nostram, nobis annunciauerit, præterquam quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepimus, anathema sit. Sunt præterea duo alij loci cõmunes Pontificiorum, de incertitudine scilicet seu ambiguitate & de obscuritate scripturæ: sed illos aduersarius meus Andradius non vult ingredi. Concedit enim scriptura sacra nihil esse verius, certius, firmitus & immutabilius, & vbi dogmata seu præcepta tradit, scripturam esse certam, & minime ambigam. Ab hæreticis verò, verba scripturæ à proprio & germano sensu transferri, & pro libito trahi ad varias & diuersas sententias. Et de hoc inter nos conuenit: non enim disputamus, quid scriptura hæreticis fiat per accidens, sed quid sit per se. De obscuritate scripturæ, Andradius non potest abiicere illam quam ex Augustino contra Iesuitas attuleram distinctionem, quod cum multa sint in Scriptura obscura & difficilia loca, omnia tamen, quæ ad fidem moresque viuendi pertinent, inueniri in planis & apertis scri-

Andradij

tis scripturæ locis. Istud etiam, quod Irenæus dicit, probare cogitur: licet multa sunt obscura & parabolica Scripturæ loca, regulam tamen ipsam veritatis, in scripturis sacris in aperto positam esse. Ne tamen nihil agere videatur Andradius, multa declamitat, quam multum periculi sit in obscuris scripturæ locis, si quis ea curiose & audacter ad impiam & sacrilegam opinionem torqueat. Sed in tota hac declamatione pugnat sine aduersario. Dicimus enim & nos, obscura scripturæ loca, non esse exponenda, contra illam sententiam, quæ in planis & apertis Scripturæ locis explicatur: imò ex obscuris scripturæ locis, non esse extruendam sententiam aliquam, quæ monstrari non possit in aliis manifestis scripturæ locis. Quod verò Andradius ad mysteria quædam fidei, ex solis obscuris scripturæ locis alludere videtur, simpliciter opponimus verba Augustini. Nihil ferme de obscuritatibus illis eruitur, quod non planissime dictum alibi reperitur. Et contra Petilianum c. 5. Quia in scripturis multa figurate & obscure posita sunt, aperta & manifesta deligamus. Quæ si in sanctis scripturis non inuenirentur, nullo modo esset, vnde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura. Illa igitur interim seponenda sunt, quæ obscure sunt posita, & figurarum velaminibus inuoluta, & secundum nos, & secundum illos possunt interpretari. Et cap. 16. Non colligant & commemorent, quæ obscure vel ambigue, vel figurate dicta sunt: quæ quisque sicut voluerit, interpretatur secundum sensum suum. Talia enim recte intelligi exponiq; nō possunt, nisi prius ea, quæ apertissime dicta sunt, firma fide teneantur.

Item: Aliquid proferte, quod non egeat interprete, nec vnde conuincamini, quod de alia re dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorqueat conemini. c. 19. Quæ ambigue posita, & pro nobis, & pro vobis possint interpretari, nihil utiq; adiuuant causam vestram, sed plane talia malam causam, vel moras faciendo sustentant. Item hæc mystica sunt, operata sunt, figurata sunt, aliquid manifestum, quod interprete non egeat, flagitamus. Huic distinctioni de obscuritate & perspicuitate Scripturæ, addatur & altera, de qua Paulus loquitur, 2. Corinth. 4. Si velatum est Euangelium nostrum, in his, qui pereunt velatum est: in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, ne illucescat ipsius lumen Euangelij. Et 1. Corin. 1. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus. Sed Dominus aperit mentes, vt intelligant scripturas, dato Spiritu sancto, Luc. 24. Jere. 31. Pertinet etiam huc, quod Augustinus dicit Epist. 3. Tanta est Christianorum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsq; ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio, & meliore ingenio conarer addiscere, non quo ad ea, quæ necessaria sunt salutem, tanta in eis perueniatur difficultate: sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteq; non viuatur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ: vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod Scriptura dicit: Cum consummauerit homo, tunc incipit.

His verò distinctionibus positis & seruatis, firmum & immotum manet, Psal. 18. Præceptum Do-

mini lucidum, illuminans oculos. Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. 2. Pet. 1. Sermo Propheticus ceu lucerna lucet in obscuro loco.

Cyrillus contra Iulian. libro 7. respondens obiectioni, quod scriptura vulgarem & protritam habeat dictionem, inquit: Vt omnibus essent nota, paruis & magnis, vtiliter familiari sermone commendata sunt, ita vt nullius captum transcendant. Et libro 9. Ignorat Iulianus, quod nihil difficile est iis, qui in legis versantur scripturis. Inaccessa autem omnino ipsi & suis, quæuis sententiarum in eis. Laçant. Num Deus & mentis & vocis, & linguæ artifex, disertè loqui non poterit, imò vero summa prouidentia carere fuco voluit ea, quæ diuina sunt, vt omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.

Augustinus: Hoc ipsam verbum consummatum & breuiatum, nec obscurum Deus esse voluit: idè breue, ne non vacaret legere: idè apertum, ne dicat: Non licuit mihi intelligere.

Chrysostomus Homil. 1. in Ioann. Huius doctrina, sole clarior est & illustrior. Idem Homil. 9. in 2. ad Corin. Semper enim, quando aliquid obscurum loquitur Paulus, seipsum iterum interpretatur.

Ambrosius lib. 3. Epist. 5. Ita nobiscum loquitur, vt nos sermonem eius intelligamus. Lib. 2. Epist. 7. Paulus in plerisque ita seipso in suis exponit sermonibus, vt is qui tractat, nihil inueniat quod adiciat suum, aut si velit aliquid dicere, Grammatici potius quam disputatoris fungatur munere.

Augustinus Tracta. 21. in Ioann. Temere fortassis facimus, quia discutere & scrutari volumus verba Dei. Sed quare dicta sunt, nisi vt sciatur: quare sonuerunt, nisi vt audiantur: quare audita sunt, nisi vt intelligantur?

DE LIBRIS CANONICIS, SEV SCRIPTURA Canonica.

EX PRIMO DECRETO QUARTAE Sessionis Concilij Tridentini.

Sacrorum librorum indicem, huic decreto ascribendum censuit Synodus: ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur. Sunt vero infra scripti Testamenti Veteris. Quinq; libri Moysi, scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Deinde Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, Paralipomenon duo, Esdra duo, primus scilicet & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidicum, centum quingenta Psalmorum. Parabola Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Propheta minores, scilicet Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus scilicet & secundus.

Novi Testamenti, Quatuor Evangelia, secundum Mattheum, Marcum, Lucam, & Ioannem. Acta Apostolorum à Luca Evangelista conscripta, quatuordecim Epistola beati Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, ad Corinthios dua, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philipenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses dua, ad Timotheum dua, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli dua, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, vna Iudæ Apostoli, Apocalypsis Ioannis Apostoli.

Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in Veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.

Omnnes

Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipsa Synodus, post iactum fides confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimum testimoniis ac praesidiis, in confirmandis dogmatibus, & iustaurandis in Ecclesia moribus sit & suta.

EXAMEN.

Tres potissimum quæstiones ad huc locum pertinent. Prima, quæ sit ratio appellationis, quod Scriptura vocatur Canonica, & quomodo illa appellatio confirmet, quæ de autoritate, perfectione & sufficientia scripturæ hæcenus diximus. Secunda, à quibus, & quomodo constitutus sit scripturæ Canon, siue vnde scriptura habeat auctoritatem Canonicam. Tertia, qui libri sint Canonici, qui apocryphi.

Nugæ sunt, quod quidam fabulantur, ideo scripturam vocari Canonicam, quod illa autoritas per Canonem alicuius Concilij ipsi attributa sit, cum ne nominare aut fingere quidem possint Concilium aliquod, in quo primum constitutus sit talis Canon scripturæ, quasi antea scriptura non habuisset talem auctoritatem. Quod enim Canones, qui sub Apostolorum nomine circumferuntur, huius rei mentionem faciunt, tam est putidum, ut Lindanus etiam illud, ut supposititium reprobet. Nam & tertium Machabæorum librum Canonicum faciunt, imò libros Clementis inter Canonicos referunt, de quibus longe diuersum iudicium extat apud Eusebium lib. 3. c. 38. Non igitur eo modo scriptura vocatur Canonica, sicut vocantur horæ Canonica, aut satisfactiones Canonica, aut sicut *καὶ κείνη* *συνεία γαστέρες ἀργαὶ*, abligurientes bona Ecclesiastica vocantur Canonici.

Sed absque dubio appellatio sumpta est ex Paulo, qui Galat. 6. inquit: *ὅσοι τῷ κηρόνι τὸ τῶ σοι χρίσται*, Quotquot secundum hunc Canonem seu regulam incedent, pax super illos & misericordia. Et Phil. 3. Eodem Canone seu regula ambulare. 2. Cor. 10. doctrinā Apostolicam vocat *κηρόνα*, cuius *μέτρον* Deus quasi admetum sit Paulo, quousque eius propagatione pertinere deberet. Sumpta autem est appellatio ex Psalm. 19. In omnem terram exiit regula eorum, & in fines orbis terræ verba earum. Verba siue doctrinam Apostolorum vocat *ἡ*, quod significat Canonem seu regulam, constantem aut lineam aut funiculo, quæ applicatur ad structuram, seu quodcunque opus, ne à vera ratione, aut extra debitum ordinem aberret: sed ut certo ordine, & debita ratione conficiatur & absoluat. Et suauissima est hæc metaphora, quæ ad doctrinam Apostolorum transfertur. Est enim Ecclesia, domus Dei viuentis, cuius ædificatio est ex Deo, & architecti sunt ministri verbi. Ut autem structura illa ministerio verbi, seu prædicatione doctrinæ recte inchoetur, iusto ordine & debita ratione conficiatur & absoluat, opus est certo Canone seu regula, ad quam architecti opus suum exigant, ne ædificatio à iusto ordine, & debita ratione exorbitet. Et regula illa est doctrina Apostolorum, Psalm. 19. Quia verò illa, quantum & satis & necesse est, scriptis est comprehensa, scriptura vocatur Canonica, libri Canonici, siue Canon scripturæ, quia est talis regula, ad quam structura fidei Ecclesiæ formanda & aptanda est, ita ut quicquid ad illam regulam conuenit, rectum, sanum, & Apostolicum iudicetur, quicquid verò non quadrat, sed ab illa regula, siue in excessu, siue in defectu exorbitat & aberrat, recte iudicetur supposititium, adulterinum, erro-

neum. Et Paulus utitur verbo *σοι χρίν κηρόνι*. Sicut acies castrorum certo ordine instruitur, progressura contra hostiles incursionem, ita quando Ecclesia vestigiis veræ fidei vult incedere, Rom. 4. ita ut munita sit contra pericula corruptelarum, opus habet certo Canone seu regula, secundum quam incedat, intra cuius limites & terminos se contineat, ne in errorem incidat. Et quicumque iuxta hanc regulam incedunt, pax super illos, & misericordia, inquit Paulus. Ille verò Canon seu regula, est doctrina diuinitus ab initio mundi generi humano patefacta; per Patriarchas, Prophetas, per Christum & Apostolos. Et quia illa doctrina, scriptis per Dei voluntatem est comprehensa, ideo & inde scriptura vocatur Canonica.

Valde illustris igitur est appellatio scripturæ Canonica, quæ probat & confirmat illa, quæ hæcenus de eius auctoritate, perfectione & sufficientia diximus. *καὶ ὅν* enim, sicut Varinus annotat, vocatur etiam in trutinis pars illa, quæ in medio librillæ lingulæ instar cõsistit, & ostendit vel æquilibrium, vel excessum, vel defectum. Quam metaphoram pulcherrime expressit Augustinus lib. 2. cap. 6. de Baptismo contra Donatistas: Afferamus, inquit, non stateras dolosas, vbi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro, dicentes: Hoc graue, hoc leue est: Sed afferamus diuinam stateram de scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Hæc pulcherrima est explicatio, quo sensu scriptura appelletur Canonica. Aristoteles 2. Politi. c. 8. disputans, vtrum melius sit gubernationem politicam instituere *κατὰ γράμματα*, secundum leges scriptas, aut secundum quod hominibus videtur æquum, utitur vocabulo *κηρόν*. Inquit enim: *πάντα βέλπιον γίνεσθαι κατὰ νόμον, ἢ κατὰ ἀνθρώπων βέλπισιν. ἔργον ἀσφαλῆς ὁ κηρόν*. Sicut igitur lex scripta, Canon est iudiciorum politicorum, ita scriptura vocatur Canonica, quod sit certa & infallibilis regula fidei. Varinus Canonem ita definit, quod sit *μέτρον ἀδιάφραστον, πᾶσιν ἀπέδειξιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιτελούμενον*. Hoc est, Canon est regula, seu mensura infallibilis, quæ nullo modo admittit, ut aliquid ei vel addatur, vel detrahatur, &c. Hoc modo scriptura vere est Canonica. Ita Cicero dicit, Tyronem esse *κηρόνα* scriptorum suorum, quod ea moderetur, corrigat & emendet.

Demosthenes *περὶ στεφάνου*, dicit *ἔργον καὶ κηρόνας ἀγαθῶν*, Græcis erant, tueri libertatem. Cælius etiam annotat, *καρονοίης* vocatos Pythagoræ illos harmonicis, qui non ex auditu tantum, sed præcipue ex ratione iudicabāt de harmonicis. Plutarchus etiam in vita Solonis dicit: Chronica quædam appellata fuisse *κηρόνας*: cuius appellationis ratio, facile potest intelligi. Hæc obseruationes illustrent & explicent, quæ sit ratio appellationis, quod scriptura vocatur Canonica. Et in hanc sententiam extant Augustini multa pulcherrima dicta, ex quibus quædam annotabimus, clarissime enim ostendunt perfectionem & sufficientiam scripturæ.

Contra Faustum Manichæum lib. 11. c. 5. De his libris, qui non præcipiendi auctoritate, sed proficiendi exercitatione scribuntur nobis dici potest, aliquid eos habere non consonum fortasse occultiori, & ad dinoscendum difficiliori veritati. Quod genus literarum non cum credendi necessitate, sed

*Augustinus de perfectio-
ne & suffi-
cientia Scri-
pturæ.*

sed cum iudicandi libertate legendum est. Cui tamen ne intercluderetur locus, & adimeretur posteris ad quaestiones difficilestratandas atque versandas linguarum ac styli saluberrimus labor, distincta est à posteriorum libris, excellentia Canonicae auctoritatis veteris & noui Testamenti, quae Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimer constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi si quid vel absurdum mouerit, non licet dicere, Autor huius libri non tenuit veritatem, sed, aut codex mendosus est, aut interpres errauit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, quae libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimae Canonicae scripturarum excellentiae coequantur, etiam in quibuscunque eorum inuenitur eadem veritas, longe tamen est impar auctoritas. Itaque in eis, si qua forte propterea dissonare putantur à vero, quia non ut dicta sunt, intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditor uel iudicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit, & ideo cuncta eiusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa Canonica auctoritate defendantur, ut demonstretur siue omnino ita esse vel fieri potuisse, quod vel disputatum ibi est vel narratum, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa uero Canonica eminentia sacrarum literarum, etiam si vnus Prophetas, seu Apostolus, aut Euangelista, aliquid in suis literis posuisse ipsa Canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quod verum sit. Alioquin nulla erit pagina, qua humanae imperitiae regatur infirmitas, si librorum saluberrima auctoritas, aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur.

Manifeste affirmat Augustinus, Scripturam Canonice regere humanae imperitiae infirmitatem, ei seruire debere omnem fidelem & piuum intellectum, ex illis demonstranda & iudicanda esse reliqua.

Contra Faustum lib. 13. c. 5. Cum Manichaei Scripturam non reciperent, dicebant, se famam de Christo credidisse. Augustinus responderet: Si famam de Christo credidistis, videte vtrum idonea testis sit, considerate, quo vos praecipitetis Scripturas, tanta auctoritate firmatas commendatasque respuitis, miracula non facietis, quae si faceretis, etiam ipsa in vobis caueremus, per instruendum nos Dominum, Matt. 24. Usque adeo nihil credi voluit aduersus confirmatam Scripturarum auctoritatem, &c.

De Baptismo contra Donatistas lib. 2. c. 3. Obiicere nobis soletis Cypriani literas, Cypriani Consilium. Quis autem nesciat, sanctam Scripturam Canonice, tam veteris quam noui testamenti certis suis terminis contineri: eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita praeponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas, quae post confirmatum Canonem vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiore cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorum auctoritatem, doctorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deuiarum est.

Ad Vincentium Donatistam Epistola 48. Noli contra diuina testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, primo, quia hoc genus

literarum ab auctoritate Canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, si forte aliter sapuerint, quam veritas postulat.

In Tractatu de Pastoribus: Constituit montes Israel authores Scripturarum diuinarum, ibi pascite, ut secure pascatis, quicquid inde audieritis, hoc vobis bene sapiat, quicquid extra, respuite, ne in nebula erretis, colligite vos ad mentem Scripturae; ibi sunt deliciae cordis vestri, ibi nihil venenosum, nihil alienum, pascua ibi vberissima tantum.

Contra Faustum lib. 23. Quod de generatione Mariae Faustus posuit, quia Canonicum non est, non me astringit.

In Psalm. 67. Testimoniis vtriusque Testamenti ita acquiescendum, ut quando ex his aliquid proferatur & probatur, omnis contentio pacifice quiete finiatur. Item, tunc praedicatoribus verbum veritatis datur, si auctoritas ab eis duorum testamentorum non relinquatur.

De nuptiis & concupiscentia lib. 2. c. 33. Ista controuersia iudicem quaerit. Iudicet ergo Christus, & cui mors eius profecerit, ipse dicat: Hic est, inquit, sanguis meus, &c. Iudicet cum illo & Apostolus, qui clamat: Proprio filio non pepercit, &c.

Contra Cresconium lib. 2. c. 36. Nos nullam facimus Cypriano iniuriam, cum eius quascumque literas à Canonice diuinarum Scripturarum auctoritate distinguimus. Neque enim sine causa tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quae certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & secundum quos de caeteris literis, vel fidelium & infidelium iudicamus.

Ibidem c. 32. Ego huius Epistolae auctoritate non teneor, quia literas Cypriani, non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis diuinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude eius accipio, quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

Epistola 19. ad Hieronymum. Ego solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonice appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse, firmissime credam, alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à veritate non abhorreat, persuadere potuerunt.

Epist. 112. ad Paulinam: Si diuinarum Scripturarum, earum scilicet, quae Canonice in Ecclesia nominantur, perspicua aliquid firmatur auctoritate, sine vlla dubitatione credendum est. Alij uero testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere, vel non credere liceat, quantum meriti ea ad faciendam fidem, vel habere, vel non habere perpenderit.

Et quia aliquoties Augustinus meminit, reliquos scriptores omnes, vel ex libris Canonicis, vel certa aut probabili ratione probare debere, quod vera sint quae scribunt, quaestio est, quam intelligat rationem probabilem? Illud uero perspicue multis verbis explicat Epistola 112. ad Paulinam: Si ea quae non videmus, neque de Scripturis sanctis didicimus, nulla omnino credidissimus, unde sciremus esse ciuitates, vbi nunquam fuimus, vel à Romulo conditam Romam? Unde sciremus, quinam parentes nos

nos procreassent, quibus auis maioribusq; geniti effemus? talium quippe cum plurima sciamus, non tamen ea vel vlllo sensu presentia, vel Canonico- rum eloquiorum autoritate didicimus, sed aliis referentibus, de quorum testimonio in hoc duntaxat rerum genere, minime dubitandum esse putauimus. In quibus, si alicubi fallimur credendo, nihil periculi esse iudicamus, si non sit contra illā fidem, qua pietas informatur. Hęc prælucio mea, te atque alios qui ista lecturi sunt, præsruat, qualis seu meorum, seu quorumlibet scriptorum iudices esse debeatis, ne vel scire vos opinemini quod nescitis, vel temere credatis, quod neque corporis sensibus, aut animi contuitu in eiusdem rei, quæ cognoscēda est euidentia percepistis, neque Canoniarum Scripturarum autoritate credendum esse didicistis, &c. Hanc Augustini sententiam integram propterea adscripsi, vt certo intelligatur, quid Augustinus velit, cum dicit vel autoritate Scripturæ Canonice, vel per alias certas aut probabiles rationes probandum esse, quod Patres affirmant. Pontificij enim ex illis rationibus mox vel suas traditiones, vel aliquid aliud fabricarent. Sed habemus ipsius Augustini declarationem.

Altera huius loci quæstio est. Cum valde magna & eminentis sit Scripturæ Canonice autoritas, vnde illam habeat & acceperit, seu à quibus constitutus sit Canon ille, ad quem certi libri Canonici pertineant? Pontificij dicunt, ab Ecclesia Scripturam habere illam autoritatem, quod Pighius ita interpretatur, autoritatem Ecclesiæ quodammodo superiorem esse autoritate Scripturarum: siquidem Ecclesiæ autoritas, Scripturis quibusdam, eisque præcipuis, quam neque ex se, neque ex autoribus suis apud nos habebant, Canonice impartita est autoritatem. Alij dicunt, vsque adeo Ecclesiæ autoritatem esse supra Scripturam, quod Euangelij ab Apostolis, vt à Matthia, Iacobo, Bartholomæo, Thoma, Philippo, Petro, Andræa scripta, Ecclesia potuit reicere: & quod rursus Canonice potuit impertiri autoritatem, illis, quæ conscripta sunt à Marco & Luca, qui non fuerunt Apostoli, sed quos Lindanus dicit, antea fuisse Apostatas, vt qui Ioannis sexto, à Christo defecerint. Sunt qui non verentur blasphemare sacram Scripturam diuinitus inspiratam, si autoritate Ecclesiæ deseratur, nō plus per se valere, quam fabulas Æsopi.

Et ex his postulatis extruunt hoc axioma, quod ea, quæ Ecclesia tradit & proponit, etiam sine vlllo Scripturæ testimonio eandem habeant autoritatem, sicut Scriptura Canonice, cui Ecclesia hanc autoritatem indulserit. Sed falsissimum est, Ecclesiam habere autoritatem reiciendi & improbandi vllam Scripturam, quam certo constet diuinitus inspiratam esse. Falsum est & hoc, sacram Scripturam nec ex se, nec ex suis autoribus habere autoritatem Canonice, sed eam aliunde ex Ecclesiæ autoritate scilicet mutuam esse.

Illud verò manifeste blasphemum est, quod si præfens Ecclesia, Pontifex scilicet Romanus cum suis prælatis, Scripturam sua autoritate deserent, non plus illam per se valiturā, quam fabulas Æsopi.

Habet igitur Scriptura Canonice eminentem illam suam autoritatem principaliter inde, quod diuinitus est inspirata, 2. Tim. 3. hoc est, quod non hominum voluntate allata est, sed quod à Spiritu sancto impulsus homines Dei & locuti sunt, & scripserunt. 2. Petr. 1. Vt autem tota hæc necessaria res

contra omnes imposturas esset certissima, Deus certos quosdam homines ad scribendum elegit, & illos multis miraculis & diuinis testimoniis ornauit, vt nullum esset dubium diuinitus inspirata esse ea, quæ scribebant.

Postremò scripta illa diuinitus inspirata, tunc cum scriberentur publica testificatione proposita, tradita & commendata sunt Ecclesiæ, vt ea, adhibita summa cura & prouidentia, incorrupta conseruaret, & quasi per manus traderet, & commendaret posteritati. Et sicut vetus Ecclesia tempore Mosis, Iosue & Prophetarum, ita etiam primitiua Ecclesia tempore Apostolorum, certo potuit testificari, quæ scripta essent diuinitus inspirata. Nouerat enim autores, quos Deus peculiaribus testimoniis Ecclesiæ commendarat: nouerat etiam, quæ essent illa, quæ ab ipsis scripta erant, & ex iis, quæ traditione viua vocis ab Apostolis acceperat, poterat iudicare, illa quæ scripta erant, esse illam ipsam doctrinam, quam Apostoli viua voce tradebant. Ita Ioan. 21. Apostoli testimonium, & Ecclesiæ testificatio cōiunguntur: Hic est discipulus ille, qui scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius. Ita Paulus certo signo notauit genuinas suas Epistolas. Habet igitur Scriptura Canonice autoritatem, principaliter à Spiritu sancto, cuius impulsu & inspiratione prodita est. Deinde à Scriptoribus, quibus Deus ipse certa & peculiariter veritatis testimonia perhibuit. Postea à primitiua Ecclesia habet autoritatem, vt à teste, cuius tempore scripta illa edita & approbata fuerunt.

Hęc verò testificatio primitiua Ecclesiæ, de scriptis diuinitus inspiratis, postea perpetua successione per manus tradita est posteritati, & in certis antiquitatis historiis diligenter conseruata, ita vt sequens Ecclesia, custos esset testificationis primitiua Ecclesiæ de Scriptura. Maxima igitur est differentia, 1. inter testificationem primitiua Ecclesiæ, quæ fuit tempore Apostolorum. 2. inter testificationem Ecclesiæ, quæ proxime post Apostolorum tempora secuta est, quæq; primæ Ecclesiæ testificationem acceperat. 3. & inter testimonium presentis Ecclesiæ de Scriptura. Quæ enim & nunc est, & antea fuit Ecclesia, si potest ostendere testimonia eorum, qui acceperant, & nouerant testificationem primæ Ecclesiæ de germanis scriptis, credimus ei, vt testi probanti sua dicta. Non autem habet potestatem statuendi aut decernendi aliquid de libris sacris, cuius non possit certa documenta ex testificatione primitiua Ecclesiæ præferre. Hęc sunt verissima, & tota disputatio rectissime ex his fundamentis intelligi potest.

Ita ex allegationibus, quæ extant in nouo testamento colligi potest, quis fuerit Canon scripturæ veteris Testamenti. In nouo Testamento Iohannes vidit trium Euangelistarum scripta, & probauit ea. Paulus Epistolas suas peculiari nota signauit, Petrus eas vidit, & Ecclesiæ commendauit, Ioannes suis scriptis annectit, & suum & Ecclesiæ testimonium. Omnino enim non qualibet, sed Apostolica autoritas requiritur, vt in N. Testamento probetur scriptum aliquod esse Canonice, seu diuinitus inspiratum. Ita Tertullianus refutaturus Euangelium à Marcione adulteratum, inquit: Constitutum in primis Euangelicum instrumentum, Apostolos autores habere, quibus hoc munus promulgandi Euangelij ab ipso Domino sit impositum. Si & Apostolicos, nō tamen solos, sed cum Apostolis: quoniā prædicatio Apostolorum suspecta fieri

Sacra Scriptura vnde habet autoritatem.

Scriptura autoritas habet, 1. à Spiritu sancto. 2. à Scriptoribus. 3. à primitiua Ecclesia.

fieri posset, si non assistat illi autoritas magistrorum, imò Christi, qui magistros Apostolos fecit. Et mox addit: Quia Euangelium ante Lucam discurrit, habuit utiq; authenticam paraturam, per quam ad Lucam vsq; peruenit, cuius testimonio assistente, Lucas quoque possit admitti. Et postea: Dico apud Ecclesias Apostolicas, & iam apud vniuersas id Euangelium Lucæ, quod tuemur ab initio editionis suæ stare. Eadem autoritas Ecclesiarum Apostolicarum cæteris patrocinetur Euangelis, quæ per illas & secundum illas habemus.

Et Augustinus inquit: Eo tempore scripserunt, quo non solum ab Ecclesia Christi, verum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt.

Et memorabilis est historia quam Hieronymus ex Tertulliano recitat, vnde intelligi potest, quæ vigilantia constitutus sit Canon librorum Canonico- rum noui Testamenti. Ioanni enim Deus post mortem reliquorum Apostolorum, longiorem vitam concessit, vt Apostolica vigilantia Ecclesiæ ad omnem posteritatem prospiceretur, ne adulterina scripta sub Apostolorum nomine Ecclesiis obtruderentur. Historiam autem Hieronymus sic refert. Cum post mortem Pauli libellus quidam de Periodo Pauli & Teclæ spargeretur, & sub nomine ac titulo Pauli circumferretur, presbyterum quandam in Asia *αουδαϊκῶ* Pauli conuictum apud Ioannem Apostolum, quod author esset illius libri, & confessum, se hoc Pauli amore fecisse, & ob id excidisse. Ita Hieronymus.

Quod verò Marcus & Lucas, qui non fuerunt Apostoli, ad scribendum Euangelium diuinitus vocati sunt, Augustinus hanc reddit rationem, ne putaretur, quod attinet ad prædicandum & percipiendum Euangelium, interesse aliquid, vtrum illi annunciant, qui Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt: an hi, qui ex his fideliter comperta crediderunt, diuina providentia procuratum est per Spiritum sanctum, vt quibusdam etiam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solum annunciandi, verum etiam scribendi Euangelium tribueretur autoritas, &c. Et huc pertinet altera Augustini sententia: Eo tempore scripserunt, quo non solum ab Ecclesia Christi, verum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt.

Hoc igitur modo constitutus est Canon Scripturæ in nouo Testamento, & inde scriptura canonica habet eminentem illam autoritatem.

Huc etiam pertinet, quod Tertullianus de præscriptione affirmat, ipsas authenticas Apostolorum literas, hoc est, ipsa *αὐτῶν γραφὰ* Apostolorum, suo adhuc tempore in Ecclesiis Apostolicis conseruata extitisse. Eusebius etiam alicubi narrat de scripto quodam, quod sub Pauli nomine ferebatur, quosdam affirmasse, *αὐτῶν γραφῶν* extare in Tarso Ciliciæ: sed compertum fuit, falsam esse narrationem. Vides ergo, quibus documentis vsa fuit Ecclesia, quæ post Apostolorum tempora secuta est in diiudicandis genuinis libris.

Et hanc primæ Ecclesiæ, quæ Apostolorum tempore fuerat, testificationem de genuinis Apostolorum scripturis, posteritas quæ mox secuta est, tam constanter & fideliter retinuit & conseruauit, vt cum multa postea quasi ab Apostolis cõscripta proferrentur, reiecta & reprobata fuerint, tanquã supposititia & adulterina, primò ideo, quia non pote-

rat ostendi, & probari ex testificatione primæ Ecclesiæ, quod vel ab Apostolis essent conscripta, vel viuentibus Apostolis comprobata, & primæ Ecclesiæ tradita & commendata: secundò, quia afferebat peregrinam doctrinam, non consentaneam illi, quam Ecclesia ab Apostolis acceptam, in recenti tunc adhuc memoria conseruabat. Ita Serapion apud Eusebium lib. 6. de Euangelio quodam, quod Petri titulum præferebat, iudicat: Nos, inquit, Petrum & reliquos Apostolos, sicut & Christum recipimus, sed *ψευδὲς πῖστερα* reiciimus, velut gnari eorum sensus & sententiæ, scientes, quod talia *ἐκ πατρῶν λαβομεν*, hoc est, non accepimus tradita ab Apostolis, &c. His duobus *κριτηρίοις* adhibitis, vetus Ecclesia quædam scripta simpliciter reiecit, vt supposititia & adulterina, quædam verò, de quibus vel non certissima, vel non consentanea, primitiuæ Ecclesiæ extabant testimonia, non simpliciter damnauit, sed tamen distinguere & seiungere voluit ab illis, quæ sine vlla dubitatione & contradictione vera & legitima erant scripta.

Ita Eusebius lib. 3. c. 3. & 25. facit tres ordines scriptorum. Primū eorum, quæ nec ficta, nec dubia, sed *ἀναμφιλύκτως ἐν διάδοχῃ, καὶ καθολικῇ ὁμολογημένα*, hoc est, quæ sine contradictione testamentaria, legitima, catholica, & omnium Ecclesiarum confessione certa sunt. Secundum ordinem ponit eorum scriptorum, de quibus dubitatum fuit, an certo essent ab illis Apostolis cõscripta & edita, quorum nomen & titulum præferunt, vt quæ contradictionem, non consentientibus primitiuæ Ecclesiæ testificationibus passa sunt, illa non fuerunt simpliciter damnata, sed usurpata & lecta à multis Ecclesiasticis viris, vt non inutilia. Et sicut quæ prioris generis sunt, vocata sunt Canonica & Catholica: ita quæ ad secundum ordinem pertinent, vocata sunt hagiographa Ecclesiastica, & à Hieronymo, apocrypha. Et tam accurata distinctio ideo salubri vigilantia facta est, vt certus esset Canon, & certa regula dogmatum seu fidei in Ecclesia: Vt sciant, inquit Cyprianus, à quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sint pocula. De Apocryphis seu Ecclesiasticis, quæ ad secundum ordinem pertinent, inquit Hieronymus: Legit hæc Ecclesia ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Ecclesiarum dogmatum confirmandam. Item, illorum autoritas ad roboranda illa, quæ in contentione veniunt, minus idonea iudicatur. Cyprianus, siue is Ruffinus est, in expositione Symboli inquit: Quæ legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam.

Tertium verò ordinem scriptorum, Eusebius facit eorum, quæ sunt supposititia, adulterina & falsa, quæ simpliciter reiciuntur & reprobantur.

Iam quæstio est: I. An Ecclesia, quæ primitiuam & vetustissimam illam secuta est, vel quæ nunc est Ecclesia, possit ea scripta, quæ hoc modo reiecta & reprobata sunt authentica facere? Et manifestum est, quod non. II. An ea, quæ ex testificatione primæ Ecclesiæ habent certa & firma autoritatis suæ testimonia, possit reicere & probare? Et non arbitror quenquam hoc dicturum. Tertia igitur quæstio est: An ea scripta, de quibus in antiquissima Ecclesia, propter quorundam contradictionem dubitatum fuit, ideo quod testificationes primitiuæ Ecclesiæ de his non consentirent, an, inquam, præfens Ecclesia possit illa scripta facere Canonica, Catholica, & paria illis, quæ primi ordinis sunt?

Tres ordines
scriptorum
iuxta Euse-
bium.

sunt? Pontificii non tantum disputant se hoc posse, sed de facto illam auctoritatem usurpant: In vniuersum tollentes primitiua & antiquissima Ecclesie necessariam distinctionem, inter libros Canonicos & Apocryphos, seu Ecclesiasticos. Sed manifestissimum est ex iis, quae diximus: Ecclesiam nullo modo habere illam auctoritatem, eadem enim ratione posset etiam vel Canonicos libros reuocare, vel adulterinos canonizare. Tota enim haec res (sicut diximus) pendet ex certis testificationibus eius Ecclesiae, quae tempore Apostolorum fuit: quas acceptas proxime sequens Ecclesia, certis & fide dignis historiis conseruauit. Vbi igitur non possunt proferri certissima documenta primitiua & antiquissima Ecclesiae, ex testificationibus veterum, qui non longe, post Apostolorum tempora vixerunt, libros illos de quibus controuertitur, fuisse sine contradictione & dubitatione, pro legitimis & certis acceptos & commedatos Ecclesiae, non valent vlla humana decreta. Quam insolens enim est audacia, ita statuere, licet primitiua & sequens antiquissima Ecclesia, de libris illis, propter multorum Ecclesiasticorum contradictionem dubitarit, ideo quod non satis certa & firma auctoritatis ipsorum testimonia extarent, hoc tamen non obstante decernimus, debere illos pro omnino certis pari auctoritate, cum illis, qui legitimi semper iudicati sunt, recipi. Sed quibus documentis hoc vestrum decretum probatis? Respondet Pighius: Ecclesia habet illam potestatem, quod potest scriptis quibusdam impertiri Canonicam auctoritatem, quam nec ex se, nec suis autoribus habent. Quin igitur impartiantur illam auctoritatem, vel fabulis Aesopi, vel veris narrationibus Luciani. Non quod libros illos, de quibus controuersia est, velim fabulis Aesopi comparari (tribuo enim illis cum Cypriano & Hieronymo, honorificum locum, quem in veteri Ecclesia semper habuerunt) sed *ἐπαγογγῆ εἰς ἀδύνατον*, sicut Dialectici loquuntur, volui ostendere, in disputatione de libris scripturae, Ecclesiam non habere illam potestatem, quod possit ex falsis scriptis facere vera, ex veris falsa, ex dubiis & incertis facere certa, canonica & legitima sine vllis certis & firmis documentis, quae ad hanc rem requiri, supra diximus.

Augustinus.

Et plane eodem modo Augustinus, quando disputat de constitutione Canonis librorum Scripturae, non tribuit Ecclesiae merum & mixtum imperium iuxta Scripturam, sed testificationis meminit, & qualem testificationem intelligat, consideretur. Contra Faustum, lib. 28. ca. 2. Cum coepo Matthaei Euangelium recitare, continuo dices, illam narrationem non esse Matthaei: Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichaei. Sicut ergo ego credo, illum librum esse Manichaei, quoniam ex ipso tempore, quo Manichaeus vivebat in carne, per discipulos eius, certa successione praepositorum vestrorum, ad vestra usque tempora custoditus atque perductus est: sic & istum librum crede esse Matthaei, quem ex illo tempore, quo Matthaeus ipse in carne vixit, interrupta serie temporum, Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit. Ibidem li. 33. ca. 6. Etiam in literis secularibus, sub clarorum autorum nominibus, postea multa prolata sunt, & ideo repudiata, quia vel his, quae ipsorum esse constaret, minime congruerent, vel eo tempore, quo illis scripserunt, nequaquam innotescere, & per ipsos, vel familiarissimos eorum in posteros prodi commendarique meruerunt.

Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque eiusmodi autorum libros, vnde nouerunt homines, quod ipsorum sunt? nisi temporum sibimet succedentium contestatione continua. Quae Patres conscripserunt, vnde constat, quid cuiusque sit? nisi quia his temporibus, quibus ea quis scripsit, quibus potuit insinuauit & edidit, & inde in alios atque alios, continuata noticia, latiusque formata ad posteros, etiam usque ad nostra tempora peruenerunt. Ecce istas literas, quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitae huius nostrae, vel illas quisque Faustus esse, vel has neget meas, vnde conuincitur? nisi quia illi, qui nunc ista nouerunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis posterum successioneibus traiciunt. Quae cum ita sint, quis dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam tam fidam tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros traicerent? Lib. 11. ca. 2. Quam libri a te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Et vides in hac re, quid Ecclesiae Catholicae valeat auctoritas, quae ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur; Lib. 32. ca. 21. Hic iam si quaeratis a nobis, vnde sciamus Apostolorum esse istas literas: breuiter vobis respondemus, inde nos scire, vnde & vos scitis illas literas esse Manichaei. De ciuitate Dei, li. 15. ca. 23. Omittamus earum Scripturarum fabulas, quae apocryphae nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, a quibus usque ad nos auctoritas verarum Scripturarum certissima & notissima successione peruenit. In his autem apocryphis etsi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla diuina Enoch, negare non possumus, cum hoc in Epistola canonica Iudas Apostolus dicat: sed non frustra non sunt in eo canone Scripturarum, quae seruabatur in templo Hebraei populi, succedentium diligentia sacerdotum. Cur autem hoc? nisi quia ob antiquitatem suspectae fidei iudicata sunt, nec vtrum haec essent quae ille scripsisset, poterat inueniri: non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur rite seruasse, vnde illa quae sub eius nomine proferuntur, recte a prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda: sicut multa sub nominibus & aliorum Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab haereticis proferuntur: quae omnia sub nomine apocryphorum, ab auctoritate canonica, diligenti examinatione remota sunt.

De consensu Euangelist. li. 1. Caeteri scriptores, vel non tales extiterunt suis temporibus, ut eis fide haberet Ecclesia, atque in auctoritatem Canonicam sanctorum librorum, scripta eorum reciperet: vel quia scriptis suis quaedam fallaciter indiderint, quae Catholica & Apostolica regula fidei, & sana doctrina condemnat.

Idem contra Faustum: Legunt Scripturas apocryphas Manichaei, nescio a quibus futuribus fabularum, sub nomine Apostolorum scriptas: quae suorum scriptorum temporibus in auctoritatem sanctae Ecclesiae recipi merentur, si sancti & docti homines qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent.

Manifestum est, Augustinum non tribuere Ecclesiae illam potestatem, quod possit scriptis quibusdam tribuere canonicam auctoritatem: quam nec

ex se ipsis, nec ex suis autoribus habuerunt, & quam illis cum scriberentur temporibus, non habuerint, sicut Pontificii contendunt. Sed alia est ratio autoritatis Spiritus sancti: cuius impulsu & inspiratione Prophetæ, Apostoli, & Apostolorum discipuli libros sacros conscripserant, qui miraculis doctrinâ illam conscriptam confirmarunt: & alia est ratio testificationis Ecclesiæ, quod scripta illa sint à Prophetis & Apostolis vel conscripta, vel comprobata, & Ecclesiæ commendata. Et in hac testificatione alia etiam est ratio illius Ecclesiæ, quæ fuit illis temporibus, cum libri illi primû scriberentur, & eius Ecclesiæ, quæ postea secuta est. Illa enim tantum conseruat, & ad posteros transmittit testificationem primæ Ecclesiæ, non autem vel debet, vel potest aliquid de libris illis statuere, cuius non habeat certa documenta ex testificatione primæ Ecclesiæ.

Gerson.

Ita Gerson de vita spirituali, lectione 2. corollario 7. disputat, maiorem hac in re fuisse autoritatē primitiua Ecclesiæ, quam nunc sit. Et addit: Non est in potestate Pape, aut Concilij, aut Ecclesiæ, immutare traditiones datas ab Euāgelistis & ab Apostolis, sicut quidam delirant, Nec habent parē autoritatis firmitatem, vt faciant aliquid esse pure de fide. Subiungit & hoc: Et hîc aperitur modus intelligendi illud Augustini: Euangelio non crederem, nisi me autoritas Ecclesiæ compulisset. Ibidem enim Ecclesiam sumit pro primitiua congregatione fidelium eorum qui Christum viderunt, audierunt, & sui testes extiterunt. Hæc Gerson.

Tertia quæstio est: Qui libri sint in Canone, & qui non sint in Canone? sicut Hieronymus loquitur. Nō autem de supposititiis, adulterinis, & falsis scriptis nūc loquimur, quorum Catalogus extat apud Eusebium, & distin. 15. ca. Sancta Romana. Sed de illis libris quæstio est, qui simul extant in vulgata Bibliorum editione, quiq; in Ecclesiis à fidelibus leguntur. De illis quæritur veteris Ecclesiæ testificatio, an omnes sint eiusdem certitudinis, & paris autoritatis. Est autem certissimum & manifestissimum, veteris Ecclesiæ hanc esse testificationem, quod ex illis libris quidam sint in Canone, quidam non sint in Canone, sed sint Apocryphi: sicut Hieronymus solet loqui: (quod idem est) quædam ex illis scriptis esse legitima, & quæ sine contradictione certa & consentientia suæ autoritatis testimonia habeant, ab vniuersa prima & veteri Ecclesia. De quibusdam vero dubitatum fuisse propterea, quod propter quorundam contradictionem nō habuerint satis certa, firma & consentientia primæ & veteris Ecclesiæ testimonia de sua autoritate.

Et ex scriptis veteris Testamenti, inter apocrypha quæ non sunt in Canone, numerantur Liber Sapientiæ, Syrach, Iudith, Tobias, tertius & quartus Esdræ, Baruch, Epistola Ieremiæ, libri Machabæorum, particula in Esther & Daniele.

*Apocrypha
scripta Veteris Testamenti.*

Et ratio, quare libri illi ab autoritate Canonica separati sunt, nō est obscura. Quidam enim ex illis, post tempora Prophetarum, tunc scripti sunt, cum populus Israel nō amplius habebat Prophetas, quales veteres fuerant: & scripti sunt ab illis, qui non habebat diuina testimonia, sicut Prophetæ, de doctrinæ suæ certitudine & autoritate. Quidam vero ex illis libris, præferunt quidem nomina Prophetarum, sed nō habuerunt certas testificationes, quod ab illis quibus tribuuntur, essent conscripti: Hæc ratio manifesta est, quare remoti sint à canone scripturæ. Istos ergo libros qui nunc vult facere cano-

nicos, illum necesse est probare posse, quod certo, absq; omni dubitatione sint à Prophetis conscripti: quod probare impossibile est. Vel necesse est statuere, ad Scripturam diuinitus inspiratam nihil referre, siue habeat diuina certitudinis, autoritatis & veritatis testimonia: siue humana tantum habeat testimonia. Consideret igitur Lector, quo tandem euasura sit dictatoria librorum illorum Canonisatio.

Ex libris noui Testamenti, qui in prima & veteri Ecclesia non habuerunt satis certa, firma & consentientia certitudinis & autoritatis suæ testimonia, hi recensentur.

Eusebius libro tertio, capite vigesimo quinto. Scripta quæ non habentur pro indubitatis, sed quibus contradicitur, licet multis sint cognita, hæc sunt: Epistola Iacobi, Iudæ, posterior Petri, & altera cum tertia Iohannis: Apocalypsin Iohannis quidam reprobant, quidam certis & indubitatis scripturis adiudicant.

Hieronymus in Catalogo script. Epistola Iacobi, ab alio quodam sub eius nomine edita asseritur.

Eusebius li. 2. ca. 23. Istius Iacobi qui Iustus & Oblias vocabatur, dicitur esse Epistola, quæ prima scribitur inter Catholicas. Sciendum autem est, (ὡς νοθέεται,) hoc est, quod non pro genuina & legitima, sed pro notha & adulterina iudicetur. Non multi igitur veterum (τῶν παλῶν) istius meminerunt, sicut & quæ Iudæ: quia de libro Enoch qui apocryphus est, testimonium assumit, à plerisque reicitur.

Eusebius libro 3. capit. 3. Eam, quæ circumfertur altera Petri epistola, non esse legitimam accepimus.

Hieronymus in Catalogo scripto: Secunda à plerisque Petri esse negatur, propter styli cum priori dissonantiam.

Eusebius lib. 3. cap. 25. Reliquis duabus epistolis Iohannis contradicitur. Et rationem addit, cap. 25. Quia, inquit, dubitatum fuit, vtrum essent Iohannis Euangelistæ, an vero alterius cuiuspiam eiusdem cum illo nominis.

Eusebius li. 3. ca. 3. Non est ignorandū, quod quidam in Romana Ecclesia, epistolam ad Hebræos reprobarunt, asserentes contradici, quasi non sit Pauli.

Lib. 6. ca. 25. Origenes ponens catalogum Canonico- scriptorū veteris Testamenti, dicit libros Machabæorum ἕξω τῶτων esse. Ibidem: Petrus vnam epistolam, de qua certo constat, post se reliquit. Esto autem reliquerit & alteram: de illa namq; controvertitur. Item, Alteram & tertiam Iohannis, non omnino germanas esse dicunt. Ibidem. De Epistola ad Hebræos, character dictionis non habet τὸ ἰδιώτικον ἐν λόγῳ, sicut Paulus confitetur se ἰδιώτῃ esse sermone. Quisquis autē potest discernere inter phrasas, fatebitur epistolam ad Hebræos ἐν σωθῆσαι τῆς λέξεως ἑλληνικωτέραν. Rursus quod sensus huius Epistolæ nequaquam inferiores sint illis literis, quæ sine contradictione Apostolicæ sunt, fatebitur, quisquis diligenter legerit Apostolica. Et tandem concludit: Si qua igitur Ecclesia, Epistolam illam tanquā Pauli recipit εὐδοκίμειτω καὶ ἐπὶ τῷ. Nō enim frustra prisca viri, Pauli esse tradiderunt. Quis vero illam scripserit, τὸ μὲν ἀληθὲς Deus nouit. Ad nos vero historia peruenit, vel à Clemente, vel à Luca esse scriptam: vt sensus sint Pauli, phrasis vero & compositio sit ἀπομνημονεύσαντος τινὸς Apostolica, & quasi χολιογραφῆσαντος, quæ dicta erant à præceptore.

Hierony-

*Scripta apocryphana
Testamenti.*

Hieronymus in octavo capite Esaiæ: Licet Latina Ecclesia Epistolam ad Hebræos inter Canonicas scripturas non recipiat.

Eusebius lib. 3. ca. 24. De Apocalypsi etiamnum apud multos dispar est opinio, probantibus illam aliis, aliis vero reprobantibus.

Lib. 3. ca. 39. Verisimile est, alterum Iohannem, qui inter seniores numeratur, nisi quis primum, qui inter Apostolos nominatur, Apocalypsin illam vidisse, quæ sub nomine Iohannis circumfertur, li. 5. ca. 8. Irenæus tribuit illam Iohanni Apostolo. Ita & lib. 6. cap. 25. Origenes.

*Cur de quibusdam scripturis non Te-
menti Veteres dubita-
runt.*

Hæc veterum testimonia ideo annotavi, ut non tantum notus sit Catalogus scriptorum noui Testamenti, quæ non habent satis certa, firma & consentientia autoritatis suæ testimonia: sed ut præcipue notari possint rationes, quare de illis dubitatum fuerit. 1. Quia apud veteres non inuenta fuerunt satis certa, firma & consentientia testimonia de testificatione primæ Apostolicæ Ecclesiæ, quod libri illi essent ab Apostolis comprobati, & Ecclesiæ commendati. 2. Quia non certo ex testificatione primæ & veteris Ecclesiæ constitit, an ab illis sub quorum nomine editi sunt, libri illi conscripti essent: sed iudicati fuerunt ab aliis sub nomine Apostolorum editi. 3. Cum quidam ex vetustissimis, aliquos ex illis libris tribuerent Apostolis, quidam vero contradicerent: res illa sicut non erat indubitata certa, relicta fuit in dubio. Pendet enim tota hæc disputatio à certis, firmis & consentientibus primæ & veteris Ecclesiæ testificationibus: quæ ubi desunt, sequens Ecclesia sicut non potest ex falsis facere vera, ita nec ex dubiis potest certa facere, sine manifestis & firmis documentis. Contra hæc tam manifesta antiquitatis testimonia Tridentinum Concilium sessione quarta, ita decernit: Si quis libros integros cum omnibus suis partibus, prout in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit. Sed vnde hoc suum decretum, contra antiquitatis testimonia probant & confirmant? Num proferunt certa & manifesta quædam documenta, ex testificationibus primæ Apostolicæ & veteris Ecclesiæ, quod libri illi controuersi, eandem certitudinem, & parem autoritatem cum reliquis, de quibus nunquam dubitatum fuit, habeant? Nihil minus: neque enim possunt hoc facere. Sed rapiunt sibi hanc potestatem, quod Papa cum suis Prælatibus, possit & illis, & forsitan aliis etiam libris impertiri Canonicam autoritatem, quam nec ex se, nec ex suis authoribus merentur, & quam tempore Apostolorum & primitiæ Ecclesiæ non habuerunt: sicut Pighius contendit. Quin igitur aperte dicunt, quod res est? Licet probari non possit, libros illos vel à Prophetis, vel ab Apostolis siue scriptos, siue comprobatos, & à prima veterique Ecclesia certo & constanter receptos: imo licet contrarium manifestissimis antiquitatis testimoniis meridiana luce clarius probetur: hoc tamen non obstante, statuimus & decernimus, certo hoc credendum esse, licet nulla à nobis huius rei idonea proferantur documenta, quia (si dis placet) plenitudo huiusmodi Antichristianæ potestatis, sepulta est in scrinio peccatoris Pontificij.

Dicunt Anathema omnibus, qui libros Apocryphos non recipiunt eadem certitudine & autoritate, sicut Canonicos. Anathema igitur erit Eusebius, Hieronymus, Origenes, Melito, & tota pri-

ma Apostolica ea vetus Ecclesia: ex cuius testificatione, illa quæ supra de libris istis recitauimus, accepta sunt.

Scio, quod Nicephorus, scriptor non admodum vetus, lib. 3. ubi ex Eusebio recitat primitiæ & veteris Ecclesiæ sententiam de libris istis apocryphis, addit, Ecclesiam iam dudum illos pro legitimis & testamentariis recepisse. Sed quas affert rationes, quæ documenta, quare à testificationibus primitiæ Ecclesiæ discedendum sit? Nihil certe Hilarius in prologo Psalmorum, de re graui profecto nõ satis grauius agit. Ludit enim, quia 22. sunt libri Canonici veteris Testamenti, iuxta numerum literarum Hebraicarum: ideo quia Græcorum & Latinorum, 24. sunt literæ, addendos esse Canonicos duos libros, Iudith, scilicet & Tobiam, ut numerus respondeat literis. Sed in re tam graui & seria, non tam friuolè ludendum est.

Tota igitur disputatio in hac quæstione consistit: An certum & indubitatum sit, libros illos de quibus hæc controuersia est, esse Scripturam diuinitus inspiratam à Prophetis & Apostolis, qui diuinitus autoritatem illam habuerunt vel editam, vel approbatam?

Tota antiquitas respondet, non esse certum, sed propter multorum contradictiones fuisse dubitatum. Tridentinum vero supercilium anathematatur, nisi quis illos susceperit pari, imo eadem certitudine & autoritate, sicut reliquos libros de quibus nunquam dubitatum fuit. Quid igitur mirum est, quod parasciti quidam Pontificij disputarunt, Papam posse novos fidei articulos condere: cum hoc loco nouam Scripturam Canonicam fabricare non vereatur? ut nullum amplius sit dubium, quis sit ille, qui in templo Dei sedens, super omne quod Deus dicitur, extollit 1. 2. Thess. 2.

Nunquid igitur simpliciter abiiciendi & damnandi sunt libri illi? Nequaquam hoc quærimus. Quæ igitur vsum habet hæc disputatio? Respondeo. Ut regula fidei, siue sanæ in Ecclesia doctrinæ certa sit. Ex solis enim libris Canonicis, autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam veteres censuerunt, sicut testimonia supra allegata sunt. Solius Canonice Scripturæ autoritas, idonea iudicata fuit ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt: reliquos vero libros, quos Cyprianus Ecclesiasticos, Hieronymus apocryphos nominat, legi quidem voluerunt in Ecclesiis, ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Ecclesiarum dogmatum confirmandam. Non enim voluerunt illos proferri, ad autoritatem ex his fidei confirmandam. Et illorum autoritas, ad roboranda ea quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicata fuit. Nullum igitur dogma ex istis libris extrui debet, quod non habet certa & manifesta fundamenta & testimonia in aliis Canonicis libris. Nihil quod controuersum est, ex istis libris probari potest, si non extent aliæ probationes & confirmationes in libris Canonicis. Sed quæ in illis libris dicuntur, exponenda & intelligenda sunt, iuxta analogiam eorum, quæ manifeste traduntur in libris Canonicis. Hanc esse vetustatis sententiam, nullum est dubium. Sed Concilium Tridentinum propter illam ipsam causam, necessariam & verissimam, hanc veteris Ecclesiæ distinctionem infringit, subuertit & tollit: quia (sicut Andradius meus inquit) non volunt se in has conuicere angustias, ut omnibus aliis præsidis destituti, à sola Canonica Scriptura fidem mutu-

*Vsus huius
disputationis.*

tur. Inquit enim Synodus Tridentina, se ideo ex libris apocryphis facere Canonicos: ut ostendat, quibus potissimum testimoniis & præsiidiis, in confirmandis dogmatibus, & instaurandis moribus sit vsura.

Quid igitur antiquitatis suffragia prætendunt, qui primæ & veteris Ecclesiæ sententiam de Canone fidei & dogmatum ab ipsis fundamentis subuertunt? Et diligenter consideret Lector, quid incommodi in Ecclesiam inuenerit, neglecta & sublata antiquissima illa distinctio, inter libros Canonicos, apocryphos, & adulterinos seu falsos. Primū enim ad auctoritatem librorum Canonicorum, paulatim adiungi cœperunt reliqui, qui apocryphi vocantur Hieronymo. Postea ex adulterinis & reprobatis scriptis, multa tanquam ex traditionibus citari cœperunt: sicut ostendemus in loco de traditionibus. Tertio circa Gregorij tempora cœpit dici, Concilia amplectenda & veneranda esse sicut Euangelia. Quarto, glossa in ca. Nol. distin. 15, inquit: Augustinus loquitur secundum illa tempora, cum adhuc scripta Patrum non erant Authentica: sed hodie omnia iubentur teneri vsq; ad vltimum iota. Quinto, accessit & hæc impudentia, quod Augustini sententiam de doctrina Christiana, lib. 2. ca. 8. turpissime falsare non sunt veriti. Ita enim legunt & interpretantur, dist. 19. ca. In Canonicis: Inter Scripturas Canonicas præponendas esse illas, quas Apostolica sedes (hoc est, Romana) habere, & ab ea alii accipere meruerunt Epistolas. Ibi decretales Romanorū Pontificum non tantum æquantur, sed præponuntur Scripturæ Canonicæ: idq; manifestissimo crimine falsi. Augustinus enim hoc non dicit. Sed quid miramur, cum arrogent sibi illam licentiam, quod possint canonizare libros, qui tempore Apostolorum & primitiua Ecclesiæ tales habiti non fuerunt? Postremò. Quia hæc de Conciliis, Patribus, & Decretis Pontificū, nimis crassa, nostro quidem seculo videri possint, si æquentur Euangelio: aliud iam artificium inuentum est, ut quicquid credit, & obseruat Ecclesia Pontificia, quod nullo Scripturæ testimonio probari potest, dicatur & credatur esse traditio Apostolica. Et hi sunt Pontificiorum loci vere ἀρεχοι, ex quibus nullo negotio, quiduis probare possunt.

Hæc recensui, ut intelligatur, quid Pōtificij querant sua illa confusione: & quam omnino necessarium sit, pro veteri illa librorum Scripturæ distinctione dimicare. Duas autem habent obiectiones, quas specie aliqua, huic quam defendimus sententiæ, opponere possunt. Vna est ex Hieronymo, qui dicit illos libros procedente tempore auctoritatem obrinuisse, & inter sanctas Scripturas computatos. Altera est ex Augustino, qui libros illos vocat Canonicos. Sed de Augustino prius dicemus. Ille enim de doctrina Christiana, lib. 2. ca. 8. recitans, quibus libris Canō Scripturæ contineatur, annumerat etiam illos libros, quos hæcenus diximus esse extra Canonem, seu Apocryphos. Et illā Augustini sententiam sequitur Concilium Carthaginense tertium, &c. Hęc propter Augustini auctoritatem, specie aliqua contra ea quæ hæcenus diximus, prætendi possunt. Sed non est difficilis responsio. Primum enim querere possem. Cū tota antiquitas aliter sentiat, virum recipienda & imitanda potius sit totius antiquitatis, quam vnus Augustini sententia, cū non sit ignotum, quam libertatem lectori Augustinus in suis scriptis concedat: Salua igitur Augusti-

ni honorificentia, & bona ipsius pace fieret, si nollemus ipsius vnus sententiam præferre & plurium & antiquorum constanti iudicio. Sed non vtamur nunc hac responsione. Video enim Augustinum, licet aliis vocabulis vtatur, de re ipsa tamen idem & sentire & loqui, sicut ex testimoniis antiquitatis hæcenus ostendimus. Nam apocrypha scripta Augustinus nō intelligit, vt Hieronymus de Iudith, Tobia, &c. sed simpliciter apocrypha vocat adulterina, falsa & reprobata scripta. Vt de Ciuit. Dei, libro 25. capit. 23. vocat fabulas scripturarum, quæ apocryphæ nominantur, quarum propter multa falsa, nulla est Canonica auctoritas. Et contra Faustum dicit, apocrypha à sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scripta. Augustinus igitur non tres cum Eulebio & Hieronymo, sed duos tantum ordines scriptorum vocabulis apocryphorum & Canonicorum distinguit. 1. vocat apocrypha, hoc est, fabulosa, adulterina & falsa. 2. ea quæ in Ecclesiis legebantur, vno vocabulo vocat Canonica. Quæro autem, num Augustinus affirmet illorum librorum omnium, quos vno vocabulo Canonicos nominat, eandem esse certitudinem, & parem auctoritatem? hic enim est status disputationis. Et inuenio, Augustinum expressis verbis tradere & exponere, hanc distinctionem: quosdam scilicet ex illis libris, ab omnibus accipi Ecclesiis Catholicis: quosdam vero non ab omnibus accipi, sed à quibusdam tantum. Et addit, illas Scripturas, quæ ab omnibus Ecclesiis accipiuntur, præponendas esse eis, quas quædam non accipiunt. Et in his rursus, quæ à pluribus & grauioribus accipiuntur, præponendas esse eis, quæ pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Sicut igitur tota antiquitas, ita etiam Augustinus distinguit libros Biblicos: & quoad auctoritatem & certitudinem, dicit alias aliis præponendas: hoc est, non parem esse omnium auctoritatem & certitudinem, eo quod quædam ab omnibus Ecclesiis accipiantur, quædam non ab omnibus. Et illud est, quod cum tota antiquitate, nos etiam dicimus. Ita libros Machabæorum Augustinus alibi vocat Canonicos. Non autem de appellatione potissimum disputatio est, sed de re ipsa: An scilicet Augustinus, libris Machabæorum parem, imo eandem tribuat auctoritatem, quam habent reliqui libri qui proprie sunt Canonici. Lego autem, quod Augustinus contra Gaudentij Epistolam, libro secundo, capite 23. Raciæ exemplum, inferentis sibi mortem, licet variè torqueat: non tamen vel audet, vel potest, defendere & probare. Et tandem inquit: Hanc quidem Scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Iudæi sicut legem & Prophetas, & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam testibus suis, Luca 24. Sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur vel audiatur.

Hoc certè modo Augustinus de libris vere Canonicis non loquitur. Extat præterea alius locus apud Augustinum: vnde adhuc manifestius colligitur, tempore Augustini, istorum librorum de quibus controuersia est, non fuisse parem auctoritatem, sicut aliorum vere Canonicorum. Nam de prædestinatione sanctorum, libro 1. capite 14. D. Augustinus dicit, se vsu testimonio ex libro Sapientiæ: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Et addit: Quod testimonium à me positum fratres istos ita respuisse dixistis, tanquam non de libro Canonico adhibitum. Quid vero Augu-

Obiectiones Pontificiorum ex Hieronymo & Augustino.

Augustinus? Non defendit librum istum verè esse Canonicum, sed inquit quasi excepta huius libri attestatione, res ipsa non clara sit, quam volumus hinc doceri: & adhibita sententia ex Ezechiele dicit, Hæc est tota causa, cur dictum sit, à quocunque sit dictum: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Item: Quilibet hoc dixerit, quis homo sanæ fidei resistendum putabit? Manifestum ergo est, Augustinum de distinctione librorum sacrorum idem sentire, quod Hieronymus inquit: Legit hæc Ecclesia ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Manifestum ergo est, Augustinum probare, retinere & seruare veterum illam distinctionem, de qua supra diximus, quod scilicet non eadem aut par sit certitudo & auctoritas omnium librorum scripturae, quæ in vulgata Latina editione continentur. Et iam quiuis Lector intelligit, Pontificios falso & nequicquam Augustini auctoritatem obtendere suæ opinioni, qua omnes libros æquant & pares faciunt, quoad certitudinem & auctoritatem. Sed inquis: Quare Augustinus illos libros annumerat cæteris, & vocat Canonicos? Respondeo: Augustinus hoc tantum agit, apocryphos illos libros, quos Hieronymus ita vocat, licet non sint eiusdem certitudinis & auctoritatis, sicut reliqui indubitati scripturae libri: non tamen simpliciter esse abiectos & damnatos, sicut reliqua adulterina & falsa scripta, sed receptos esse in numerum sacrae Scripturae: ea tamen lege & conditione, sicut supra ex Hieronymo & Cypriano dictum est. Illud vero & nos libenter concedimus & docemus.

Altera obiectio est ex Hieronymo, qui inquit: Epistola Iacobi, paulatim procedente tempore, auctoritatem obtinuit. Et de Epistola Iudæ inquit: auctoritatem vetustate iam & usu meruit, & inter sanctas scripturas computatur. Dicit etiam synodum Nicenam, librum Iudith in numero sanctarum Scripturarum computasse. Sed quia de Hieronymi sententia, absque omni ambiguitate constat, facilis est responsio. Est enim Hieronymo discrimen inter hæc duo: Computari inter Scripturas, & recipi inter Scripturas Canonicas. De Iudith enim dicit in Præfatione, quod computetur in numero sanctarum Scripturarum. Sed in Præfatione librorum Salomonis inquit: Iudith, Tobia & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit. Et ipse Hieronymus, quomodo hæc intelligi velit, disertè explicat, cum inquit: Legit hæc Ecclesia ad ædificationem plebis non ad auctoritatem dogmatum Ecclesiasticorum confirmandam. Item illorum auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Manet igitur & iuxta Augustinum & Hieronymum, sententia antiquitatis fixa & firma.

Ita etiam Eusebius, lib. 2. cap. 23. de epistola Iacobi & Iudæ inquit: Attamen scimus & istas cum reliquis, in plurimis Ecclesiis *δημοσιευμένας*, publicè legi, &c. Sed inde non sequitur, Canonicam ipsis tributam fuisse auctoritatem. Nam & de pastore Hermæ, eodem vocabulo vtitur Eusebius, l. 3. ca. 3.

Quod igitur ad rem ipsam attinet, idem sentit & dicit Augustinus de libris Scripturae, quod reliqui ante ipsum veteres Scriptores: nisi quod non iisdem vocabulis, nec eodem modo vtitur. Latius enim accipit vocabulum Canonicorum, quam Hieronymus. Apocrypha etiam aliter intelligit, quam Hieronymus.

Et ex diuisione Eusebij trimembri, quod scilicet quidam libri sunt legitimi, quidam de quibus dubitatum fuit, quidam adulterini & falsi. Augustinus fecit bimembrem diuisionem, quosdam libros esse Canonicos, quosdam apocryphos. Et tamen illos quos vocat canonicos, rursus non obscure distinguit: quosdam scilicet ab omnibus accipi Ecclesiis, quosdam non ab omnibus, quos sobriè vult legi. Quod si Pontificii de rebus ipsis ita sentiant, de verbis aut vocabulis non magnopere pugnaremus. Sed volunt ad confirmationem dogmatum, & ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, eandem & omnino parem esse auctoritatem omnium librorum, qui in vulgata Latina editione Bibliorum habentur. Et hoc est quod impugnamus, quodque cum iudicio totius antiquitatis pugnare dicimus.

Constitutis autem rebus, de verbis quidem, seu vocabulis non temere est pugnandum, vtile tamen est, vocabula habere maximè propria, quæ res ipsas perspicuè & sine ambiguitate significant & explicent. Hieronymus vocat libros Canonicos, qui sunt legitimi & indubitati: de quibus vero dubitatum fuit, vocat Apocryphos. Augustinus vtrosque vno vocabulo appellat Canonicos. Hieronymus apocryphos appellat, tam eos de quibus dubitatum fuit, quam adulterinos & falsos. Ita in prologo Galeato inquit: Vt scire valeamus, quicquid extra, hoc est, inter apocrypha esset ponendum: vt Syrach, Iudith, Tobiam, &c. Et in Præfatione in Euangelistas, inquit: Apocryphorum nœnias, mortuis magis hæreticis, quam Ecclesiasticis viuus canendas. Augustinus vero per Apocrypha tantum intelligit adulterina & falsa.

Variis igitur & diuersis est horum vocabulorum vsus: sed si de proprietate quæritur, facilis est diiudicatio. Ipsa enim appellationis emphasis & proprietatis indicat, libros illos non proprie vocari Canonicos, qui leguntur quidem in Ecclesiis, sed non ad confirmandam ex his fidei auctoritatem: & quorum auctoritas non idonea iudicatur, ad roboranda ea, quæ in contentionem veniunt. Conuenit enim appellatio proprie ad illos libros, qui sunt Canon dogmatum & fidei. *ἀπόκρυφοι* proprie vocantur illi libri, quorum occulta origo non claruit illis, quorum testificatione auctoritas verarum Scripturarum ad nos peruenit: sicut inquit Augustinus de Ciuit. libro decimoquinto, capite vigesimo tertio. Et contra Faustum, libro 11. cap. 2. dicit, vocari apocryphos, qui nulla testificationis luce declarati & prolati sunt. Hæc explicatio appellationis, rectè conuenit ad illos libros, qui in vulgatis editionibus habentur quidem, sed non sunt in Canone, sicut Hieronymus loquitur: propterea quod non satis certis testificationibus constitit, an essent à Prophetis vel Apostolis siue editi, siue comprobati. Ad tertium genus scriptorum, quæ adulterina & falsa sunt, siue hæc, siue alia appellatio accommodetur, non pugno: modo ipsarum rerum distinctio, quæ necessaria est, retineatur & proponatur.

Eusebius habet vocabula valde significantia. Quæ enim Hieronymus appellat Canonica scripta, ea Eusebius vocat *γνήσια, ἐνδιδάχνη, καθολικά, ἀνεμφίλεκτα, ὁμολογούμενα*, hoc est genuina, germana, legitima, testamentaria, Catholica, sine contradictione & dubitatione certa, & ab omnibus confessa.

Libri apocryphi.

Ea vero, quæ leguntur quidem in Ecclesiis, sed tamen non sunt in Canone, sicut Hieronymus inquit, Eusebius vocat ἀμφίλεκτα: de quibus dubitatum fuit, siue quibus contradictum fuit. Vocat etiam non legitima, non testamentaria, &c. Reliqua vero vocat adulterina, absurda, & impia.

DE VERSIONE SEU
TRANSLATIONE SCRIPTU-
RÆ in alias linguas.

SECUNDVM DECRETVM SYNODI
di Tridentina quarta Sessionis.

Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesie Dei, si ex multis Latinis editionibus, qua circumferuntur sacrorum librorum, quam authenticam habenda sit, innotescat, statuit & declarat, et hæc ipsa vetus & vulgata editio, qua longo tot seculorum usu in Ecclesia ipsa probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, aut expositionibus, pro authentica habeatur, & quod eam nemo rescere quouis prætextu audeat vel presumat.

EXAMEN.

In hoc secundo decreto 4. Sessionis de versionibus, seu translationibus sacrorum librorum, duo sunt notanda. 1. Quia tantum de Latinis editionibus disputant: oblique igitur, quod alias aperte faciunt, damnant, si in alias vernaculas & populares linguas Scriptura transferatur. 2. Solum veterem & vulgatam Latinam editionem ita faciunt authenticam, ut nemo eam in prædicationibus, lectionibus, disputationibus aut expositionibus reiicere quouis prætextu audeat, vel præsumat. Hæc sunt examinanda. Et iudicium non est obscurum, si origo versionum consideretur. Deus primum doctrinam cælestem lingua Hebraica patefecit. Ante diluuium enim illa vnica & sola lingua fuit totius generis humani, & illius linguæ literis postea doctrinam suam conscribi curauit: quia Hebræa lingua, matrix est omnium aliarum linguarum, sicut Hieronymus inquit in 13. caput Sophoniae. Et licet facta est postea confusio linguarum, Genes. vndecimo, videtur tamen fuisse primis illis temporibus talis quædam cognatio seu affinitas, quod Abraham in Chaldaea, Ægypto & Chanaan sine interprete loquitur, & alios intelligit. Et Genes. 31. aceruum testimonii aliter Laban patria lingua appellat, aliter Iacob: vterque tamen alterum intelligit. Et filia Laban imponunt filiis nomina Hebraica, cum in ipsa adhuc Syria essent. Ita Genes. 41. Ioseph in Ægypto per interpretem loquitur fratribus: fuisset tamen adhuc magnam cognationem cum lingua Hebraica, ostendit appellatio מַסַּרַם quam Pharaos Ioseph imposuit. Idem etiam ostendit nomen Mosis מֹשֶׁה quod filia Pharaonis ipsi imposuit, addita ratione appellationis. Et amici Iob ex diuersis partibus venientes, Hebraicè cum Iob disputant. Deutero. 28. vbi minatur hostes ex longinquis regionibus venturos, inquit: Cuius linguam intelligere non poteris. Potuerunt igitur tunc propter affinitatem linguarum, ab aliis etiam legi & intelligi, quæ Deus lingua Hebraica tradebat, & conscribi curabat. Neque enim ita Deus Scripturam tradidit, ut tanquam ad folia Sibyllæ nemini, aut per paucis ad eius lectionem aditus pateret. Sed propter hanc

ipsam causam, ut ab aliarum etiam linguarum hominibus legi posset Scriptura, ventum est postea ad versiones siue translationes. Cum enim progressu temporis, affinitas quæ reliquis linguis cum Hebræa hæcenus intercesserat, corrupta esset, ita ut Hebraica non amplius ab aliis intelligerentur: tandem in alias linguas, quæ tunc vsitatae erant, & præ reliquis late patebant, transferri cœpit Scriptura sacra: idque ideo, ut non tantum ab Hebraicè peritis, sed ab aliis etiam hominibus legi & intelligi possent, quæ omnium salutem complectebantur. Ita Daniel & Ezras cœperunt Chaldaico idiotismo quædam conscribere. Postea in linguam Syriacam seu Chaldaicam tota Scriptura veteris Testamenti translata est: illa enim lingua in multis tunc terris & populis latè patebat. Ita cum propter Græcorum Monarchiam, lingua Græca in plerisque terris & populis vsitata & nota esse cœpisset, translata est Scriptura veteris Testamenti in Græcam linguam. Et Christus verbis Scripturæ in Syriaco idiotismo in cruce vsus est. Apostoli etiam Græca translatione veteris Testamenti plerumque vsi sunt. Institutum igitur transferendi sacros libros in alias linguas vernaculas & populares, comprobatum est ab ipso filio Dei, & ab Apostolis. Neque enim vniam aliquam linguam Deus ita dedicauit sacrae Scripturæ, ut neque sit eam transferri in alias vernaculas & populares linguas: vnde ab omnibus legi & intelligi possint, quæ de doctrina cælesti, literis, vel Hebraicis vel Græcis consignari voluit Deus, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Ita Eunuchus Æthiopiæ, Actorum octauo, legit Prophetam Esaiam, non in lingua Hebraica, sed in translatione Græca. Vult ergo Deus sacram Scripturam legi & intelligi, ab aliarum etiam linguarum hominibus, ut quæ illud fieri posset, factæ sunt translationes in illas linguas, quarum vsus tunc latissime patebat non inter doctos tantum, sed alios etiam: qualis erat Syriaca & Græca. Hoc & Augustinus agnoscit, de doctrina Christiana, libro secundo, capite sexto, ita enim inquit: Ex quo factum est, ut etiam Scriptura diuina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subuenitur, ab vna lingua profecta, quæ oportune potuit per orbem terrarum diffeminari, per varias interpretum linguas, longè lateque diffusa, innotesceret Gentibus ad salutem: quam legentes nihil aliud appetunt, quam cognitionem, voluntatemque illorum à quibus conscripta est inuenire, & per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse credimus.

Nouum vero Testamentum, sicut vulgè nunc loquimur, misso Spiritu sancto in die Pentecostes, inchoatum, & quasi dedicatum est diuersarum, & postea omnium Gentium linguis, ad quas salus illa pertinebat. Sicut enim linguarum confusione puritas doctrinæ diuinitus patefactæ, amissa & deprauata fuerat: ita Spiritus sanctus, per diuersitatem linguarum cunctarum, Gentes in vnitatem fidei rursus per Apostolos congregauit. Et quidem ideo dedit donum linguarum, ut doctrina noui Testamenti, non quibusdam tantum populis in vna aut altera lingua, sed omnibus gentibus, quæ sub cælo sunt, tradi & proponi posset illa lingua, quam intelligere possent. Scripturam vero noui Testamenti Deus Græcis literis tradi voluit, propterea quod eius tunc vsus latissime patebat: sicut ex Ciceronis oratione pro Archia colligi

Versionū Scri-
pturæ causa
& vsus.

Hebræa lin-
gua.

Nouum Testa-
mentum Gra-
cè scriptum.

colligi potest. Inquit enim: Si quis minorem putat gloriae fructum ex Graecis verbis percipi, quam ex Latinis, vehementer errat, propterea, quod Graeca leguntur in omnibus fere Gentibus. Latina suis finibus exiguis sane continentur.

Et in Oriente, ubi Graeca lingua diu mansit vernacula & popularis: Patres Graece locuti sunt Ecclesiis, populus in Graeca lingua legit sacram scripturam: sicut Chrysostomus sapissimè laicos hortatur ad lectionem sacrae scripturae, quod facile fieri poterat, quia Graeca lingua, tunc adhuc vernacula & popularis erat.

In Occidente verò, ubi vna cum Imperio Romano, etiam Latinae linguae usus late in populis propagabatur, coepit fieri translationes sacrae Scripturae in linguam Latinam. Et Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. c. 11. inquit: Qui scripturas ex Hebraea lingua in Graecam verterunt linguam, numerari possunt: Latini autem interpretes, nullo modo. Vt enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Graecus, & aliquantulum facultatis sibi met, vtriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari, &c. Ita Augustinus Ecclesiae suae Latine locutus est, & populus Latine legit scripturam, Latine cantauit Psalmos: erant enim Latinae linguae homines.

Factae igitur sunt semper translationes scripturae sacrae in illas linguas, quarum usus popularis erat, & latissime patebat, non inter doctos tantum, verum etiam inter alios.

Postquam igitur iam linguae Latinae usus desit esse vernaculus & popularis, quaestio est. An liceat sacram scripturam transferre ex suis fontibus in illas linguas, quae hoc tempore in nostris regionibus usitatae sunt, & late patent. Hoc institutum Pontificij non tantum damnant, sed ferro & flamma persequuntur, dimicantes tantum pro Latina versione. Sed quid de Barbarica illa tyrannide sentiendum sit, ex his quae diximus, manifestum est: ubi enim Deus patefecit, tantam esse Latinae linguae dignitatem, vt in ea sola legenda sit sacra scriptura? Maior certe esset dignitas Hebraicae & Graecae linguae, in quibus originaliter scripti sunt libri sacri. Quare igitur non contendunt potius, in solis illis linguis legendam esse sacram scripturam? Sed forsitan ideo hoc fit, quia maior ipsorum pars cum Accursio dicit: Graeca sunt, legi non possunt. Certe Deus non vult doctrinam suam tantum Latinis hominibus notam esse. Si ergo mandatum Dei est, doctrinam noui Testamenti omnium linguarum Gentibus tradere & proponere, ita vt intelligere possint: illud profecto fieri non potest, nisi doctrina scripturae, docendo transferatur in illas linguas, quae notae sunt populis, quibus praedicandus est Christus: nisi forsitan statuere velint, Latinae tantum linguae hominibus annunciandum esse Euangelium. Doctrina enim Euangelij ex scriptura praedicanda est. In praedicando autem, non vtendum est lingua, quae ignota est illis, quibus praedicatur, 1. Corinth. 14. Ergo verba & sententiae Scripturae transferendae sunt in linguas, quae notae & usitatae sunt illis, quibus praedicatur. Quid autem interest, siue voce, siue scripto fiat versio, siue translatio? Si enim omnino piaculum est, Scripturam transferre in populares linguas: ergo neque Euangelium ex Scriptura doceri & tradi poterit lingua vulgari.

Sed non memineram, Pontificiorum fidem ex-

tra & praeter Scripturam consistere: possunt igitur docere sine Scripturae translatione in linguas vulgares. Sed ad rem. Cum non abhorreant, quando sententiae quaedam Scripturae docendo transferantur in vulgares linguas: hoc tamen damnant, si tota Scriptura versione scripta ita transferatur. Quare autem hoc? nisi quod volunt hanc sibi licentiam reseruare, vt quicquid libet, & quantum libet, populo proponant: cui incumbat necessitas credendi, sine vlla diiudicatione. Vident autem hanc licentiam non fore integram, si populus ipse Scripturam in lingua vulgari & nota legere possit. Haec est illa Helena, hinc illae lachrymae.

Quod enim praetendunt, maiestatem Scripturae inquinari, si in barbaras linguas transferatur, nugae sunt. Quae enim est Latinae linguae sanctitas? (non loquor iam de elegantia.)

Et certe non violata fuit doctrinae coelestis maiestas, quando in Pentecoste variis barbaris linguis tradita & proposita fuit. Ergo nec versione in quamcunque linguam, quantumuis habeatur barbara, inquinabitur, si versio sit vera & sana. Omnium enim Gentium linguae à Spiritu sancto dedicatae sunt, vt sonent magnalia Dei, Actuum secundo, Romanorum 14. Esaia 66. Ita Hieronymus alicubi testatur, se in linguam Dalmaticam vertisse Scripturam.

Vere igitur Antichristi tyrannis est, homines innocentes tantum propter versiones Scripturae in linguas vulgares, necare. Non loquor autem de versionibus, si quae sunt pravae, & non respondent fontibus.

Alterum caput huius decreti, est de veteri & vulgata Latina editione: quam nos sane simpliciter & in totum nec reiicimus, nec damnamus (debetur enim sua laus, quisquis fuit verus ille interpretis: multa enim sunt non male reddita.) Et vtile est, extare certam aliquam versionem, quae in citationibus allegetur: ita tamen vt vocabulorum emphasis, & sententiae proprietates ex ipsis fontibus iudicetur: ad quos omnino recurrendum est, sicubi minus recte, commode & proprie interpretis reddidisse videtur. Hoc modo nos retinemus & vsurpamus veterum versionem. Et si Tridentini decretores de veteri versione hoc tantum agerent, nulla inter nos esset dissensio. Sed his non contenti, flagitant vt vulgata illa versio, sicut in ipsorum Ecclesia usitata est, pro authentica habeatur in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, aut expositionibus, ita vt eam nemo reiicere quouis praetextu audeat. Sed quid si ea, quae in fontibus sunt siue Hebraicis, siue Graecis, vulgata illa editio non recte, commode & proprie reddidit? Si librorum vel incitiae, vel incuria quaedam sunt mutata, mutilata vel addita, num licebit à veteri editione discedere, & ad fontes recurrere? Num licebit fontes praeferre riuiulis? & si qua in vulgata illa versione male reddita, mutata, mutilata & addita sunt, ita vt à fontibus dissentiant: num licebit ea, si quis odiosius vrgeat, reiicere? Respondent Tridentini Patres: Vulgatam editionem nemo reiicere quouis praetextu audeat, vel praesumat. Hoc verò non est tolerandum in Ecclesia, vt pro iis, quae Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Graecis scripsit, ea quae ab interprete vitiose reddita, vel à librariis mutata, mutilata & addita sunt, tanquam authentica nobis obtrudantur: & quidem ita, vt non liceat inspectis fontibus ea reiicere.

Concilij sententia de veteri translatione Bibliorum.

*De authore
veteris trans-
lationis.*

Græci interpretes, inquit Augustinus, numerari possunt: Latini verò, nullo modo. Si igitur de antiquitate Latinæ versionis contenditur, illa certe, quæ nunc vulgata est, non erit antiquissima: tribuitur enim Hieronymo in libris veteris Testamēti. Et tamen ipse Hieronymus, in Hebraicis quæstionibus multa aliter reddit, & interpretatur, quam nunc legimus in vulgata editione. Extat Hieronymi versio in Psalterio & Ecclesiaste: sed in vulgata editione, longe alia habemus istorum librorum versiones. Quatuor Euangelistas Hieronymus fatetur se collatione Græcorum codicum emendasse, & tamen interpretans Matthæum, quædam reprehendit in vulgata editione, sicut & in Epistolis Pauli. Et quid post Hieronymi tempora, librarium dormitantium incuria, cum studia linguarum sepulta iacerent, vulgatæ editioni accidisse putamus? Certe negari non potest, in vulgata Psalterij editione, in valde multis locis genuinam Psalmorum sententiam nec recte, nec commode, nec proprie reddi, sed sæpe peregrinam sententiam obtrudi. Hoc adeo manifestum est, ut Lindanus etiam illud agnoscat. Nec arbitror Andradium hoc negaturum, qui Hebraicæ linguæ cognitionem, præter rem sæpe ostentat.

In Syracide, quam multæ integræ sententiæ sunt additæ, quæ in Græco plane non sunt: quædam transpositæ sunt, ex aliis in alios locos.

Genes. 9. mutilata est sententia: Qui effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius. Omissum enim est, per hominem.

In Matth. 9. mutilata est pulcherrima sententia: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Ibi omissum est, ad poenitentiam.

Rom. 1. in fine plane mutata est sententia.

1. Ioh. 5. Apostolus ita scripserat: Hæc scribo vobis, qui creditis in nomen Filij Dei, ut sciatis quoniam vitam æternam habetis, & ut credatis in nomine Filij Dei. Vulgata verò editio legit.

Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.

Roma. quarto, ubi Paulus dicit: Abrahamum non ex operibus iustificatum: additum est, operibus legis: ut scilicet de ceremonialibus philosophari possent.

Rom. 11. plane omissa, siue expuncta est illa sententia: Si ex operibus, iam non amplius est gratia, alioquin opus non esset amplius opus.

Quam multa indocti librarij deprauarunt, quæ nunc in templis Pontificiorum pro authenticis sine intellectu leguntur: ut Ioelis 2. Præstabilis super malitia.

1. Ezra 9. pro paxillus: posuerunt, pax illius: pro sepem, spem.

Iud. 11. ex altera matre: fecerunt, adulteram matrem, Psal. 131. ex victu: fecerunt, viduam.

1. Reg. 19. pro cecidit: legunt, cecinit. Item, ex lapidibus sacculi: fecerunt, lapides seculi, &c.

Et quid opus est in re manifesta multis verbis? Extant multa talia loca, iustis scriptis notata à Vala, Stapulensi, Erasmo, &c.

Et tamen tanta est Pontificiæ cōgregationis impudentia, ut non vereantur sine vlla exceptione statuere, vulgatam editionem non esse reiiciendam, ne vllò quidem prætextu: etiamsi scilicet vitiose quædam sint reddita, quædam mutata, mutilata & addita, ita ut cum fontibus non consentiant. Ita scilicet interpretis errata, librarium

*Valla.
Stapulensis.
Erasmus.*

σφάλαρα hominum additiones & mutilationes, pro verbo Dei acceptabimus: nec liberum erit ipsis puris fontibus plus credere, quam cœnosis & lutulentis riuulis.

Augustinus certe de doctrina Christiana lib. 2. c. 11. inquit: Latinæ linguæ homines, duabus alis ad scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Capite duodecimo: Quis interpretum vera secutus sit, nisi exemplaria linguæ præcedentis legantur, incertum est. Capite decimoquinto. Libros noui Testamenti, si quid in Latinis varietatibus titubatur, Græcis credere oportere, non est dubium. Idem Epistola 59. Vocabula secundum Græcum eloquium discernenda sunt. Nam nostri interpretes vix reperiuntur, qui ea diligenter & scienter transferre curauerint.

De sermone Domini in monte, lib. 1. fatetur exemplaribus Græcis maiorem adhibendam esse fidem, quam Latinis.

Contra Faustum, libro vndecimo, capite secundo. Confugiendum est ad exemplaria veriora, vel plurium codicum, vel antiquiorum, vel linguæ præcedentis, vnde hoc in aliam linguam interpretatum est.

De vera religione: Locutio diuinarum scripturarum secundum cuiusq; linguæ proprietatem accipienda est.

Et in decretis dist. 9. citatur hæc Augustini sententia: Ut veterum librorum fides, de Hebræis voluminibus examinanda est: ita nouorum veritas, Græci sermonis normam desiderat.

Hoc modo Apostoli vsurparunt quidem, & allegarunt vulgatam, tunc septuaginta interpretum editionem, quia tunc in omnium manibus erat, non autem authenticam ipsam fecerunt contra ipsos fontes, sed emphasin & proprietatem sententiæ ex ipsis fontibus sumserunt, sicubi interpretes ab illis discesserunt: sicut Hieronymus multis exemplis hoc ostendit. Et hæc est vera & Apostolica ratio vtendi versionibus: quod diligenter notandum est.

Sed Pontificij nec Apostolos, nec Patres, nec sua ipsorum decreta curant, modo statû regni sui quoquo modo retinere & conseruare possint. Ita versionem Erasmi, quam Leo X. approbat, Paulus III. retulit in Catalogum librorum damnatorum. Et dignum est obseruatione, quod in illo Catalogo omnes editiones Bibliorum etiã veteris interpretis, in quibus vel manifestissima quædam vulgatæ editionis errata sunt emendata, damnantur. Et inde manifestum esse potest, quid Tridentini quærant hoc suo decreto.

Non autem nulla est causa, quare tam acriter & pertinaciter eo modo sicut dictum est, pro erratis vulgatæ editionis dimicent. In multis enim locis transformata est ad dogmata Pontificia. Et sicut Albertus Ingolstadiensis Ecebolus dicit: In veteri litera vulgatæ editionis latent multa mysteria fidei, scilicet Pontificiæ: ut intercessio & patrocinium Mariæ probari potest ex illa deprauatione, Genes. 3. ipsa conteret caput serpentis. Quam falsationem Colonienses etiam Iosepho in publica editione asfingere non sunt veriti, abutentes corrupta Rufini interpretatione: cum Iosephus in Græca lingua nihil tale habeat. Et cum Hebræus, Chaldæus,

Græcus,

Apostoli quomodo & si sine Græca translatione.

Papista curit a propugnēt vulgatam versionem.

Græcus, & tota antiquitas hunc textum legat & interpretetur de ipso semine: tam perfricta tamen est frons Thaidis Babylonica, vt amafios eius, huius tam crassa impudentia, ne in clarissima quidem luce pudeat.

Sacrificiū Missæ probant ex eo, quod vetus translatio habet: Melchisedech obtulit panem & vinum: erat enim sacerdos: cum Hebræus, nec verbum oblationis, nec cōiunctionem rationalem ibi habeat.

Peccatum originis possunt extenuare inde, quod vbi Deus dicit: Figmentum cordis est tantum malum: ibi vetus versio habet, cogitatio cordis humani intenta seu prona est ad malum. Inuocationem sanctorum probant inde, quia Iob. 5. vulgata editio habet: Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Et Psal. 150. Laudate Dominum in sanctis.

Dubitationem fidei de remissione peccatorum, possunt probare, quia Syrach 5. textus ita deprauatus est: De peccato propitiato noli esse sine metu. Et Eccles. 9. Nescit homo, vtrum amore vel odio dignus sit.

Quod omnia, quæ in Conciliis suis statuunt, accipienda sint pro oraculis Spiritus sancti, possunt probare ex deprauatione textus in vulgata editione, Ioh. 14. Spiritus sanctus suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Græca verò habent *ἐπιπορεύω*, quæcunque dixi vobis, non dixero.

Perfectionem bonorum operum in hac vita Staphylus probat ex corrupto textu, in veteri editione, Ephes. 6. Vt possitis in omnibus perfecti stare.

Matrimonium probatur esse vnum ex septem Sacramentis: quia vetus interpret Ephes. 5. pro mysterio reddit sacramentum. Vnctionis extremæ efficaciam probatur inde, quod Iaco. 5. vetus editio habet verbum (alleuiare) quod de spectris, incurfioneq; Satanae interpretantur, cum Iacobus habeat verbum *ἐλαττειν*.

Meritum vitæ æternæ probant: quia scilicet Syrach 16. Hebræor. 13. interpret vocabulum meriti, quod in textu non est, posuit, sicut & Genes. 14. inquit, vt veniam merear. Andradius meus probaturus in baptisatis, nec vestigia, nec reliquias vllas manere peccati, citat Hebr. 9. Christus semel oblatu est ad multorum exhaurienda peccata. Et addit: quod exhaustum est, ibi nihil reliqui est: cum non ignoret, tale verbum in Græco nō esse. Gropperus anno 1541. Ratisbonæ probaturus Papisticam satisfactionem institutam esse ab Apostolo Paulo, allegauit quod Erasmus, 2. Corinth. 7. in descriptione pœnitentiæ Corinthiorum *ἑπολογία*, transtulit satisfactionem.

Et quod præcipue Lector notare debet, Tridentinum Concilium, vt probet Ecclesiam habere potestatem dispensandi in Sacramentorum substantialibus, contra institutionem Christi, abutitur æquiocatione veteris versionis, vbi 1. Corinth. 4. ministri Christi vocantur dispensatores mysteriorum Dei. Possunt ergo in Sacramentis dispensare, & vnā speciem in cœna abrogare: sunt enim dispensatores. Bone Deus, quanta est Antichristi impudentia, in tanta luce cognitionis linguarum, de tam graui materia tā pueriliter ludere: cum Paulus tantum *οἰκονόμος*, vocet ministros Christi.

Ecquid verò tibi Lector iam videtur? Non certe frustra Tridentinum Concilium veterem vulgatam Latinam editionem Bibliorum, authenticam facit, eo modo sicut iam dictum est.

DE INTERPRETATIONE SCRIPTURÆ.

SECUNDI DECRETI QUARTAE
Sessionis Concilij Tridentini,
Canon alius.

Praterea ad coercendam perulantiam ingenia, decreuit, & nemo sua prudentia innoxius, in rebus fides & morum, ad adificationem doctrinae Christiana pertinentium, sacrae Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sanctarum Scripturarum, aut etiam contra vniuersum consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiam si huiusmodi interpretationes, nullo vnquam tempore in lucem edenda forent. Qui contrauerint, per ordinarios declarentur, & a vniuersis a iudice statutis puniantur.

EXAMEN.

Hilarij dictum est: Scripturæ non sunt in legendo, sed in intelligendo. Certum igitur est, doctrinam Scripturæ, & salutarem eius vsum, consistere non in verbis non intellectis: sed in vero eius sensu, & sano intellectu, sicut parabola, Mat. 13. inquit: Qui verbum Dei audit & intelligit, & fructum affert, hic in terram bonam seminatus est. Et multi sane in Scriptura loci, sunt planis & perspicuis verbis expositi, qui interpretatione procul petita non indigent, sed seipfos explicant: ad quos, vt Augustini verbis vtar, accessus patet & doctis & indoctis. Et in his, quæ aperte in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moreque viuendi. Sunt verò præterea multæ difficiles & obscuræ sententiæ in Scriptura, quarum sensus non potest à quouis primo statim aspectu deprehendi. Et tamen ne vel frustra in Scriptura essent positæ, vel ansam præberent erroris, Deus voluit in Ecclesia donum extare interpretationis: quod sicut donum sanationum, miraculorum & linguarum non est commune omnibus, sicut inquit Paulus, 1. Corinth. 14. Alij per spiritum datur gratia sanationum, alij operatio virtutum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Et donum illud Deus non vult vel contemni, vel abiici, sed reuerenter vsurpari, tanquam organon & adminiculum, ad inueniendum & intelligendum, verum & sanum Scripturæ sensum: sicut Eunuchus reginae Candaces, Act. 8. inquit. Quomodo possum intelligere, si non aliquis viam præmonstret mihi? Et cum intelligeret diuinitus, sibi oblatum esse Philippum, habentem donum interpretationis, cum gratitudine illum in currum ad se recipit, & de sensu loci Esaiæ, cum ipso confert. Et de hoc genere interpretationis pulchre dictum est ab Augustino, lib. 1. de moribus Ecclesiae: Eo dulcius accipiuntur, postquam per interpretationem aperta sunt, quod clausa difficiliter aperiebantur. Illud verò donum interpretationis, non est extra Ecclesiam in non renatis: est enim lumen Spiritus sancti, accensum in cordibus piorum. Et de non renatis, inquit Paulus, 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ spiritus sunt, stultitia enim sunt ei: spiritualis verò diiudicat omnia. Et 2. Corinth. 4. Si adhuc opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum, in quibus Deus huius seculi excœcauit mentes infidelium. Sed in Ecclesia, filius Dei sedens ad dextram Patris, dat talia dona ad adificationem corporis sui, Ephes. 4.

Scriptura doctrina in quo consistat.

Obscura in Scripturis.

Interpretationis donum.

Est &

Est & hoc certum, neminem debere suæ prudentiæ inniti in scripturæ interpretatione, ne in claris quidem locis. Illud enim manifeste scriptum est, 2. Pet. 1. Scripturam non esse priuatæ interpretationis. Et illi, qui sacram scripturam ad suos sensus, quos antea præsumpserunt, intelligendos contorquent, faciunt hoc in perniciem suam, 2. Pet. 3. Optimus enim scripturæ Lector est, secundum Hilarium, qui dictorum intellectum non attulerit, sed retulerit ex scriptura. Grati etiam & reuerenter utimur Patrum laboribus, qui multa scripturæ loca, commentariis suis vtiliter illustrarunt. Et veteris Ecclesiæ testimoniis, in vero & sano scripturæ sensu, nos non parum confirmari fatemur. Neque enim probamus, si quis sibi cōminiscatur sensum pugnantem cum tota antiquitate, & cuius plane nulla sint Ecclesiæ testimonia.

Patrum scripta.

Et hæc cum ita sint, quid igitur est, quod in Canone Concilij Tridentini, de interpretatione scripturæ desiderari possit? Respondeo. Insidiose sane verbis generalibus positus est ille Canon. Sed quatuor sunt potissimum capita in hoc loco, de quibus inter nos controuertitur: quæ insidiosa generalitate hoc loco inuoluerunt, alibi verò clarissime hæc explicant.

Primò contendunt donum interpretationis, ordinariæ Episcoporum successioni ita alligatum esse, vt quicumque ad thronos illos euehatur, eius qualescunque interpretationes statim suscipiendæ & venerandæ sint, tanquam legitimæ, veræ & sanæ, quæ valeant ex priuilegio loci, quem illi occupat. Ita dicunt, quod Papa habet omnia iura in scrinio pectoris sui: etiam si sit idiota, & tam obliuiosus, vt immemor sit etiam sui. Item, quod habeat voluntatem pro ratione, in his quæ vult: quod possit formam sacramentorum, ab Apostolis traditam immutare: quod contra Epistolas Pauli possit statuere: quod dispensare possit contra prima quatuor Concilia, & contra verba Euangelij, &c. Agnoscet opinor Andræ ipsa Canonistarum verba. Et talis est etiam persuasio Synodi, quod quando ibi congregati sunt omnes Episcopi, sicut in arca Noe animalia munda & immunda congregabatur: quamcunque illi sine probatione tradant interpretationem, eam amplectendam, propterea quod fingunt Cathedris Episcoporum indiuulse alligatum esse donum interpretationis.

Sed hoc falsum est. Paulus enim, 1. Corinth. 12. vbi disputat de dono interpretationis, diserte dicit: Hæc omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Et tota historia veteris Testamenti ostendit Deum sæpe præteritis ordinariis Pontificibus & Sacerdotibus, aliunde & sæpe ex aliis tribubus excitasse Prophetas, interpretes voluntatis suæ. Et quales sint interpretes Episcopi nostri, totus mundus iam videt. Secundò, ex dono interpretationis faciunt autoritatē quasi prætoriam: vt non opus ipsis sit, interpretationem probare monstratis certis & firmis rationibus, & fundamentis interpretationis: sed sine examine, sine inquisitione & diiudicatione, simpliciter volunt nos iurare in illum sensum, quem nobis obtrudunt illi, qui sine ostensione spiritus ius interpretandi sibi arrogant. Atqui Paulus, 1. Thessal. 5. vbi inquit: Spiritum nolite extinguere, Prophetas nolite contemnere. Mox addit: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Ita Actorum 17. cum Paul. interpretaretur scripturas, Berrhoenses prius

Propheta veteris Testamenti.

scrutantur scripturas, an hæc ita se habeant: & cum agnoscunt, interpretationem scripturæ consentaneam esse, approbant & recipiunt eam. Et Actor. 8. Eunuchus interpretationem eleganti verbo *ὁδὸν* describit. Ipse interrogat, Philippus respondet: & hac ratione monstrantur fundamenta veræ interpretationis, ita vt Eunuchus ipse, ex illa quasi manu ductione Philippi cognoscat & intelligat, quæ sit illius loci quem legebat, sententia. Ita 1. Corinth. 14. Paulus describit, quomodo in obscuris locis, pij Doctores veram interpretationem communicatis sententiis inquirere debeant: Prophetæ duo aut tres dieant, & addit: Cæteri diiudicent. Quod si alij sedenti reuelatum fuerit, taceat prior. Augustinus de doctrina Christiana, & alibi cum alios docet, tum ipse vsurpat non prætoriam interpretandi autoritatem: sed ostendit quomodo ex locis manifestioribus interpretandi sint obscuriores: quomodo ex phrasi scripturæ, ex circumstantiis, ex collatione aliorum locorum, & ex analogia fidei, quaerenda sit simplex, sana & vera interpretatio. Et quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus: stultitia enim sunt ei: spiritualis verò diiudicat omnia, 1. Corinth. 2. Opus est ergo Spiritus sancti illuminatione, ad inueniendum & diiudicandum verum scripturæ sensum. Et Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus, Lucæ 11. Ita Paulus optat Ecclesiis spiritum illuminationis. Ephes. 1. & 3. Philippen. 1. Colossen. 1. Ita etiam David orat, Psal. 118.

Augustini exemplum.

In hanc sententiam Origenes inquit, homil. 17. in Exod. Non solum studium nobis adhibendum est ad discendas sacras literas, verum & supplicandum Domino, vt ipse accipiens librum signatum dignetur aperire: ipse enim est, qui aperit mentes, vt intelligantur scripturæ. Et in Iosue homil. 8. Ad explananda ea, gratia Spiritus sancti indigemus.

Hilarius inquit, lib. 4. de Trin. Intelligentia dictorum, ex causis sumenda est dicendi. Et lib. 9. Dictorum intelligentia aut ex præpositis, aut ex consequentibus expectetur. Libro octauo. Fides non ex nostro arbitrio, sed ex dictorum est incunda virtutibus. Basilius de Spiritu sancto, capite primo dicit, interpretem debere sententiam in singulis vocibus ac syllabis latentem perscrutari. Cyrillus in Ioan. libro octauo. Ante omnia, quando locum scripturæ intelligere volumus, tria diligenter consideranda sunt: tempus, quando scriptum est, quod dicitur: persona quæ dicit, vel ad quam, aut de qua dicitur: & res propter quam, & de qua dicitur. Sic enim absque errore sensum poterimus verum inuestigare.

Augustinus de vtilitate credendi, capite 2. tradit quatuor modos interpretationis. 1. Secundum historiam, cum docetur, quid sit scriptum aut gestum. 2. Secundum etymologiam, quid, qua de causa, vel factum, vel dictum sit. 3. Secundum analogiam, cum demonstratur Scripturam sibi non aduersari. 4. Secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram esse accipienda quædam, sed figurate intelligenda.

Item de moribus Ecclesiæ, lib. 1. c. 1. Et diligentia & pietas adhibenda est. Altera fiet, vt scientes inueniamus: altera, vt scire mereamur. Idem de scalis Paradisi, c. 2. Lectio inquit, oratio postulat, meditatio inuenit, contemplatio degustat.

Non igitur prætoriam vel pontificiam est interpretationum autoritas in Ecclesia, sed certæ sunt regulæ,

gulae, secundum quas fieri, & ad quas exigi debent. Habet enim Ecclesia ius & libertatem diiudicandi. Sed Pontificij taleius interpretationū sibi sumunt, vt vna & eadem opera, & se labore probandi eximant, & Ecclesiae diiudicandi libertatem adimant. Et hoc est, quod in isto Canone impugnamus. Veras enim & sanas interpretationes, congruentes ad regulas, quas ex Patribus recitauimus, amamus & exosculamur. Ad Pontificiorum verò interpretationes accommodamus, quod Tertullianus de lege dicit: Lex quae probari se non vult, merito suspecta est. Hilarius inquit, libro quarto, de Trinitate. Non enim diuinorum dictorum, sed intelligentiae nostrae à nobis ratio praestanda est. Et Hieronymus in Apologia de libris contra Iovinianum: Propositum mihi erat, non ad meam voluntatem, Scripturas trahere: sed dicere, quod Scripturas velle intelligebam. Commētatoris enim officium est, non quid ipse velit: sed quid sentiat ille, quem interpretatur, exponere. Alioquin si contraria dixerit, non tam interpretus erit, quā aduersarius eius, quem nititur explanare. Certe vbiunque scripturas non interpretor, sed libere de meo sensu loquor, arguat me cui libet.

Tertio: Quando dictum aliquod scripturae Pontificij ad suas corruptelas transformarunt, solite inquirunt in Patrum scriptis, vt aliquas inde sententias corradant, quomodocunque patrocinatoras suo proposito. Et tales interpretationes veterum quacunque occasione, quocunque modo traditas, contendunt simpliciter sine discrimine & examinatione recipiendas esse, siue verbis scripturae consentiant, siue ab illis dissentiant: cum ipsi Patres Lectorem nolint ita sibi alligatum, vt putent necesse sibi esse, aliquid ideo credere, quoniam à patribus dicitur: sed quia dicta sua, vel per scripturas Canonicas, vel per alias probabiles rationes, quod à veritate non abhorreant, persuadere poterint. Hae enim sunt Augustini verba ad Paulinam Epist. 112. & apud Hieronymum, Epist. 19. Origenes in 2. cap. ad Romanos inquit: Hae de circumcisione ea lege sunt dicta nobis, vt si quis melius & rationabilius dixerit, illa magis, quam haec nostra teneantur.

Hieronym. ad Minerium & Alexandrum: Meum propositum est, antiquos legere, probare singula, retinere quae bona sunt, & à fide Catholicae Ecclesiae non recedere. Idem in praefatione super Oseam: De Origine, Eusebio, Didymo, &c. haec dico, vt noueris quos in Prophetarum huius campo praecursores habuerim: quos & simpliciter non superbe, sicut quidam meorum amicorum insibilat, tuae prudentiae fateor, non in omnibus sum secutus: vt iudex potius operis, quam interpretus existerem, dicere remque quid mihi videretur in singulis. Suas etiam interpretationes Hieronymus non vult pro oraculis haberi, sed subiicit eas Lectoris iudicio, vt in secundo cap. Micheae. Videtur mihi sic posse sensus reddi, si tamen prudens Lector nostrae rationi acquieuerit. Ita in secundo cap. Sophoniae in Esaiam, cap. 19. in Ezechiel. 36. 40. lib. 2. in Zachariam, &c. Et ad Augustinum inquit: Respondeat mihi prudentia tua, quare tu contra tot & tales interpretes in explanatione Psalmorum diuersa senseris. Haec libertas in interpretationibus, omnino in Ecclesia retinenda est, vt cum iudicio legantur quorumcunque interpretationes, & libere exigantur ad fontes & fundamenta. Neque propterea damnanda est

interpretatio aliqua scripturae, quod à veteribus quibusdam dissentiat: si modo verbis scripturae, circumstantiis textus, & analogiae fidei consentanea sit. Quid verò veterum sanis & veris interpretationibus tribuendum sit, supra diximus. Vtimur enim veterum laboribus, cum reuerentia & gratitudine; sed salua libertate Christiana.

Quarto arrogat & hoc ius sibi pontificij, vt in locis scripturae etiam clarissimis, à simplici & genuina sententia, quam propria verborum significatio praebet, libere possint discedere, & aliam assuere tali dictatoria autoritate: vt nobis credendum sit, non quod scriptura simpliciter, proprie & aperte dicit, sed quod ipsi pro imperio & autoritate nobis interpretantur. Hoc enim artificio eludunt locos clarissimos, de fide iustificante, de reliquiis peccati in renatis, de imperfectione bonorum operum in hac vita, de libero arbitrio, de intercessione Christi, &c. Quando Christus dicit: Bibite ex hoc omnes: ipsi affingunt suam interpretationem. Non omnes, sed sacerdotes tantum. Quando Hebraei. 13. Paulus dicit: Honorabile coniugium in omnibus: ipsi dicunt, Non in omnibus, sed in solis laicis tantum, 1. Corinth. 7. Propter vitandam fornicationem, vnusquisque, qui non continet, habeat suam uxorem. Ibi, Vnusquisque, ipsis est signum particulare: nec obstat, quod sententia est manifestissima. Quando Apostolis Christus dicit: Reges dominantur, vos autem non sic. Ibi volunt nos à manifestissima sententia discedere, & nescio quas interpretationes recipere. Paulus vocat doctrinas daemoniorum, quae prohibent nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit, vt sumantur. Sed nihil proficit clarissima illa lux. Contendunt enim verba illa esse intelligenda, non sicut sonant, sed sicut ipsi ea interpretantur. Et vt hunc ludum in scripturae interpretatione porro impune, & quidem cum autoritate ludere possint, ideo Canon iste ita constitutus est. Osius de expresso verbo Dei dicit: Si quis habeat interpretationem Romanae Ecclesiae, de loco aliquo scripturae, etiam si nec sciat, nec intelligat, an aut quomodo cum scripturae verbis conueniat, illum tamen habere ipsissimum verbum Dei. Ita Romanae Ecclesiae interpretatio est: Ecce duo gladij hic, hoc est, Pontifex Romanus habet administrationem vtriusque gladij, & spiritualis, & politici.

Elisaeus aquas amaras, iniecto sale, per miraculum dulces reddidit, hoc est, in Ecclesia debet iam esse aqua exorcisata, & sal benedictum: cuius efficaciam contra Diabolum, & peccata valere, credendum est. Item, Psalmo octauo, Deus omnia subiecit pedibus Christi: hoc est, Pontificis Romani. Pecora campi: hoc est, homines viuentes in hac terra. Pisces maris: hoc est, animas in purgatorio. Volucres caeli: hoc est, animas beatorum, quas per canonisationem Papa potest adorandas proponere. Tales non interpretationes, sed ludificationes extant multo plures in publicis Pontificiorum scriptis. Vtque illis omnibus & similibus, qualiacunque tandem sunt, sua constet, & salua maneat autoritas: ideo Andradius de fide implicita, per tam multas paginas tumultuatur, insidiosae autem declamitat: cum implicitum illud dicatur, quod aliqua in re absconditum latet: fidem igitur implicitam esse, quod credimus omnia, quae in sacris literis continentur, vera esse, licet multa cognitionem nostram fugiant: non omnia enim

Interpretatio
qualis esse
debeat.

Fides implicita.

cuius

cius penetrabilia, in hac vita lustrare & penetrare possum. Ita sancti veteris Testamenti, multa crediderunt implicita, quæ nos in nouo Testamento explicite credimus. Sed heus bone vir, sine aduersario pugnans, de quibus nulla controuersia. Bene enim nouit Andradius, Pontificios quando pro fide implicita pugnant, nõ hoc uelle & agere, de quo ipse tam prolixè rhetoricatur. Sophistica igitur est. Sed hæc est, quam appellauit Babylonicam seruitutem fidei implicitæ, quam Andradius etiam postea diserte propugnat: quod uolunt nobis impositam esse necessitatem credendi, quæcunque Ecclesia Pontificia tenet & proponit, licet nullis uerbi testimoniis probari possint: & quidem ita, ut non opus sit uel cogitare, uel inquirere, uel intelligere, quæ & qualia sint illa, an & ubi in uerbo Dei habeant fundamenta. Erasmus alicubi de disputatione quadam contra Pontificios, fatetur ipsorum sententiam non habere certa & firma Scripturæ testimonia: sed diuersam sententiam ex uerbo Dei melius, clarius & firmiter probari posse. Addit uero: Sed tamen si hoc Ecclesia iusserit, credam. Captiuabo enim intellectum meum, in obsequium Ecclesiæ.

Hoc est Andradi, de quo disputamus: non sicut tu calumniaris, quasi in agrestibus hominibus egregia & solida sacrarum literarum cognitio requiratur: in quibus tamen necessariam esse fateris hanc persuasionem, articulos fidei, qui proponuntur, non esse humana commenta, sed uoces diuinas in uerbo Dei traditas. Atqui cum rudibus proponuntur uerba Decalogi, Symboli, orationis Dominicæ, institutionis Baptismi, & Cœnæ Dominicæ: ibi sunt ipsa uerba Scripturæ: in quibus summam doctrinæ cœlestis contineri, non est dubium. Fides igitur quantumuis rudium, credens hæc, non est Pontificiorum implicita fides: amplectitur enim ipsa uerba & sententiam scripturæ: sed persuasionem fidei implicitæ eò trahere, ut uel prohibeatur, uel doceatur, non opus esse cogitare & querere, an quæ proponuntur, habeant certa, firma & perspicua in uerbo Dei fundamenta: sed simpliciter ex persuasionem autoritatis personarum credere. Hanc persuasionem dixi non esse ueram fidem, sed seruilem opinionem: non ex uerbo Dei, sed ex humana persuasionem cõceptam. Hanc enim seruitutem imponunt non rudibus tantum, sed & uidentibus ne uideant, quærant aut intelligant, ubi in Scriptura fundata sint, quæ proponuntur: sed simpliciter ideo credant, quia Pontifex & Prælati Ecclesiæ ita statuerunt. Hic est status disputationis, de fide implicita. Scimus, non parem esse omnium perspicaciam. Non requiritur solida Scripturæ cognitio in rudioribus. Recte enim dicit Augustinus contra Epistolam fundamenti, c. 4. Cæteram turbam non intelligendi uia acies, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Et tamen ipsorum etiam fidem oportet esse, non sine uerbo Dei. Ideo Augustinus formam catechisandi rudes, talem describit: ut summa doctrinæ cœlestis in Scriptura patefactæ illis proponatur, & ut postea ad ipsam Scripturam deducantur, quisque pro doni sui modulo.

Chrysostomus laicos sepe duriter increpat, quod lectionem scripturæ ad solos Monachos ablegent: ita ut ipsi non uideant, legant & quærant, quomodo ea, quæ in Ecclesia docentur, scripturæ sint cõsentanea. Diserte igitur improbat fidem implicitam, sicut Pontificij de illa disputant. Et omnium Patrum studium fuit, populum non à scriptura ad

fidem implicitam humanæ persuasionis abducere, sed ad scripturæ agnitionem deducere. Ideo enim scripturas populo interpretati sunt, & explicationes suas ex scripturis probarunt. Et aliter quidem hæc proposuerunt catechumenis, aliter neophytis, aliter confirmatoribus, nunquam tamen sine uerbo Dei docuerunt. Imò gradus illos ita distinxerunt, ut ostenderent, homines ad ipsa scripturæ fundamenta magis magisque esse deducendos. Vos uero cum contrarium non tantum faciatis, sed & fieri iubeatis, obiecto spectro fidei uestræ implicitæ: hoc est, quod in uobis reprehendimus & accusamus. Nec est quod speres Andradi, te sophisticis tuis cauillationibus nobis facum facere: nisi forsitan, quod Augustin. inquit, cogitas te per sophisticem grandiori dictionis cothurno incedentem, malam causam, uel moras faciendo posse sustentare.

Miratur Andradius, illos qui donum interpretationis ipsi non habent, posse aut uelle, de interpretationibus iudicare. Et scimus quidem gradus esse, nec eandem esse omnium perspicaciam in Ecclesia. Scimus etiam, non debere quenkum plus sapere quam oportet. Notum tamen est, quid Patres populi iudicio in hominibus suis, quibus scripturas interpretabantur, tribuerint. Interpretis enim est, rationes & fundamenta interpretationis tam liquido & certò monstrare, ut ea intelligere & perspicere possint etiam alij, qui ipsi donum interpretationis non habent. Ita enim Eunuchus agnouit Philippi interpretationem ueram esse, Act. 8.

*Auditorum
iudicia de do-
ctrina.*

DE TRADITIONIBVS.

EX PRIMO DECRETO QVARTAE
Sessionis Concilij Tridentini.

Sacrosancta Tridentina Synodus, perspicuens hanc Veritatem & disciplinam conseruari in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos & que peruenerunt, orthodoxorum Patrum exemplis, quæ omnes libros, tam ueteris, quam noui Testamenti (cum scriptis que uerus Deus sit author) nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam uel ore tenus à Christo, uel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu, & reuerentia suscipi ac conseruari.

EXAMEN.

Hic locus communis Pontificiorum latissime patet, complectens in suo sinu, quicquid tradit & seruat Pontificia Ecclesia, quod scripturæ testimoniis doceri & probari non potest. Et uere est Pandora pixis, cuius operculo omne genus corruptelarum, abusus & superstitionum in Ecclesiam inuectum fuit. Quid enim non libebit fingere, admissio semel hoc postulato, non opus esse documentis & probationibus ex scriptura. Quem errorem refutabimus, si uetustas erroris, & errantium multitudo potest errori patrocinium parere? Hoc si quidem agunt Pontificij, sua de traditionibus disputatione, ut abusus, qui præter & contra scripturæ regulam in Ecclesiam irrepserunt, si modo late pateant, & temporis aliqua præscriptione sint confirmati, titulum habeant non tantum Ecclesiasticæ cõsuetudinis, sed quod plus est, Apostolicarum traditionum. Et uile est lectorem commonefacere, quo-

Quid sibi uelint Pontificij sua de traditionibus disputare.

re, quomodo paulatim mutatus sit status disputationis. In primis enim Pontificiorum contra Lutherum certaminibus, ea, quæ nullis Scripturæ testimoniis probari poterant, ita defendebantur, quod illa quæ Ecclesia statueret, parem haberent vim & auctoritatem, cum iis, quæ ex Scriptura certo constaret diuinitus esse patefacta. Multa igitur extant, tunc disputata de auctoritate Ecclesiæ, de plenitudine potestatis Papæ, de consuetudinibus Ecclesiasticis, &c.

Eccius.

Hi enim sunt loci, quos Eccius in suo Enchiridio, in prima fronte, tanquam in acie contra Lutherum constituit. Postea vero deprehensum est, Locos istos communes, vel non posse sustinere tantam molem structuræ Pontificiæ, vel certe nimis laboriosum esse eos defendere, si firmis ex Scriptura argumentis oppugnentur. Tadem igitur ut magis compendiaria via, inuenta est disputatio de traditionibus Apostolorum non scriptis. Fingunt enim multa, quæ ad fidem moresq; viuendi necessaria sunt, ab Apostolis tradita esse, quæ in scriptura non comprehendantur. Et mox atrox aliud *impia*: Ea, quæ in Ecclesia Romana traduntur & obseruantur, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, esse illa ipsa, quæ ab Apostolis viua voce sunt tradita, & scriptis non comprehensa. Et hoc dicit Andradius esse principium, vltra quod non sit fas in inquisitione progredi. Per talia postulata, sicut Geometrarum appellant, leuari se sentiunt onere & labore probandi. Liberati enim ex Scripturæ angustiis, quas ita vocant, nihil iam est, quod ex capacitate loci de traditionibus depromere non possint. Quod igitur olim fuit scrinium pectoris Pontificij, quia eius turpitudinem etiam cæci iam vident, & ignorantes norunt, hoc nunc est locus communis infinitus & immensus, de traditionibus Apostolorum non scriptis.

Andradius.

Quia vero vocabulum Traditionis, apud veteres non eodem modo vsurpatur, nec eiusdem generis sunt traditiones, quarum mentio fit in scriptis veterum: Pontificij Sophisticè, sine discrimine talia testimonia commiscunt, & ex vna (quod dicitur) fidelia omnes traditiones dealbant, ut prætextu & specie antiquitatis, fucum faciunt: Iudico igitur, totam hanc disputationem de traditionibus, non posse simplicius explicari, nec ad veterum testimonia, quæ à Pontificiis in hac disputatione magno cum apparatu producuntur, commodius responderi posse, quam per distinctionem: Distribuemus itaq; hanc materiam de Traditionibus, in certa quædam capita seu genera, & ostendemus, quæ testimonia veterum, ad quod genus traditionum pertineant, & quid de singulis sentiendum sit.

Status disputationis Pontificiorum de traditionibus.

Ita enim manifestum euadet, illa, quæ speciem aliquam in hac disputatione habent, si recte distinguantur & explicentur: nihil plane patrocinari corruptelis, abusibus & superstitionibus regni Pontificij. Semper autem memoria repetendum est, statum disputationis Pontificiorum de traditionibus hunc esse: Scripturam non omnia quæ ad articulos fidei, & ad dogmata pietatis pertinent, habere, sed multa quæ ad articulos fidei, & ad dogmata pietatis necessaria sunt, suscipienda & credenda esse, sine Scriptura, extra & præter Scripturam, ex traditionibus non scriptis, quæ nullo scripturæ testimonio probari possunt.

PRIMUM GENUS TRADITIONUM.

Primum igitur genus traditionum illud constituemus, quod ea, quæ Christus & Apostoli viua voce tradiderunt, quæ postea ab Euangelistis & Apostolis literis consignata sunt, sæpe vocantur traditiones. Ita Cyprianus dicit: In calice Domini offerendo, vt vino misceatur, Dominica traditio seruetur, neq; aliud fiat à nobis, quam pro nobis Dominus prior fecit. Atqui hæc traditio scripta extat. Et Basilius, li. 3. contra Eunomium inquit: Hoc palam impugnat salutaris baptismatis traditionem: Euntes, inquit, baptisate in nomen, &c. Item, Baptismus nolter est iuxta ipsam Domini traditionem, in nomen Patris, Filij & Spiritus sancti. Illa certe traditio scripta extat.

Cyprianus.

Obseruet autem Lector, quam candidè agant Pontificij. Vbiq; enim inueniunt vocabulum Traditionis, illud mox detorquent ad suas traditiones, quæ ex Scriptura probari non possunt, vt cum Paulus dicit, 1. Corin. 15. Tradidi vobis, quod accepistis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Hic statim exclamant, Audis traditiones? Audio: sed mox in eodem loco lego, Paulum scripto explicare quæ sint illa, quæ tradiderit: Tradidi vobis, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, quod sepultus est, & resurrexit secundum Scripturas. Audis traditiones Pauli, duplici modo esse *εγγράφως*. Primo enim samptæ sunt ex Scriptura veteris Testamenti, secundo ab ipso Paulo literis consignatæ sunt. Et tamen sunt homines, quos non pudet hunc locum torquere ad traditiones, quæ iactantur extra, præter & contra Scripturam. Ita de Cæna Domini Paulus inquit: Ego à Domino accepi, quod & tradidi vobis. Sed illam traditionem, post Euangelistas ipse etiam scripto comprehendit. Iesuitæ allegant dictum Pauli, 2. Thessal. 3. Subducatis vos ab omni fratre, ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Sed mox in illo ipso capite describit, quam intelligat traditionem, sicut insipienti manifestum est. Et tamen inde volunt probare, multa esse credenda, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt. Similis impudentiæ est, quod pro traditionibus non scriptis allegant id, quod Actuum 16. scriptum est: Tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus Ierosolymitanis, cum cap. 15. manifestissime testetur, dogmata illa literis fuisse ab Apostolis consignata.

Candor Pontificiorum.

Ita cum Cyprianus ad Pompeium inquit: Si in aliquo vacillauerit veritas, ad originem Dominicam, & Euangelicam, & Apostolicam traditionem reuertamur: Mox exclamat Lindanus: Auditis saluberrimam non scriptæ traditionis auctoritatem? Sed scelerate præterit, quod in eadem Epistola extat: Vnde est ista traditio, vtrû de Dominica & Euangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis & Epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur, Ios. 1. Si igitur aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis & actibus continetur, obseruetur etiam hæc sancta traditio. Hæc Cyprianus.

Verba Cypriani.

Nec sane iustæ indignationi honesta defutura esset oratio, si hoc Pontificiorum artificium liberet suis coloribus depingere. Sed satis sit, lectori extremas lineas monstrasse.

Basilius in sermone de confessione fidei, ponit talem definitionem: Fides est assensus, non hæ-

Basilius.

fitans de his, quæ audita sunt, in certitudine veritatis, & prædicata sunt per gratiam Dei. Mirum vero quam exulter Lindanus, quod in illa definitione fidei, nulla fiat Scripturæ mentio. Sed mox tertio versu, Basilius subiungit hanc sententiam: Si fidelis est Dominus in omnibus sermonibus suis, manifesta est elapsio à fide, & superbiæ crimen, aut reprobare quid ex his quæ scripta sunt, aut superinducere quid ex non scriptis. Considera quæso, optime lector, quale sit hoc artificium, quo Pontificij vtuntur. Præclarum extat Irenæi testimoniū de Polycarpo, apud Eusebium li. 4. ca. 14. quod perpetuo eadem docuerit, quæ & ab Apostolis acceperat, quæ Ecclesia quoque tanquam sola vera tradidit. Ibidem: Multos hæreticorum ad Ecclesiam Dei conuertit, dum vnam & solam eam veritatem, quam ab Apostolis acceperat, quam etiam Ecclesia tradidit, prædicauit. Axioma extra omnem cōtrouersiam verissimum est, illam solam doctrinam veram esse, quam Apostoli tradiderunt, quam primitiua Ecclesia ab Apostolis accepta professæ est. Sed quæstio est, an doctrina illa, sit alia & diuersa ab ea, quam in scriptura comprehensam habemus: Pōtificij simpliciter distinguunt traditiones, cōtra Scripturam. Et quando Irenæus dicit, Polycarpum ea docuisse, quæ ab Apostolis acceperat, hoc ita interpretatur, quod alia & multo plura ab Apostolis accepta prædicarit, quam quæ in Scriptura cōtinentur. Ita illi. Sed propter multas causas suspecta est nobis ipsorum fides. Alia igitur quærenda sunt testimonia. Nullum autem dubium est, Polycarpum etiam illa, quæ scripta sunt, ab Apostolis accepisse, quomodo igitur simpliciter cōtra Scripturam distinguuntur ea, quæ Polycarpus dicitur ab Apostolis accepisse? Sed audiamus ipsius Irenæi testimoniū, qui apud Eusebium, li. 4. ca. 14. dicit, Epistolam Polycarpi ad Philippenses ita esse scriptam, & ad hoc instructam, vt ex ea fidei character, & veritatis doctrina cognosci possit, ab iis, qui salutis suæ rationem habent. Atqui in illa Epistola quia extat, nulla sit mentio eorum, quæ à Pontificiis pro traditionibus iactantur, sed scribit de incarnatione Christi, de mysterio crucis, quod Christus sit iustitia nostra, qui sustulit peccata nostra, vt viuamus in ipso, de resurrectione, de extremo Iudicio, de fide, spe, caritate, de bonis operibus, de tolerandis infirmis, de oratione, & de aliis, quæ in scriptura expresse continentur. Est igitur character fidei Polycarpi, non extra Scripturam.

Addamus aliud testimoniū, quod adhuc clarius est. Irenæus enim apud Eusebium, lib. 5. ca. 20. recitat, se nō chartis, sed cordi inscripsisse, quomodo Polycarpus narrauerit, se cum Apostolis cōuersatū: quomodo sermones ipsorum cōmemorauerit, & quæ ex illis de Domino, de virtutibus & doctrina eius audierit. De hoc loco Andradius meus sermo triumphat, pro traditionibus extra Scripturam. Sed Irenæus mox addit, quod Polycarpus ea, quæ ab illis, qui ipsi Verbum vitæ viderant, perceperat, annunciauit, πάντα σύμφωνα τῆς γραφῆς, omnia sanctis Scripturis consona. Vere aurea est hæc Irenæi sententia: quæ rectissime declarat, quomodo intelligendæ sint pleraquæ; veterum sententiæ de traditionibus. Apostoli multa tradiderunt viuæ: Apostolici ab Apostolis ex traditione viuæ vocis multa acceperunt, quæ suis postea discipulis rursus tradiderūt. Sed Irenæus inquit, omnia illa fuisse σύμφωνα τῆς γραφῆς, cōsona Scripturis. Et nos eorum nihil

reiciimus, sed omnia quæ Scripturis sanctis cōsentanea sunt, suscipimus & veneramur. Pōtificij vero pro talibus traditionibus pugnant, quæ nullo scripturæ testimonio probari possunt, his enim verbis vtitur Andradius, qui etiā anathema dicit illis, qui perhibent: Nisi de veteri ac nouo Testamento euidenter fuerimus edocti, non sequimur doctrinas patrum atque traditionem Ecclesiæ. Lector ipse instituat antithesin eorum, quæ Polycarpus ab Apostolis accepta tradidit: ea enim Irenæus pronunciat omnia fuisse consona scripturis sanctis: & eorū quæ Pontificij titulo traditionum iactant: de illis enim diserte affirmant, quod nullo scripturæ testimonio probari possint. Imo anathemata dicunt omnibus, qui quærunt σύμφωνα traditionum Pontificiarum, cum veteri ac nouo Testamento.

Primum igitur genus Traditionum est, quod Apostoli tradiderunt doctrinam viuæ voce, sed illa postea in Scriptura literis consignata est. Viri etiam Apostolici multa annunciauerunt ab Apostolis accepta: sed πάντα σύμφωνα τῆς γραφῆς, omnia consentanea Scripturis sanctis. Et hæc certe nihil patrocinantur Pontificiorum traditionibus, quæ nullo scripturæ testimonio, sicut ipsi fatentur, probari possunt. Obseruandum est autem in hoc primo genere, quam fraudulenter Pontificij citent & tractent scripturæ & antiquitatis testimonia, pro stabiliendis & confirmandis commentitiis suis traditionibus.

SECUNDVM GENVS TRADITIONUM.

Secundum genus traditionum est, quod libri Scripturæ sacre non interrupta serie temporum, (sicut Augustinus loquitur) & certa connexionis successione, ab Ecclesia custoditi, & fideliter ad posterum transmissi, nobis que quasi per manus traditi sunt. Ita Origenes dicit, τὸ ἐν παραδόσει, per traditionem didicisse, quod quatuor Euangelia, in vniuersa Ecclesia sint indubitata, Et Eusebius de libris Canonicis disputans, aliquoties vtitur verbis tradendi & accipiendi. Quæ vero sit ratio huius traditionis, hoc est, Ecclesiæ testificantis de germanis & Canonicis Scripturæ libris, supra fuscè explicatum est, cū de libris Canonicis ageremus. Et hanc traditionem, qua nobis in manum dantur sacre Scripturæ libri, reuerenter accipimus: Nihil autem patrocinauit Pontificiis, qui pugnant pro dogmatibus, quæ nullo scripturæ testimonio probari possunt. Ecclesia enim illa traditione fatetur, se alligatam esse ad vocem doctrinæ sonantis in Scriptura, & propagatione illius traditionis, posteritatem etiam ad Scripturam alligatam esse docuit. Et tempore Patrum, illi qui apud Ecclesiam quærebant veritatem, deducebantur ad Scripturas: sicut ex Augustino, de Catechizandis rudibus constat.

Et contra Epistolam Manichæi, capite quinto, narrat Augustinus, quomodo ad fidem Ecclesiæ Catholice perductus fuerit. Dicit enim, se obtemperasse Catholicis laudantibus Euangelium, & dicentibus: Credite Euangelio. Et ibi ponit vulgatam illam sententiam: Ego vero Euangelio non crederem, nisi me Catholice Ecclesiæ commoueret authoritas. Ex Ecclesiæ igitur testificatione commotus fuit, vt legeret Euangelium, & crederet, doctrinam diuinitus patefactam in illo contineri. Num vero postquam Euangelio credidit, pollice-

Irenæus de Polycarpo.

Irenæus.

I. Genus traditionum.

Origenes.

Augustinus.

pollicetur, se plus crediturum Ecclesie, quam Euangelio, si ipsa aliquid statuat vel proponat, quod vel sit contra Euangelium, vel nullo Scripturæ testimonio probari possit? Hoc certe non dicit. Imo alibi dicit anathema illis, qui annunciant præter, quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepimus. Et in illo ipso loco dicit, se quia Euangelio credat, non posse Manichæo credere, propterea, quia ibi nihil legat de Manichæi Apostolatu. Hoc ergo secundum genus traditionum deducit nos ad scripturam, & ad vocem doctrinæ sonantis in ea alligat nos, vsq; adeo non probatur inde Pontificium axioma; multa dogmata fidei suscipienda esse, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt.

Obiectio Pontificiorum.

Sed obiiciunt Pontificij: Si hanc Ecclesie traditionem, testificantem de libris Scripturæ sacræ accipitis, quo iure reliquas traditiones, de quibus Pontificia Ecclesia testificatur, quod sine scripto ab Apostolis sint tradita, reiicietis? Ecclesie enim testimonium, sicut Andræus inquit, aut vbiq; contemnendum, aut vbiq; certe amplectendū est. Respondeo. Immensa est differentia inter primitiuam Ecclesiam, quæ fuit tempore Apostolorum & Apostolicorum testificantem, de libris Scripturæ sacræ, & inter Pontificiam Ecclesiam, obtrudentem nobis sine probatione pro traditionibus Apostolorum sua commenta.

Patres, vbi hanc traditionem de libris Scripturæ describunt, probant illam ex testificationibus primitiuæ Ecclesie. Si idem eadem certitudinis ratione, de aliis etiam traditionibus, quarum alicubi mentionem habet, fecerint: valeat sane hoc, vt eodem etiam iure recipiantur. Affirmant autem ea, quæ ab Apostolis tradita fuerunt, omnia fuisse consona sacris Scripturis, sicut iam diximus ex Irenæo, & mox pluribus ostendemus. Habemus igitur ex ipsa Patrum traditione, vnde diiudicandum sit, quæ sint veræ Apostolicæ traditiones, sicut Hieronymus inquit in primum caput Aggæi: Gladius Dei, qui est sermo Dei viuus, percutit illa, quæ absque autoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica homines sponte reperiunt & confingunt. Ecclesie igitur traditio, libros scripturæ sacræ ita nobis commendat: vt moneat reliqua omnia ad illam esse exigenda (sicut testimonia in præcedentibus allegata ostendunt) & quæ illi sunt consona, recipienda, quæ verò non sunt consona, licet quasi traditio Apostolica proponantur, percutienda esse gladio verbi Dei. Et hæc est simplex & vera solutio superioris illius obiectiois, & reiicere eam Pontificij non possunt, alias enim eodem iure cogerentur, & ipsi etiam Phariseorum traditiones, & totam Thalmudistarum Cabalam recipere. Iudæos enim Augustinus scite vocat nostros librarios & scriuarios, vt qui custodes fuerunt librorum veteris Testamenti, circumferentes adhuc illam custodiam in ipso exilio.

Quærent sane *χριστιανων* Pontificij, Ecclesiam accepisse libros veteris Testamenti, ex traditione non Phariseorum, sed Prophetarum, Christi & Apostolorum. Sed quia series temporum non interrupta, iuxta Augustinum, ad hanc rem requiritur, non possunt Pharisei, ab illa testificatione de libris veteris Testamenti excludi. Quare igitur Christus & Apostoli, qui traditionem de libris veteris Testamenti recipiebant, non eodem etiam iure reliquas traditiones seniorum recipiebant, cum quidē hunc præferrent titulū: Dictum est antiquis? Quo

iure ipsi Pontificij repudiant Thalmudicas traditiones, cum de libris veteris Testamenti, traditionem Iudæorum recipiāt? Si dixerint, Iudæos cōfingisse Cabalam Thalmudicam: ipsi hoc fortiter negabunt: allegant enim primos autores Patriarchas, Moysen & Prophetas. Quare igitur huic ipsorum testificationi, nec vos Pontificij creditis, cum tamē de libris veteris Testamenti, testificationem ipsorum vtiq; nō repudiemus? Nos simpliciter respondemus: Quia ex libris Propheticis, de quibus Iudæi testificantur, discimus literis cōsignatum esse, quantum de doctrina Patriarcharum, Moysi & Prophetarum, & satis est, & opus est. Ideo reliquas traditiones omnes, ad ea, quæ scripta sunt examinamus, & huic testificationi contrariam traditionem Iudæorum, multa tradentium extra, præter & contra Scripturam non recipimus, sed iure optimo repudiamus, id enim ex ipsis libris, quos Iudæi sua testificatione nobis commendant, discimus. Si quam aliam responsionem habent Pontificij proferant, & eandem nos opponere poterimus ipsorum obiectiois, quare cum traditionem Ecclesie de libris Canonicis recipiamus, non similiter etiam reliqua omnia, quæ titulo traditionum nobis à Pontificia Ecclesia obtruduntur, recipiamus.

TERTIVM GENVS traditionum.

Tertium genus traditionum, constituimus illud, de quo loquuntur Irenæus lib. 3. & Tertullianus de præscriptione aduersus hæreticos, magnificis enim encomiis vterque celebrant traditionem Apostolicam. Irenæus libr. 3. capite 3. inquit: Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus: qui vera velint audire. Et capite 4. Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium diuites, plenissime in ea contulerint omnia, quæ sint veritatis, vt omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hic est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & latrones. Propter quod oportet quidem deuitare illos, quæ autem sunt Ecclesie, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid autem, si neq; Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis: nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebāt Ecclesias? cui ordinationi assentiuntur multæ Gentes barbarorum, sine caractere & atramento, scripta habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Apostolorum traditionem diligenter custodientes.

Tertullianus de Præscript. Hanc igitur dirigemus præscriptionē: Si Christus Apostolos misit ad prædicandū, alios non esse recipiendos prædicatores, quā quos Christus instituit. Quid autē prædicauerint, hoc est, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribā, nō aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli cōdiderunt, ipsi eis prædicādo, tam viua voce, quam per Epistolas. Postea, Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine ducio tenentem, quod Ecclesie ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit, reliquam verò omnem doctrinam de

Tertullianus

mendacio præiudicandâ, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.

Hæc magnifica traditionum encomia, videntur omnino multum patrocinari Pontificiis contra Scripturam. Nam & excerptam illam Tertulliani sententiam, quasi in Triumpho in omnibus suis libris ducunt, quæ sic habet: Non ergo ad Scripturas prouocandum, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta est victoria.

Sed simplex veritas firmiter fundata, & sibi bene conscia nec reformidat, nec subterfugit vera antiquitatis Testimonia. Manifeste enim ostendimus, hæc Irenæi & Tertulliani disputationes non infringere, sed confirmare nostram de sacra Scriptura sententiam, si sententiæ non truncatæ inspiciantur, sed tota series disputationis consideretur. Sicut enim Iurisconsulti dicunt, iniuile esse, lege non tota perspecta, ex aliqua ipsius particula pronuciare: ita Hilarius recte monet, in nostris disputationibus intelligentiam dictorum ex causis dicendi sumendâ esse. Ordiamur itaque ab illa questione, quæ est status disputationis Pontificiæ, de traditionibus, & quarum, an Irenæi & Tertulliani disputatio instituta fuerit de recipiendis dogmatibus quibusdam fidei, quæ nullo Scripturæ testimonio probari poterint, sed quæ voluerint credi sine Scriptura, extra & præter Scripturam, ex sola traditione, cuius nulla extiterint in Scriptura testimonia. Res autem non est obscura. Vterque enim, & Irenæus & Tertullianus, expresse narrant, de quibus dogmatibus fidei instituta fuerit illa disputatio, recitant enim ad verbum ferme illos articulos fidei, quos hodie Symbolum, quod Apostolicum nominatur, complectitur. Nunc vero articuli illi fidei non possunt ex Scriptura probari, ostendit & confirmari? Num contrarij hæreticorum errores, de his articulis non possunt ex Scriptura impugnari & refutari? Certe manifestissimum est, summam totius Scripturæ in hisce potissimum consistere articulis. Et Irenæus in 3. 4. & 5. libris, nihil aliud agit, quam quod ex Scriptura prolixè probat & confirmat articulos istos fidei, & ex Scripturæ testimoniis sumit refutationes corruptelarum pugnantium cum illis articulis.

Hoc igitur quod manifestissimum est, & negari nullo modo potest, primo diligenter obseruetur in hac disputatione, non fuisse scilicet controuersiam de dogmatibus fidei, quorum vel probatio, vel contrariorum refutatio ex Scripturæ testimoniis non poterint peti & sumi. Sunt enim illi articuli, in quibus quasi summa totius Scripturæ consistit. Et hoc ideo obseruetur, agnoscat enim Lector, quo artificio has Irenæi & Tertulliani disputationes Pontificij detorqueant ad suas traditiones, de quibus ipsi fatentur, quod nullo Scripturæ testimonio probari possint.

Quæ vero causa fuit cum articuli illi fidei habent in Scriptura multa, certa, firma & perspicua testimonia, quod Irenæus & Tertullianus prouocant ad traditiones, quas Ecclesiæ Apostolicæ ab Apostolis acceptas, tunc tenebant & obseruabant? Causam illam non opus est per coniecturas diuinare. Vterque enim manifeste illam exponit. Nunc vero hæc fuit causa, quod ex Scriptura non potuerunt satis euidetia & firma de illis fidei articulis proferre testimonia, aut hæreticorum fabulas inde refutare? Nequaquam, ipsi enim hæretici non poterant negare, illam Ecclesiæ fidem habere in Scripturis fundamenta & testimonia, & sua figmenta à Scripturis argui & refutari. Ideo enim Scripturas vel reicie-

bant, vel deprauabant, vel conquerebantur insufficientes esse. Ita enim Irenæus inquit, li. 3. c. 2. Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex autoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem, non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem. Tertullianus ita inquit: Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas, & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus, ad dispositionem instituti sui interuertit, & si recipit, non recipit integras, &c. Item, Dicunt Apostolos non voluisse omnia omnibus reuelare, quædam palam & vniuersis, quædam secreto, & paucis demandasse, & hoc Paulum vocare depositum. Agnoscit lector, hæreticos cum viderent, se ex Scripturis perspicue & firmiter refutari, mouisse certamen de autoritate ipsarum Scripturarum, 1. Quod non recte haberent, & ideo non essent recipiendæ. 2. Quod varie essent dictæ, ut non possit inde colligi certa & firma sententia. 3. Non omnes Scripturas recipiebant, sed quasdam tantum, & tamen illas etiam non integras, sed multa addebant, multa etiam detrahebant. 4. Criminabantur ex Scripturis solis non posse inueniri veritatē, nisi addantur, & adhibeantur traditiones, quæ non per literas, sed per viuam vocem ab Apostolis traditæ essent. 5. Fingebant Apostolos quædam palam & vniuersis, ut quæ scriptis diuulgauerunt, quædam vero secreto & paucis demandasse, ex quibus sua probabant figmenta. Et quia hæc eiuſdem sint autoritatis cum illis, ideo Scripturas exponendas & corrigendas secundum secretas & tacitas traditiones, quæ non per literas, sed viua voce traditæ sint. Hæc ita recitantur ab Irenæo & Tertulliano, ex quibus manifestum euadit, propter quam causam, & in quem finem Patres illi prouocarint ad traditiones. Quia enim quasdam Scripturas non recipiebant, aut non recipiebant integras, & criminabantur eas vel non recte habere, vel varias esse dictas, vel esse insufficientes, ut illis solis non possit inueniri veritas, ideo Tertullianus dicit, non esse prouocandum ad Scripturas, nec in illis certamen constituendum, in quibus aut nulla, aut incerta sit victoria contra tales scilicet hæreticos. Num vero ceteros, articulos illos fidei, de quibus tunc erat certamen, non posse ex scripturis contra hæreticos defendi, nec corruptelas hæreticorum inde refutari? Certe Irenæus prolixè hoc facit, & per se hoc manifestissimum est. Sed de illis hæreticis, qui autoritatem Scripturarum in dubium vocabant, & traditiones opponebant Scripturæ, quæque alias proferebant Scripturas, adiectionibus & detractionibus interuersas, quas veras & germanas esse asseuerabant, de illis, inquam, hæreticis Tertullianus hoc dicit. Et addit rationem, prius probandum esse, apud quos sit veritas scripturarum, quam ad ipsas Scripturas prouocaretur. Hanc esse Tertulliani mentem, manifestissimum est. Scelerate igitur faciunt Pontificij, qui à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter Tertulliani sententiam torquent, quasi omnino in controuersis de religione, non sit prouocandum ad Scripturas, & quasi in disputationibus de dogmatibus fidei, in Scripturis aut nulla, aut omnino incerta sit victoria. Hoc enim falsissimum esse ex omnium Patrum consensu, supra probatum est, & Tertullianus nunquam hoc sensit.

Quia igitur hæretici traditiones opponebant Scripturis,

*Cur Irenæus
& Tertullianus
prouocant
ad tradi-
tiones.*

Scripturis, ita vt ex traditionibus conarentur ostendere. 1. Scripturas quas Ecclesia pro Canonicis receperat, non esse veras, & per omnia recipiendas. 2. propter varietatem, hoc est, ambiguitatem, seu incertitudinem & obscuritatem, non posse ex Scriptura intelligi veritatem. 3. ex solis Scripturis non posse intelligi veritatem, nisi adhibeantur etiam traditiones, quæ non per literas, sed per viam vocem traditæ sint: præter illa enim, quæ Apostoli palam & vniuersis tradiderunt, quæ postea in literis retulerunt, alia quædam secreto, & paucis demandasse. Irenæus igitur & Tertullianus prouocant hæreticos ad traditionem. Et quia vtrunque iactabantur traditiones, quæstionem illam disputant, quæ sit vera Apostolorum traditio. Probant autem illam vnam & solam esse veritatem, quam Christus à Deo accepit, & tradidit Apostolis, quam Apostoli rursus tradiderunt Ecclesiis, & quæ in Ecclesiis per successiones presbyterorum custodita fuit. Et quia tunc temporis in illis præcipue Ecclesiis, quæ ab Apostolis fundatæ fuerant, vigeat veritas disciplinæ Apostolicæ, & fidei Christianæ, ita vt tradicem religionis adhuc sincerum obtinerent & conseruarent: inuicissimum sane fuit, ordinem & consensum Ecclesiarum in doctrina considerare. Et recte tunc dixit Irenæus, Etiam si nulla relicta fuisset ab Apostolis Scriptura, ex illa tamen traditione, quam Ecclesia ab Apostolis acceptam, ad illa vsque tempora sinceram conseruaret, potuisse cognosci, quæ esset vera doctrina Apostolica. Num vero idem valebit in Ecclesia Pontificia, ita vt quicquid illa tenet & seruat, hoc solo nomine iudicetur Apostolicum, licet nullo Scripturæ testimonio probare possint? Fortiter hoc contendunt patroni Pontificis Romani, sed nos dicimus, & ipsa euidentia probat, inter primitiuam Apostolicam Ecclesiam, & inter regnum Pontificium, maiorem esse distantiam, quam sit inter cælum & terram. Probare igitur prius ipsos necesse est, Ecclesiam suam esse Apostolicam, quam hoc priuilegium sibi arrogent.

Sed pergamus in inquisitione: hoc enim obseruandum est, quid ex traditione, quæ tunc in omnibus Apostolicis Ecclesiis, vna & eadem erat, ad quæ prouocabant, probarint Irenæus & Tertullianus. Certum est autem, Pontificiorum etiam, vt arbitrator cõfessione, quod ex traditione nõ protulerint doctrinam aliquam pugnantem cū Scriptura, hoc enim nomine traditiones, quas heretici iactabant, damnabant. Illa igitur erit quæstio, An diuersam & aliam doctrinam, quam quæ in Scriptura tradita erat, Irenæus & Tertullianus ex traditione protulerint & probarint, hoc est, An disputarint & ostenderint, Ecclesiam tunc ex traditione habuisse multa dogmata & mysteria fidei, quæ nullo Scripturæ testimonio probari potuerint. Hunc enim esse statum controuersie inter nos & Pontificios, aliquoties iam diximus.

Recitant autem vterque, quid sit illud, quod ex traditione probant: & sunt illi ipsi articuli fidei, quos Symbolum Apostolicum complectitur. Illos autem in Scriptura multis manifestis testimoniis tradi, nullum est dubium. Nõ igitur aliquod aliud dogma fidei ex traditione proferunt & probant, præter illa, quæ in Scriptura continentur: sed eadē, & illa ipsa dogmata, quæ in Scriptura comprehenduntur, ostendunt & probant etiam ex traditione. Causas vero propter quas ad traditionem prouo-

carint, cum in Scriptura haberent multa firmissima testimonia, vt supra recensuimus, vt scilicet ostenderent consensum veræ traditionis Apostolicæ cum Scriptura.

Ita ergo ex traditionibus probant veritatem, auctoritatem & sufficientiam Scripturæ: quia scilicet eadem omnino sint dogmata fidei, quæ Scriptura continet, & quæ primitiua Ecclesia, ex Apostolorum traditione accepta, vsque ad illa tēpora sincera custodierat. Nam ne apex quidem in tota illa Irenæi & Tertulliani disputatione ostendi potest de villo dogmate, quod ex sola traditione ita producant, vt nullo Scripturæ testimonio probari possit.

Et hæc quia fortissime infringunt & euertunt Pontificiorum fabulationes de insufficientia Scripturæ, & de illis traditionibus, quas nullo Scripturæ testimonio probare possunt, attente sunt consideranda. Simpliciter autem exposui statum disputationis apud Irenæum & Tertullianum, & non video, si integra disputatio consideretur, quomodo alia inde possit erui sententia, quam quod ostendat consensum traditionis Apostolicæ cum Scriptura, ita vt eadem sit doctrina, quam Scriptura tradit, & quam primitiua Ecclesia ex Apostolorum traditione acceperat. Et hanc sententiam ipsi auctores verbis nõ obscuris ostendunt. Irenæus enim, idem quod ex traditione ostenderat, postea prolixè probat ex Scriptura. Et in ingressu illius disputationis, cap. 1. inquit: Apostoli tunc quidem Euangelium præconiauerunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Et capite tertio, hunc patrem Domini nostri Iesu Christi, ab Ecclesiis annunciari ex ipsa Scriptura, qui velint discere possunt, & Apostolicam Ecclesie traditionem intelligere.

Et lib. 4. capite 63. inquit: Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesie status in vniuerso mūdo, & caractere corporis Christi, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eadē, quæ in vnoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neque ablationem recipiens lectio, sine falsatione, & secundum scripturas expositio legitima & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia, & præcipuum dilectionis munus, &c. Audis antiquum Ecclesie statum, & doctrinam Apostolicam, per successiones Episcoporum peruenisse vsque ad Irenæi tempora, & sine fictione custoditam fuisse. Sed quomodo? Tractatione, inquit, scripturarum plenissima, & expositione secundum scripturas legitimam. Non dicit de dogmatibus fidei, quæ nullo scripturæ testimonio probari possunt.

Pontificij semper in ore habent antiquum Ecclesie statum, & traditiones per manus traditas: sed illustre est hoc Irenæi testimonium de vere antiquo Apostolicæ Ecclesie statu, & quomodo traditio Apostolica sine fictione custodita fuerit.

Ita Tertullianus de Præscript. Sed & hæretici de scripturis agunt, & de scripturis suadent. Aliunde scilicet, inquit, loqui possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei. Item, Credunt sine scripturis, vt credant aduersus scripturas. Et postea respondens ad illud, quod hæretici fingebant: Apostolos præter illa quæ palam, & vniuersis tradebant, quædam etiam alia, secreto & paucis demandasse, & hoc Paulum vocare depositum, ita inquit

Tertullianus: Quod hoc depositum est tam tacitū, ut alterius doctrinæ deputetur? an illius denunciationis, de qua ait: Hanc denunciationem commendo apud te Timothe. Item, illius præcepti, de quo ait: Denuncio tibi, ut custodias præceptum. Quod autem præceptum, quæ denūciatio, ex supra & infra scriptis intelligitur, non nescio quid sub ostendi hoc dicto, de remotiori doctrina. Item: Nam & cum dicit (hæc) de eis dicit, de quibus in præsentis scribebat: de occultis autem ut de absentibus apud conscientiam non (hæc) sed (illa) dixisset.

Pagin. 109. Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipse adhuc Cathedræ Apostolorum præsidetur, apud quas ipse adhuc authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, representantes faciem vniuscuiusque. Item, habes Romam, & inde nobis quoque autoritas præsto est: Videamus quid didicerit, quid docuerit. Vnum Deum nouit creatorem vniuersitatis, & Christū Iesum ex virgine Maria, filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem. Legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde petat fidem eam. Et mox de hæreticis inquit: Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quæ docerent hæresin. Et sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ, sine corruptela instrumentorum eius, ita & nobis integritas doctrinæ non competiisset, sine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur. Consideret lector, quomodo Tertullianus in hac sententia de Scriptura loquatur. Et paucis interiectis, de Scripturis ita inquit: Quod sumus, hoc sunt, ab initio ex illis sumus. Vides lector, qualem instituat collationem seu *συμψύχην* Scripturarum, & primitiuæ Ecclesiæ, tenentis sinceram traditionem Apostolicam. Quod nos inquit (scilicet tenentes traditionem Apostolicam) sumus, hoc sunt Scripturæ, & quidem ex ipsis nos sumus. Sunt igitur (ut ita dicam) duo æquivalentia seu termini conuertibiles: antiquus Ecclesiæ status, tenens veram Apostolicam traditionem, & doctrinæ Scripturæ sacræ.

Hæc prolixius aliquanto tractavi, primo ideo, quia truncata illæ sententiæ, quæ ex Irenæo & Tertulliano citantur, possunt Lectorem perturbare, nisi tota illorum disputatio consideranda proponatur. Secundo, quia ex illa Irenæi & Tertulliani disputatione, firmissime munitur & comprobatur nostra sententia de autoritate, perfectione & sufficientia Scripturæ, & simul refutantur Pontificiorum traditiones, quas ipsi fatentur, se nullo Scripturæ testimonio probare posse. Ostendimus enim, Irenæum & Tertullianum probare consensum traditionis Apostolicæ & Scripturæ, ita ut traditio non opponatur Scripturæ, tanquam vel falsæ, vel ambiguae, vel imperfectæ, hoc enim hæreticos contempsisse, Irenæus ostendit, ca. 2. Sed ex traditione probatur & confirmatur veritas, autoritas, certitudo, perfectio & sufficientia Scripturæ, ita ut antiquus Ecclesiæ status & vera traditio Apostolorum, custodiatur tractatione & expositione Scripturarum. Quando igitur proponuntur traditiones, quæ cum scriptura non consentiunt, & ex scriptura ostendi & probari non possunt: certissimum est, eas non esse Apostolicas. Hoc fundamentum firmum & perspicuum est, quod cauillationibus sophisticis impeti quidem & exagitari, non tamen labefactari aut

everti poterit. Ideo Lectori hæc Irenæi & Tertulliani disputationem diligenter commendo. Quod igitur de doctrina Christi, & Apostolorum Tertullianus dicit, hoc nos rectissime ad Scripturam accommodamus: sunt enim termini (sicut dictum est) conuertibiles. Est autem hæc Tertulliani sententia: Cum credimus, nihil desideramus ultra credere, hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus, &c. Hæc de dogmatibus dicit Tertullianus, de ritibus vero paulo post dicemus.

Et ad confirmationem eorum, quæ hæcenus diximus, multum faciunt illa etiam, quæ supra ex Eusebij lib. 5. cap. 20. de Irenæi testimonio super traditionibus Polycarpi annotauimus: quod scilicet Polycarpus commemorauerit discipulis suis, quæ ab Apostolis tanquam viuis testibus acceperat de Domino, de virtutibus, de doctrina eius. Sed quid? Nū alia fuerunt, quam quæ in scriptura tradita sunt? Num tradidit Polycarpus dogmata quædam, ut ab Apostolis tradita & accepta, quæ nullo scripturæ testimonio probari possunt? Nequaquam, inquit Irenæus, sed tradidit *παντα σύμφωνα τῆς γραφῆς*, omnia consona scripturis sacris. Tales igitur fuerunt, sunt, & debent esse omnes traditiones, quæ tanquam Apostolicæ proferuntur. Et semper examinandæ sunt, an habeant illam Irenæi *συμψύχην* cū scriptura sacra. Si igitur vero & pio studio quæritur, quæ sit vere antiqua & Apostolica traditio, non opus est excogitare fabulas de purgatorio, de aqua benedicta, & similibus. Irenæus enim & Tertullianus, in illa, de qua iam multa diximus disputatione, non in genere tantum loquuntur, sed quæ sit Apostolica traditio in specie liquido expressis verbis ostendunt, describunt & recitant.

Antiquissima enim Symbola, completentia summam doctrinæ & traditionis Apostolicæ, tribus in locis extant apud Irenæum & Tertullianum, quæ adscribam. Ostendent enim vnde sumptum sit Symbolum, quod vulgo vocatur Apostolicum. Irenæus enim, li. 3. ca. 4. dicit, Barbaras quasdam Gentes, sine caractere & atramento veterem traditionem diligenter custodire: credentes in vnum Deum, fabricatorem cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christum Iesum Dei Filium, qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, & passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus in gloria venturus, Saluator eorum, qui saluantur, & iudex eorum, qui iudicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemptores patris sui & aduentus eius, &c. Quibus Barbaris, si quis annunciauit, quæ ab hæreticis adinuenta sunt, statim concludentes aures, longo longius fugient. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, non admittunt hæreticorum portenta eloquia, &c.

Hæc est vera & vetus Apostolorum traditio: quæ nihil tradit extra & præter scripturam, sed completitur summam totius scripturæ.

Et libro primo, capite secundo, Irenæus similiter exponit prædicationem Apostolicam: Ecclesia, inquit, per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: & in vnum Iesum Christum

sum Filium Dei incarnatum pro nostra salute: & in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædica-
uit dispositiones Dei, & Aduentum, & eam, quæ est
ex virgine generationem, & passionem, & resurre-
ctionem à mortuis, & in carne in cælos ascensio-
nem dilecti Iesu Christi, Domini nostri, & de cælis
in gloria patris aduentum eius, vt Christo Iesu Do-
mino nostro, & Deo & Saluatori & Regi, secundum
placitum patris inuisibilis, omne genu curuetur,
cælestium, terrestriū & infernorum, & omnis lin-
gua confiteatur ei, & iudicium iustum in omnibus
faciat: spiritualia quidem nequitia, & Angelos trās-
gressores & apostatas factos, & impios, & iniustos,
& iniquos, & blasphemos homines in æternum
ignem mittat, iustis autem & æquis, & præcepta eius
seruantibus, & in dilectione eius perseverantibus,
quibusdam quidem ab initio, quibusdam verò ex
pœnitentia vitam donans, in corruptelâ loco mu-
neris conferat, & claritatem æternam circumdet.
Hanc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem
Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disse-
minata, diligenter custodit, quasi vnam domum in-
habitans, & similiter credit iis, quasi vnam animam
habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat,
& docet, & tradit, quasi vnū possidens os. Nam etsi
in mundo loquele dissimiles sunt, sed tamen virtus
traditionis vna & eadem est. Et neq; hæ, quæ in Ger-
mania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut ali-
ter tradunt, neq; hæ, quæ in Hiberis sunt, neq; hæ,
quæ in Celtis, neq; hæ, quæ in Oriente, neq; quæ
in Ægypto, neq; hæ, quæ in Lybia, neq; hæ, quæ in
medio mundi sunt constitutæ. Sed sicut Sol in vni-
uerso mundo vnus & idem est, sic & lumen prædi-
catio veritatis vbiq; lucet, & illuminat omnes ho-
mines, qui volunt ad cognitionem veritatis veni-
re, &c. Hæc igitur est Apostolica traditio, hæc vera
Ecclesiæ antiquitas, hic Catholicus consensus.

Et omnia sunt sacris Scripturis consona, quæ
nos & recipimus & profitemur. Habemus igitur
veras & antiquas Apostolorum traditiones. Sed
Pontificij de aliis nugis fabulantur, quando de tra-
ditionibus disputant.

Tertullian.

Tertullianus etiam de Præscript. Regula au-
tem est fidei, qua creditur vnum omnino Deum
esse, nec alium præter mundi conditorem, qui vni-
uersa ex nihilo produxerit, per verbum suum pri-
mò oranium emissum, id verbum filius eius ap-
pellat, in nomine Dei variè visum patriarchis,
in Prophetis semper auditum: postremò de-
latum ex spiritu Dei, & virtute in virginem Ma-
riam, carnem factum in vtero eius, & ex eo natum
hominem, & esse Iesum Christum, exinde prædi-
casse nouam legem, & nouam promissionem re-
gni cælorum, virtutes fecisse, fixum cruci, tertia
die resurrexisse, in cælos ereptum, sedisse ad dex-
tram patris, misisse vicariam vim Spiritus sancti,
qui credentes agat, venturam cum claritate, ad su-
mendos sanctos in vitæ æternæ, & promissorum
cælestium fructum, & ad prophanos indicandos
igni perpetuo, facta vtriusq; partis resurrectione,
cum carnis restitutione. Hæc regula vt probabitur
à Christo instituta, nullas habet apud nos quæstio-
nes, nisi quas hæreses inferunt & quæ hæreticos
faciunt. Hæc Tertullianus. Descripsi autem hæc
Symbola, vt ostenderem, nos non reprobare, quas
certò constat veras & antiquas esse Apostolorum
traditiones. Concilium verò Tridentinum (quod
notandum est) idem confessionem Symboli seun-

xit à traditionibus, vt sciremus, ipsos non potissi-
mum contendere de veris, certis & antiquis illis
Apostolorum & Ecclesiæ traditionibus, sed de ali-
is rebus, quas pro stabiliendo regno Pontificio, sub
titulo & prætextu Apostolicarum traditionum
nobis obtrudunt. Et Andradius dicit anathema il-
lis, qui perhibent: Nisi de veteri & nouo Testa-
mento euidenter fuerimus edocti, non sequimur
doctrinas Patrum, & Ecclesiæ traditionem.

Q V A R T V M G E N V S
traditionum.

Quartum genus traditionum est, de expositio-
ne, vero sensu, seu natua sententia Scripturæ. Nam
ex Irenæo & ex Tertull. constat, fuisse ipsis non
de scriptura tantum, verum etiam de expositione
seu sensu scripturæ, certamina cum hæreticis. Ita
enim Tertullianus inquit: Ista hæresis, si scripturas
aliquatenus integras præstat, nihilominus diuer-
sas expositiones commetata conuertit. Et tantum
veritatis obstreperit adulter sensus, quantum & cor-
ruptor stylus. Idem, Illic & Scripturarum & expo-
sitionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas
inuenitur doctrinæ. Et Irenæus ostendit, hæreticos
exposuisse Scripturam, non sicut in manifestis &
apertis locis sonat, sed ex figuratis, parabolicis &
obscuris, locis, falsa & prodigiosa quædam extru-
xisse, quibus deinde manifestos & apertos locos
eludebant. Et prætexebant, se illas interpretatio-
nes accepisse ex traditione, quæ non per literas, sed
per viuam vocem tradita fuisset. Irenæus lib. 3. cap.
2. & lib. 2. cap. 35. & per sequentia capita. Ita etiam
Tertullianus inquit: Nituntur his, quæ de ambigui-
tate cœperunt. In hoc igitur certamine de legitima
expositione, sine de vero & natuo sensu Scriptu-
ræ, cum quidem hæretici suis interpretationibus
prætexerent titulum Traditionum, Irenæus & Ter-
tullianus prouocant ad veram traditionem Eccle-
siæ. Nullum enim est dubium primitiuam Ecclesiam
accepisse ab Apostolis, & à viris Apostolicis, non
tantum textum (sicut loquimur) Scripturæ, verum
etiam legitimam & natiuam eius interpretationem,
quam quia primitiuam Ecclesiam, ad illa vsq; tempora
sine fictione custodierat, ita vt certis documentis
probare posset, à quibus eam accepisset, & ita re-
tro progressus fieret ad ipsos vsq; Apostolos, iucun-
dissima sanè fuit illa consideratio, qua piæ mentes
plurimum confirmatæ fuerunt contra hæretico-
rum corruptelas. Sed priusquam progrediamur,
recurrendum est ad statum huius nostræ disputa-
tionis de Traditionibus, an scilicet Irenæus & Ter-
tullianus, in illa disputatione de Scripturæ inter-
pretatione, dogma aliquod, aut interpretatio-
nem aliquam proferant ex traditionibus, extra
& præter Scripturam, quæ nullo Scripturæ testi-
monio probari possit. Certè Irenæus, libro quar-
to, capite sexagesimo tertio dicit, legitimam expo-
sitionem esse secundum Scripturas. Et libro secu-
do, capite 46. & 47. tradit regulas aliquot de in-
terpretatione Scripturæ, ex quibus intelligi po-
test, quæ sit verè Apostolica traditio, de interpre-
tatione Scripturæ. 1. Sanum sensum, & qui sine
periculo est, illum esse, qui apertè & sine ambi-
guo, ipsis dictionibus in Scripturis ponitur. Addit
autem, Vniuersæ Scripturæ, & Prophetiæ &
Euangelicæ in aperto & sine ambiguitate, & simi-
liter ab omnibus, audiri possunt. Item, Habe-
mus

mus regulam ipsam veritatem, & in aperto positum de Deo testimonium, hoc est (sicut Augustinus inquit) in his, quæ aperte in Scripturis posita sunt: inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque viuendi. 2. Quæ verò in parabolis ambigunt, non aperte, neque ipsa dictione, neque sine controuersia in scripturis dicta sunt, non esse interpretanda contra ea, quæ aperte dicta sunt, neque inde extruendum aliquid, quod ex aliis, quæ manifestè dicta sunt, probari non possit. Idem exercitium quidem, & inquisitionem in huiusmodi locis probat, ita autem ne excidamus ab ea suasionem, quæ manifestissime prædicatur, hoc est, obscura Scripturæ loca vult exponi ex illis, & secundum illa, quæ manifestissime in Scriptura posita sunt. 3. Interpretationem vult ita institui, vt veritatis corpus integrum, & similitudine membrorum, & sine concussionem perseueret, hoc est, interpretes totum corpus doctrine, quæ in Scripturis traditur, sibi præponere debet, ne interpretatio contra illud feratur. Et videtur idem velle, quod Tertullianus dicit, secundum plura interpretanda esse pauciora, & quod Paulus Rom. 12. exigit, vt prophetia sit analogia fidei. 4. Multa sunt mysteria in scriptura, quæ in hac infirmitate perferuari non possumus. Dicit igitur, si omnium quæ in Scripturis requiruntur, absolutiones non possumus inuenire, alium tamen Deum non requiramus. hoc est, sicut antea dixerat, ab ea suasionem, quæ in Scripturis manifestissime prædicatur, non excidamus. Ita in Scripturis quædam absoluamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, non solum in hoc seculo, sed & in futuro. Et tandem concludit: Si secundum hunc modum, quædam quæstionum Deo commiserimus, & fidem nostram seruabimus, & omnis Scriptura à Deo nobis data, consonans nobis inuenietur: & parabolæ his, quæ manifestè dicta sunt, consonabunt: & manifestè dicta, absoluent parabolæ: per dictionum multas voces vnâ consonantem melodiam in nobis sentiemus.

Has de interpretatione regulas ex Irenæo idem annotauimus, tum quia vtilis & pulchræ sunt, ex Apostolica traditione acceptæ, tum verò præcipuè, vt ostenderem veterem Apostolicam & primitiuam Ecclesiæ traditionem, de interpretatione Scripturæ, non abduxisse homines à Scriptura, nec in interpretatione finxisse dogmata quædam extra & præter Scripturam, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possent, sed ex ipsis Scripturis, & secundum Scripturas, institutum & sumptum fuisse sanam Scripturæ sensum.

Ad Apostolicas etiã traditiones de interpretatione præcipuè pertinet, quid Irenæus & Tertullianus, quando de veritate expositionum prouocant ad Apostolorum traditionem, quæ in Ecclesijs sincera tunc adhuc seruabatur, recitant & describunt, qualis sit illa traditio: Symbolum scilicet, seu regulam fidei, cuius verba in tertio genere traditionum annotauimus. Nihil autem ibi est sine Scriptura, extra & præter Scripturam, sed sicut Irenæus de Polycarpi traditionibus inquit: πάντα σύμφωνα τῆς γραφῆς.

Has verò germanas, antiquas, & veras Apostolorum traditiones, summa cum reuerentia amplectimur. Profitemur enim, nos vera fide amplecti omnia scripta Prophetarum & Apostolorum, & quidem in hac ipsa natiua sententia, quæ expressa est in Symbolis Apostolico, Niceno & Athanasiano. Damnamus etiam constantissimè omnes furo-

res, qui pugnant cum Symbolis, quiq; condemnati sunt veris Ecclesiæ iudicijs. Tertullianus Symbolum vocat regulam fidei, qua salua, & forma eius manente in suo ordine, possit in Scriptura tractari, inquiri, si quid videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari. Et ita Augustinus expositurus Genesim, præmittit articulos fidei, vt in explicatione quæstionum difficillimarum, si nihil dixerit contra hanc regulam fidei, sed quæ illi consentanea sunt, non possit dici errasse, etiam si fortè sensum & mysteria verborum non vbiq; assecutus, nec quæstionibus satisfacisse per omnia videri posset. Irenæus etiam lib. 1. cap. 3. de regula illa fidei, quam supra descripsimus, inquit: Et neque qui valde præualet in sermone, ex iis, qui præsumunt in Ecclesijs, alia quàm hæc sunt dicere, neque qui infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Et cap. 4. recitat qui fuerint quasi loci communes in explicationibus eorum, qui doctiores fuerunt, exquirere scilicet ea, quæ in parabolis dicta sunt, & adiungere veritatis argumento: dispositionem Dei in genere humano factam enarrare: de lapsu Angelorum & hominum differere: quare quædam temporalia, quædam æterna, quædam terrena, quædam cælestia vnus & idem Deus fecerit, annunciare: quare in veteri Testamento, alia atque alia forma inuisibilis Deus apparuerit: de discrimine veteris & noui Testamenti: quare concluderit Deus omnia in incredulitatem, vt in vniuersis misereatur: quare verbum Dei caro factum, quare non in initio, sed in nouissimis temporibus apparuerit: de fine seculi, de futuris quæ in Scriptura prædicta sunt, de resurrectione, de vocatione Gentium, &c.

Hæc igitur omnia, quæ de legitima expositione, & sano sensu Scripturarum, ex traditione Apostolorum, Irenæus, & Tertullianus recitant, cum recipiamus & amplectamur, non possumus accusari, quod veras, genuinas & veteres Apostolorum traditiones de Scripturæ interpretatione negligamus aut repudiemus. Illud verò quod Pontificij sibi arrogat, fatemur nos improbare, quod volunt nos simpliciter recipere quasuis interpretationes, quas ex scrinio peccatoris Pontificij, sine ex decretis prælatorum Ecclesiæ, sine liquidis & certis sacra Scripturæ probationibus & documentis nobis obtrudunt. Hoc enim non est traditionis Apostolicæ, sicut iam ostendimus.

Q V I N T V M G E N U S traditionum.

Quintum genus Traditionum constituemus illud, quod Patres aliquando ita vocant illa dogmata, quæ non totidem literis & syllabis in Scriptura ponuntur, sed bona, certa, firma & manifesta ratiocinatione, ex perspicuis Scripturæ testimonijs colliguntur. Nazianzenus rectè & venustè dicit. Quædam & esse, & dici in Scripturis: quædam verò esse in Scripturis, tamen non dicantur. Idem libro quinto, de Theologia, recitat obiectionem hæreticorum, negantium Spiritum sanctum esse Deum: Vnde, inquit, peregrinum hunc Deum, & Scripturæ verbis nusquam expressum nobis introducis? Respondet autem: Sicut patrem esse ingenitum, non ponitur tot syllabis in Scriptura, tamen ex illis, quæ scripta sunt colligitur: vt cum dico, bis quinque, non dico decem, tamen si inde colligam, & dicam decem, rectè dico: ita si aliquid in Scriptura exprimitur, si illud nomine

Origenes. nomine donatum enunciem, recte facio. Ita Origenes, lib. 5. ad Roman. dicit: Ecclesia ab Apostolis accepit traditionem, etiam paruulis Baptismum dare. Idem in Leuit. homilia 8. dicit, secundum Ecclesie obseruantiam, etiam paruulis Baptismum dari. Augustinus etiam de Baptismo contra Donatistas, libr. 4. capit. 23. de paruulorum Baptismo inquit: Quod traditum tenet vniuersitas Ecclesie. Et addit: Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica autoritate traditum rectissime credimus. Et de verbis Apostoli. Sermon. 14. de Baptismo paruulorum: hoc habet autoritas matris Ecclesie, hoc fundatus veritas obtinet Canon.

Augustinus. Affirmant igitur Origenes & Augustinus Baptismum paruulorum esse traditionem Apostolicam. Hoc recipimus. Sed respiciamus ad statum disputationis nostrae cum Pontificiis, de Traditionibus: An scilicet affirmant, esse talem traditionem, quae nullo Scripturae testimonio probari possit. Et illae quidem literae & syllabae non reperiuntur in Scriptura: Infantes sunt baptisandi, Apostoli baptisauerunt infantes. Sed Patres quando dicunt, Baptisma paruulorum esse traditionem: idem probant & confirmant certis & manifestis Scripturae testimoniis.

Lindanus. Et quia Lindanus, hac traditione nobis insultat, quasi dogma aliquod fidei sine Scripturae testimoniis, ex sola traditione non scripta recipimus, annotabo aliquot veterum testimonia, quod valde multis scripturae testimoniis probent, & confirmet illam traditionem, Paruulos esse baptisandos. Augustinus enim dicit: Et si quisquam in hac re autoritatem diuinam quaerat, quanquam quod vniuersa tenet Ecclesia, non nisi autoritate Apostolica traditum rectissime credimus: tamen veraciter conuincere possumus, quid valeat paruulis Baptismi Sacramentum ex circumcissione carnis, &c.

Origenes vbi dicit, traditionem Apostolorum esse, paruulis Baptismum dare, mox addit. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt diuinorum, quia essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam & spiritum ablui deberent: propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur.

Irenaeus. Ita Irenaeus, libr. 2. capit. 39. dicit: Omnes venit Christus per semetipsum saluare: omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, paruulos, pueros, iuvenes & seniores.

Origenes. Origenes in Lucam, homil. 14. Quomodo potest vlla lauacri in paruulis ratio consistere, nisi iuxta illum sensum: nullus mundus a sorde, nec si vnus diei quidem fuerit vita eius super terram. Et quia per Baptismi Sacramentum, natiuitatis sordes deponuntur, propterea baptisantur & paruuli. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit intrare in regnum caelorum.

Cyprianus. Cyprianus libr. 3. epist. 8. paruulo um Baptisma inde probat: Cum Dominus in Euangelio dicit: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. Nam Deus vt personam non accipit, ita nec aetatem.

Chrysostomus. Chrysostomus homilia de Adam & Eua: Ideo praedicat Ecclesia Catholica debere paruulos baptisari, propter originale peccatum, de quo sanctissimus ille bene clamabat: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Ambrosius libro 10. epist. 89. dicit: Pelagianos euacuare Baptisma paruulorum: cum Ioannes protestetur: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item, Sicut nunc in Ecclesia manet constitutio Saluatoris dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum caelorum: ita de circumcissione in lege praecautum erat, nisi in die circumcideretur octauo, exterminaretur anima, &c.

Augustinus epist. 89. Dicunt infantem non baptisatum perire non posse: quia sine peccato nascatur, sed dicit doctor gentium, in quo Christus loquebatur: Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccarunt. Item, Iudicium ex vno delicto in condemnationem, gratiam autem ex multis delictis in iustificationem: Proinde isti, quem forte inuenerunt infantem, non ex illius vnus hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione esse liberandum. Ideo non est superfluum Baptisma paruulorum: vt qui per generationem illi condemnationi obligati sunt, per regenerationem ab eadem condemnatione liberentur. Non autem inuenitur homo, qui praeter Christum spiritualiter regeneretur.

Has veterum sententias ideo recensui, vt Lector ipse videat, Baptismum paruulorum ita ab ipsis vocari traditionem, vt valde multis, certis & firmis Scripturae testimoniis illum probent & confirmet. Iussi enim sunt Apostoli baptisare omnes Gentes, scribuntur baptisasse totas domos, seu familias, in quibus non est dubium, comprehendit etiam infantes, quos Christus sibi iubet adduci. Andradius insultat nobis Augustini testimonio, qui de Baptismo contra Donatistas, libr. 2. cap. 7. inquit: Quam consuetudinem (non rebaptisandos ab haereticis semel baptisatos) credo ab Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.

Et de eadem disputatione contra Cresconium, libr. 1. cap. 33. inquit: Quamuis huius rei certae, de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam hac in re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuersa iam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat autoritas, vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quaestiones, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat, &c. His sententiis possunt fucum facere illis, quibus ignota est integra Augustini disputatio. Sed Augustini quaestio in illo loco haec est: An possit proferri exemplum ex Scripturis Canonicis, quod aliquis ab haereticis veniens, vel denuo sit baptisatus, vel sine iteratione Baptismi, post poenitentiam per impositionem manuum sit susceptus. Et fatetur in neutram partem exemplum de facto, ex Scriptura posse proferri.

Sed de iure (vt ita loquar) disputans, vtra sententia sit, vel vera vel falsa, quaero ab Andradio, num Augustinus sola nitatur consuetudine, & titulo traditionis non scriptae, ita vt consuetudo, & traditio

& tradito illa Ecclesiæ, nullo scripturæ testimonio probari & confirmari possit? Hic enim est status nostræ disputationis cum Pontificiis. Et illi quidē pro stabiliendis suis traditionibus, quas nullo Scripturæ testimonio probare possunt, illis Augustini sententiis abutuntur: sed magna impudentia luculentam iniuriā faciunt Augustino. Prolixa enim disputatione ex multis Scripturæ testimoniis sententiam suam probat. Et quia videri possunt illæ Augustini sententiæ, traditioni & cōsuetudini Ecclesiæ, sine testimoniis scripturæ, plusculum tribuere, loca quædam ex ipsa Augustini disputatione annotabo, quæ ostendent, ipsum nullo modo secutum traditionem aut consuetudinē, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possit. Libro 1. de Bapt. cont. Donatistas, cap. 7. Ne videar humanis argumentis agere, ex Euangelio profero certa documenta, libr. 2. capit. 14. Quid sit perniciosius vtrum non baptisari, an rebaptisari, iudicare difficile est. Verum tamen recurrens ad illam stateram Dominicam, vbi non ex humano sensu, sed ex auctoritate diuina rerum momenta pensantur, inuenio de vtraq; re Domini sententiam. Qui lotus est, non habet necessitatem iterum lauandi, &: Nisi quis renatus ex aqua, &c. Ipsa denique Ecclesiæ, sic traditum tenet, &c.

Lib. 3. cap. 4. Profecto dīsem in Cypriani sententiam, nisi me ad diligentē considerationem reuocaret tanta auctoritas aliorum, non quia fieri non potuit, vt in obscurissima quæstione verius pluribus, vnus paucius sentirent: sed quia non facile pro vno vel pro paucis aduersus innumerabiles eiusdem religionis & vnitatis viros, nisi pertractatis pro viribus, atque perspectis rebus ferenda est sententia. Lib. 4. cap. 6. Illa consuetudo, quam etiam tunc homines sursum versus respicientes, non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur. Sed mox addit, capit. 7. Quanto robustius nunc dicimus, quod Ecclesiæ consuetudo semper tenuit, & quod plenariū Concilium confirmauit, hoc sequimur. Huc accedit, quia bene perspectis ex vtroq; latere disputationis, rationibus & Scripturarum testimoniis, potest etiam dici. Quod veritas declarauit, hoc sequimur.

Lib. 4. cap. 4. Quisquis & Ecclesiæ consuetudine, & posteriori robore plenarij Concilij, & tot tantisq; sanctorum Scripturarum testimoniis, & perspicuis rationibus veritatis intelligit, Christi Baptismū verbis Euangelicis consecratum, nō fieri cuiuslibet hominis peruersitate peruersum, &c.

Libro 5. cap. 23. Apostoli nihil quidem ex inde præceperunt, sed consuetudo illa, ab eorum traditione exordium sumpsisse credendum est: sicut sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesiæ, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur. Sed audi, quid mox subiungat: Contra mandatum Dei esse, quod venientes ab hæreticis, si iam illic Baptismum Christi acceperunt, baptisantur: quia Scripturarum sanctorum testimoniis non solum ostenditur, sed planè ostenditur, &c.

Cyprianus.

Cap. 26. Quod autem Cyprianus nos admonet vt ad fontem recurramus, hoc est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum. Traditum est ergo nobis, sicut ipse commemorat, quod sit vnus Deus, vnum Baptisma, & lib. 6. cap. 1. poterat iam sufficere, quod toties re-

petitis rationibus, adiunctis etiam diuinarū Scripturarum documentis ostendimus, &c. Hæc pluribus quàm fortassis necesse videri potuerat, ex Augustino repetiui. Quia enim aliquoties in hac disputatione meminere traditionis, ostendendum fuit falsum esse, quod Pontificij inde extruunt, ex sola traditione multa esse credenda, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt. Augustin. enim, qui concedit, facti quidē nullum extare in scriptura exemplū, ipsum tamē ius (vt hoc modo loquar) ostendit multa certa habere in Scripturis documenta. Nec nos de literis & syllabis contendimus, modò res ipsa habeat certa in Scriptura fundamenta. Et concedimus magnum robur esse, si Ecclesiæ consuetudo & traditio, cum certis & manifestis Scripturæ testimoniis consentiat. Hic verò est status controuersie inter nos & Pontificios: An in dogmatibus Ecclesiæ recipienda sit, siue consuetudo siue traditio, quæ nullo scripturæ testimonio probari potest, semper enim repeto Andradij verba.

Ad hoc quintum genus traditionum, multæ pertinet veterū disputationes de dogmatibus, quæ re ipsa in scriptura, certa & firma habent testimonia, licet totidem literis & syllabis non exprimantur: vt quod filius sit *ὁμοούσιος* patri. Ariani siquidem funestis tragædiis orbem turbabant: cum nullum dogma recipiendū sit, præter ea, quæ scripta sunt, idè repudiandum esse *ὁμοούσιον*, quia sit *ἄγραφον*. Patres verò in illa disputatione non apponebant Arianis hoc axioma, multa dogmata, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, propter solum traditionis titulū suscipienda & credenda esse, sed simpliciter respondebant, licet vocabulum nō extet in Scriptura, rem ipsam tamen habere certissima & Scripturæ testimonia. Ita Athanasius Tomo 2. in oratione, quod decreta Nicenæ Synodi commodis & piis verbis sunt exposita: Tameñ hæc voces, inquit, in Scriptura nō reperiantur, habent tamen eam sententiam, quam Scripturæ volunt.

Athanasius.

Et Cyrillus, lib. 1. dialogorum de Trinitate, ad obiectionem, quod homousion sit *ἄγραφον*, respondet: rem ipsam, quæ per illud vocabulum significatur, habere certissima Scripturæ testimonia, vt si quis dicat Deum incorporeum. Eadem ratio est de vnione personali, de duabus naturis in Christo, & similibus. Falsum enim est, Ecclesiæ illa dogmata habere sine Scripturæ testimoniis, ex sola Patrum traditione. *λογομαχίαι* verò illorum, qui de vocabulis tantum rixantur, cum res ipsa habeat Scripturæ testimonia, merito improbantur.

Cyrillus.

Multa talia sunt exempla de modis loquendi à Patribus acceptis, quorū res ipsæ in scriptura sunt fundatissimæ. Ita Basilius diuinitatem Spiritus sancti probat ex scripturæ sacræ testimoniis, & addit etiam antiquitatis consensum. Formulam verò glorificationis, Gloria Patri & Filio cum Spiritu sancto, probat ex traditione Patrum, quæ tamē cum doctrina Scripturæ consentit. Et tamen formula illa, ex traditione accepta, nunc mutata est, dicimus enim: Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: quia ad verba institutionis Baptismi, propius conuenit coniunctio Et, quàm præpositio Cum. Ita traditiones exiguntur ad Scripturam, & cedunt scripturæ, Nazianzenus, libro 5. de Theologia dicit *φιλιαν τῶ γραμματι*, studium literæ, esse pallium seu prætextum impietatis. Hoc Lindanus ita deprauat, quasi Nazianzenus sentiat impietatem esse, ita additum esse Scripturæ; vt nullum

Nullum dogma recipiatur, quod Scripturæ testimoniis probari non possit, cum ipse Nazianzenus dogma illud, quod ibi tractat de diuinitate Spiritus sancti; multis Scripturæ testimoniis prolixè probet. Sed illos reprehendit, qui cum non totidè literis & syllabis in Scriptura reperiât: Spiritus sanctus est Deus, eiusdem essentia, cum Patre & Filio, licet dogma illud aliis certis Scripturæ testimoniis firmiter probetur: vtuntur tamen sophisticis tergiversationibus, vt impietate suam aduersus Scripturæ sententiam, prætextu aliquo occultare possint. Idè non vocat studium Scripturæ, sed literæ: non γραφῆς, sed γραμματικῶν. Et hoc est quod Epiphanius contra Apostolicos dicit: τὰς ἑνταῖς γραφῆς μόνον ἀεὶ πλῆρωται. hoc est, Illa tantum quæ totidè literis & syllabis in Scriptura posita sunt, admittūt.

S E X T U M G E N U S
traditionum.

Sextum genus traditionum constituemus illud, quod de Catholico Patrum consensu dicitur. Vsitata enim est illa forma loquendi, Patres ita tradiderunt. Iniuriā autem nobis facit Andradius quod clamitat, nos inuenerunt antiquitatis testimonio nihil tribuere, Patrum autoritatē nihili pendere, Ecclesiæ approbationem, fidem, maiestatemq; labefactare. Bona enim conscientia affirmare possumus, nos post sacræ Scripturæ lectionem aliquid, quantum quidè Domini gratia concedit, in inquirendo & inuestigando veræ & purioris antiquitatis cōsensu posuisse, & quotidie adhuc ponere. Patrum enim scriptis suum, & quidem honorificum, qui illis debetur, tribuimus locum, vt qui multos Scripturæ locos, præclare explicauerunt, antiqua Ecclesiæ dogmata, contra nouas hæreticorū corruptelas defenderūt, idq; ex Scriptura, multos locos doctrinæ rectè explicauerunt, multa de historia primitiua Ecclesiæ annotauerunt, & multa alia vtiliter monuerunt. Et cupimus id, quod de gratia Dei propter filium mediatorē credimus & speramus, vt membra veræ Catholice Ecclesiæ, in futura vita ipsum Filium Dei, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, martyres & patres, qui verum fundamentū tenuerunt videre, & eorum familiaritate in omni æternitate frui. Mediocri igitur diligentia inquirimus consensum veræ, eruditæ & purioris antiquitatis, & Patrum testimonia, quæ Scripturæ consentanea sunt, amamus & magnificamus. Est enim nostrorum sententia, quod in controuersis religionis, iudex sit ipsum verbum Dei, & quod postea accedat confessio veræ Ecclesiæ. Semper enim sequuntur verbum, tanquam iudicem, aliqui pij, & confessione firmiorum adiuuantur infirmi. Valet igitur in Ecclesia, sententia congruens cum verbo Dei, & confessione piorum, siue sint plures, siue pauciores impiis. Ita veteres damnauerunt Samosatenum, & deinde Arrium. Iudex erat verbum Dei, id est, testimonia ex Euangelio, bona fide, & sine sophistica prolata, quæ conuincunt non calumniosè iudicantem. Sed tamen adiuuabantur tunc quoque infirmi in pronunciando, confessione firmiorum eorum, qui Apostolos, aut eorum discipulos audierant, & quos constabat fuisse fideles custodes doctrinæ, vt Polycarpi, Irenæi, Gregorij Neocæsariensis: Ab his recentiores audierant, λόγον significare personam. Postea ipsi collatis dictis Euangelij, agnoscunt hanc natiuam esse sententiam, quam ab illis audierant. Aliqui et-

iam non solum discunt à prioribus, sed etiam tanquam à firmioribus confirmantur. Ita Petrus Alexandrinus refutabat Meletium, citabat Euangelium, quod satis perspicuè docet, recipiendos esse lapsos, qui emendantur. Sed simul adiuuabantur exemplis prioris Ecclesiæ, quæ semper antea lapsos receperat. Ita nos pronunciamus de Baptismo infantium. Habemus testimonia in Scripturis manifesta, quæ affirmant extra Ecclesiam non esse salutem. Deinde & primæ Ecclesiæ testimoniis iuamur. Ita Iudex est verbum Dei, & accedit puræ antiquitatis confessio. Vult enim Deus in Ecclesia, esse ministeriū vocis: Quare audienda est Ecclesia, vt doctrix, sed fides ac inuocatio nituntur verbo Dei, non humana autoritate. Hæc ex locis communibus Philippi Melanchthonis, præceptoris mei descripta, hoc loco annotare volui, vt Andradij clamoribus opponerem publicum Ecclesiarum nostrarum testimonium, quàm reuerenter de consensu antiquitatis, de testimoniis veterum, de confessione & exemplis veteris Ecclesiæ sentiamus. Probamus piam & elegantem Basilij sententiam, qui in Homilia contra Sabellianos & Arrium inquit: Maximè velim, velut simpliciter traditum accepi, ita etiam auditoribus tradere, sed quia circumstatis vos censors magis, quàm discipuli, necesse est nos, velut in iudicio contradictionem protendere. Vos autem hortamur, vt non quod vobis placet, à nobis audire quæratis: Sed quod Domino complacet, & consonum est Scripturis, & non contrarium Patribus. Et mox: Compescat te traditio: Dominus sic docuit. Apostoli prædicauerunt, Patres conseruauerunt, martyres confirmauerunt, sis contentus dicere, velut edoctus es. Et de fidei confessione inquit: Traditurus sum quæ didici ex diuina Scriptura. Athanasius de humanitate Verbi circa finem inquit: Nos ista hausimus à magistris diuinitus afflatis, qui sacros libros euoluerunt.

Fatemur etiam, nos ab illis dissentire, qui fingunt opiniones, quæ nulla habent testimonia vllius temporis in Ecclesia: sicut nostro tempore fecerunt, Seruetus, Campanus, Anabaptista & alij. Sentimus etiam, nullum dogma in Ecclesia nouum, & cum tota antiquitate pugnantem recipiendum. Quid de consensu, & testimoniis antiquitatis honorificentius dici & sentiri possit?

Ita Irenæus ad Florinum scribit: Hæc dogmata Florine, sanam sententiam non habent: hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia, hæc dogmata ne hæretici quidem vnquam ausi fuissent pronunciare, hæc dogmata, qui ante nos fuerunt presbyteri, qui & Apostolorum discipuli extiterunt, non tradiderunt. Hæc Eusebius, libro quinto, capite 20.

Sed profiteamur & hoc quod non ex nobis finimus, sed ab ipsis Patribus didicimus, quod scilicet inquiramus & allegemus testimonia Patrum, non ideo, quasi ea, quæ ex perspicuis Scripturæ testimoniis ostenduntur & probantur, per se nec certa, nec firma satis sint, aut non satis habeant ex se roboris & autoritatis, nisi accedat Patrum etiam consensus: sed cautam quare allegentur, Augustinus disertè explicat, de Peccatorum meritis, libro 3. capite septimo. Hæc non idè commemorauimus, quod disputatorum quorumlibet sententiis, tanquam Canonica autoritate nitamur: sed vt appareat, ab initio vsque ad præsens tempus quo ista nouitas orta est, hoc de originali peccato, apud

Petrus Alex-
drinus.

Dictum Ba-
siliij.

Seruetus.
Campanus.
Anabaptista,
&c.

Qua de causa
Patres alle-
gari soleant.

to, apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis qui Dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quam quod tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur. Cæterum in sanctis Canonicis libris, viget huius sententiæ clarissima & plenissima autoritas. Idem de Nuptiis & Concupiscentia, libr. 2. capit. 29. Quid autem dicam de ipsis diuinarum Scripturarum tractatoribus, qui in Catholica Ecclesia floruerunt? quomodo hæc non in alios sensus conati sunt vertere, quoniam stabiles erant in antiquissima & robustissima fide, non autem nouicio mouebantur errore. Quos si colligere, & eorum testimoniis uti velim, & nimis longum erit, & de Canonicis authoribus, à quibus non debemus auerti, nimis fortasse videbor præsumpsisse, quam debui.

Augustinus.

Augustinus contra duas Epistolas Pelagianorum lib. 4. cap. 8. Non quò Canonicis libris, vllius disputationis æquetur autoritas: sed ut admonentur, qui putant sanctos Patres aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante noua hæreticorum vaniloquia Catholici antistites, eloquia diuina secuti sunt: & sciant, à nobis rectam & antiquitatis fundatam Catholicam fidem, aduersus recentem Pelagianorum præsumptionem perniciemq; defendi.

Alterum quod de Patrum autoritate sentimus, etiam ab ipsis Patribus didicimus. Augustinus Epistola 19. ad Hieronymum: Alios scriptores (præter Canonicos) ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinam præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per alios autores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à veritate non abhorreant, persuadere poterint.

Epistola III. Neque quorumlibet disputationes quamuis Catholicorum & laudatorum hominù, velut scripturas Canonicas habere debemus: ut nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere: si fortè inuenerimus, quòd aliter senserint, quam veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales ego volo esse intellectores meorum.

Contra Cresconium, lib. 2. cap. 31. Ideo constitutus est Canon librorum Canonicorum, secundum quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium liberè iudicemus. Cap. 32. Cypriani literas non ut Canonicas habeo, sed ex Canonicis considero: & quod in eis diuinarum Scripturarum autoritati congruit cum laude eius accipio: quòd autem non congruit, cum pace eius respuo. Et addit: Quoniã Canonicum non est, quod recitas, ea libertate ad quam nos vocauit Dominus, hoc quod aliter sapuit, non accipio. Et mox: Ita hoc Cypriani de rebaptizandis hæreticis nõ accipio, quamuis inferior incomparabiliter Cypriano. sicut illud Apostoli Petri, quod gentes iudaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamuis inferior incomparabiliter Petro. Cap. 31. dicit, se hoc modo nullam iniuriam facere Cypriano. Et de Baptist. contra Donatistas, libr. 7. cap. 20. dicit: Cyprianum potuisse aliter sapere, quam veritas postulabat, sine vlla eius contumelia credimus, quicumque diligimus Cyprianum. Ipse etiam Cyprianus, in Sermone de lapsis dicit, illum infamare martyrum dignitatem, qui affirmat mar-

tyres aliquid mandare, quòd in lege Domini scriptum non sit. Augustinus ad Vincentium Victorè, libro secundo. Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari.

Et de bono perseverantiæ, cap. 21. Quamuis neminè velim, sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in his in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros retractationum, ut nec meipsum in omnibus me securum fuisse demonstrem. Et addit, se nec post retractationem quidem velle, per omnia sibi credi. Ita enim inquit: Atrogatius loquor, quam verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem, sine vllò errore scribendi iam in ista ætate venisse. Sed interest, quantum & in quibus rebus erretur: & quã facile quisq; corrigat: vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorè. Ita Epiphanius petit veniam, sicubi errarit, vel ultra vires aliquid tentarit. Ambrosius etiam libr. 1. de Officiis modestissime inquit: Nam arrogans videri arbitror, si inter filios suscipiam affectum docendi. Non Prophetarum gratiam, non virtutem Evangelistarum, nec Pastorum circumspectionem: sed tantum modò intentionem & diligentiam circa Scripturas diuinas opto assequi.

Iustinus quæst. 119. ad obiectionem, quòd Patres quidam diuersum senserint, responder: Sed Apostolus, pater Patrum ita dicit, &c. Obseruet Lector, ipsorum Patrum sententiam esse: non ideo aliquid credi & recipi debere, quòd ex Patribus quispiam ita vel senserit, vel dixerit, nisi ex Scripturis Canonicis, hoc quod dicit probet. Potuisse enim Patres aliter sapere, quam veritas postulat, & ad illam libertatem nos à Domino vocatos esse, ut de quorumcunq; scriptis secundum literas Canonicas liberè iudicemus. Et quando in Patrum scriptis, aliquid quod Scripturæ non congruit, improbamus, & respuimus, fieri illud nulla temeritate, sed iusto iudicio, sine iniuria & contumelia Patrum, salua illorum honorificentia, & bona eorum pace, ab illis etiam, qui incomparabiliter inferiores sunt Patribus.

Et habemus præterea ipsorum etiam Patrum exempla, qui veterum erratis, sicubi à regula Scripturæ discesserunt, nõ sanè proteruè insultant: sed tamen etiam ea quæ ad Canonem Scripturæ non congruant, propter Patres non approbant, nec recipiunt. Idq; ut commodius demonstrem, non inutile fore iudico, si hoc loco breuiter annotaui rationes quasdam, quasi regulas, quas inter legendum obseruaui: quomodo Patres incommodè dicta veterum, non ad errorum patrocinia detorserint, sed commoda interpretatione, iuxta analogiam fidei, mitigarint & excusarint. Præcipuè verò Augustino multum negocij exhibuerunt Pelagiani, cum latis multis veterum sententiis, incommodè dictis, de peccato originali, de libero arbitrio. Modestè verò Augustinus respondet. 1. Vobis Pelagianis nondum litigantibus, securius (inquit) loquebantur Patres de his articulis, lib. 1. contra Iulianum. hoc est, Extra contentionem, nondum motis controuersis, Patres sepe non accuratè, sed securius multa disputabant. Illa verò securius dicta, sicut Augustinus loquitur, non sunt torquenda ad patrocinium eorum, quæ cum Scriptura non conueniunt.

2. Iulianus obiecerat Chrysostomi sententiam, infantes non habere peccata. Augustinus inquit:

Intelli-

Iustinus.

Exempla in Patribus.

Augustinus aduersus Pelagianos.

intellige propria peccata, & nulla erit contentio. Sed inquit Iulianus: Cur ipse Chrysostomus non addit propria? Cur putamus, inquit, nisi quia disputas in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitratur: hoc est, incommodius dicta Patrum, secundum analogiam fidei sunt interpretanda. Hoc modo Augustinus de natura & gratia, Hilarij, Ambrosij, Chrysostomi, Hieronymi, & sententias, quas Pelagius pro sui erroris confirmatione allegauerat, addita comoda interpretatione ad analogiam fidei accommodat: quam tamen interpretationem, non semper ex ipsis quae allegatae erant sententiis sumere potuit: sed eas vel ex manifestis Scripturae sententiis, vel ex aliis Patrum dictis Scripturae consentientibus, petiuit. De gratia Christi lib. i. ca. 48. ad Ambrosij dictum, probantis exemplo Zachariae & Elisabech, hominem in hac vita posse sine peccato esse, Augustinus ita respondet: Dictum hoc est, quantum mihi videtur, secundum quamdam inter homines conuersationem probabilem, non secundum perfectionem iustitiae. Nam & Paulus dicit, se fuisse sine querela: & tamen hanc iustitiam stercoreibus deputauit.

Et de natura & gratia ca. 61. ad sententiam, quod Christus vincendo peccatum, & desideris carnis domicis docuerit peccatum, non esse necessitatis, Augustinus ita respondet: Quomodo dictum sit, auctor huius sententiae viderit, qualiter possit exponere: dum tamen nos minime dubitemus, Christum peccatum in se non habuisse quod vinceret. Et ibi ponit hanc sententiam: Ego in huiusmodi quorumlibet hominum scriptis, liber, quia solis Canonicis debeo, sine vlla reculatione, consensum.

Augustini responsio ad dilectum quoddam Ambrosij.
III. Ad dictum quoddam Ambrosij, respondet lib. i. contra Iulianum: Hoc dictum est aduersus Manichaeos, contra quos hoc sufficiebat. Et in libris retractationum, ipse Augustinus de se inquit: Disputabimus contra Manichaeos, qui sorgebant, naturam mali esse coeternam Deo: contra quos satis erat obtinere, malum esse ortum ex libero voluntatis arbitrio: & ideo, inquit, parum diximus de gratia. Patres igitur, quando contra haereticos aliquos disputant, hoc tantum sibi proponunt, ut istorum opinionones euertant, de aliis interim articulis non sunt admodum solliciti. Et inde multa, non satis circumspicte de aliis dogmatibus dicta, Patribus saepe exciderunt. Ideo Augustinus inquit: Audi, quod ad rem praesentem spectat, quid de peccato originis, Basilium alibi sine vlla ambiguitate dicat.

Basilium.
III. Basilium Epistolae 41. de Dionysio Alexandrino inquit: Non omnia eius viri admiramur: imo sunt quaedam, quae penitus abrogamus. Habet enim seminaria quaedam impietatis τῶν ἀνομιῶν, causam vero arbitror, non mentis malignitatem, sed quod vehementer voluit resistere Sabellio. Soleo igitur ipsum assimilare arborum infitori: qui dum nouellam plantam incurruum statum vult corrigere, nimia attractione a medio aberrat, & in contrariam partem nimium deflectendo peccat. Ita Athanasius Tomo secundo, de sententia Dionysij inquit: Ratio temporis & personae consideranda est, quod ita scripserit. Sabellianismus enim tunc Ecclesias inuaserat: & Dionysius rudibus monstraturus, Patrem non esse filium, de humanitate loquitur: ex illis enim quae humanitatis sunt, compendio refutantur Sabelliani. Et ibi dicit Athanasius: Arriani videntes, se nihil posse ex Scriptura, pro sua haeresi habere, ad Patres se conuertunt: sicut praedones, cum de studiis suis male audiunt, fingunt sibi socios probos & modestos: & sic-

ut Iudaei Scriptura conuicti, ad patrem Abraham confugiunt, &c. Et profecto eodem plane modo, Pontificij Scripturae testimoniis destituti & conuicti, praetextum ex Patribus quaerunt.

Basilium Epistola 64. cum obiiceretur, Gregorium Neocaesariensem dixisse, patrem & filium mentis cogitatione esse duos, hypostasi vero vnum, ita respondet. Hoc non dogmatice, sed in contentione esse dictum; in disputatione contra Alianum. Volens enim Graecum hominem ad fidem conuere, non exactius circa verba disceptat, sed alicubi etiam concedit consuetudini eius qui inducitur. Ideo multas illic inuenias voces, quae nunc maximum robur praebent haereticis:

V. Chrysostomus lib. i. de compunctione cordis inquit. Non putes haec cohortatorie magis quam vere dici. Multa igitur apud Patres dicuntur cohortatorie magis quam dogmatice & vere.

Ita Hieronymus ad Nepotianum dicit, se in Epistola exhortatoria ad Heliodorum, pro aetate luisse, & calentibus adhuc rhetorum studiis, quaedam scholastico flore depinxisse. Et contra Iovinianum: Rhetoricum sumus, & in morem declamatorum paululum lusimus.

VI. Est & illud discrimen in Patrum scriptis obseruandum: quod aliquando priuatas speculationes & deuotiones exponunt, aliquando particularis alicuius Ecclesiae consuetudinem describunt, aliquando vero publica dogmata totius catholice Ecclesiae explicat. Et inter haec profecto, magnum est discrimen.

Vtilis est & haec obseruatio, quod aliter agunt & disputant cum infirmis fratribus, aliter cum robustis, aliter cum domesticis fidei, aliter cum haereticis, aliter cum philosophis, aliter cum principibus, quae singula exemplis possent ostendi.

VII. Multa tolerarunt, & saepe cefferunt temporum suorum consuetudini, etiam ubi vitij aliquid esse agnouerunt.

Ita Augustinus Epistola 119. Multa huiusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala deuitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa quae in diuinis libris saluberrime praecipita sunt, minus curantur, & tam multis praesumptionibus sic plena sunt omnia, &c. Ita vigilias & ἀγῶνας, ad se pulchra martyrum alicubi laudat Augustinus: sed de moribus Ecclesiae c. 14. & Epistolae 64. reprehendit, & vellet abrogari.

VIII. Eleganissima est Cypriani sententia libro secundo, Epistola tertia: Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos facendum putauerit: sed quid prior Christus, qui ante omnes est, fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Et ideo si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter hoc non obseruauit & tenuit, quid nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit: potest simplicitati eius, de indulgentia Domini venia concedi. Nobis ventura non poterit ignosci, qui nunc a Domino admoniti & instructi sumus: qui dum instruit in futurum, quid facere debeamus, de praeterito ignoscit, quod simpliciter errauimus, &c. Considerent hanc sententiam, qui semper in ore habent, se malle cum Patribus errare, quam cum aliis recte sentire. Recte etiam nostri dicunt. Patres si admoniti fuissent, multa correcturos fuisse. Interest enim (sicut Augustinus inquit) quam facile quis corrigat, vel quanta pertinacia suum errorem defendere conetur.

Postremo, quādo illæ siue mitigationes, siue cōmodæ interpretationes eorum, quæ non satis cōmode à veteribus dicta erant, non recipiebantur & admitterebantur, vel quando non poterant locum habere: Patres diserte improbarunt & damnarunt ea, quæ ad regulam Scripture non congruebant. Ita Augustinus de Cypriani & de omnium scriptis, liberrime pronunciat: sicut sententias eius supra recitauimus. Ita in Irenæo, Chiliastrarum sententia libere damnata est. Illa sententia, quod quidam saluati fuerint lege naturæ, quidam lege Moysis, quidam vero gratia Christi, extat apud multos vetustissimos Patres: sed Augustinus illam, vt Pelagianā, expresse damnat. Contra Donatistas illos qui Patrum errores amplectuntur, eo quod (sicut Quintilianus inquit) honestus error videatur, magnos duces sequentibus: dicit idem facere, ac si quis Petro similis esse vellet, negando Christū, vel cogendo Gentes ad Iudaisationem: vel si quis Dauidi affectaret similis esse, committendo adulterium.

Augustinus
de Cypriani
& aliorum
scriptis.

Quomodo Pa-
tres aliorum
Patrum nec
non sua scri-
pta legi vo-
luerint.

Ita ergo ipsi Patres aliorum Patrum scripta tractarunt, & sua etiam hoc modo legi & accipi voluerunt. Quam sententiā nos libenter probamus, amplectimur & sequimur: Aduersarij vero nostri Pontificij, quando contra ea quæ ex Scripturis demonstrantur, sententias aliquas ex Patribus, quomodo eunq; conuasaras, pro tuendis suis superstitionibus, proferrē possunt: volunt nos sine iudicio & recusatione, à Scriptura discedere, & sententiis quæ ex Patribus citantur, assentiri, etiam si nullo Scripture testimonio probentur. Et huius sententię, Staphylus & Lindanus Athanasium non verentur auctore facere. Citant enim mutilatum & truncatum eius dictū ad Episcopetum: Hoc solum hæreticis respondere & dicere sufficit, hæc non esse Catholicæ Ecclesiæ, neq; Patres ita sensisse. Vtq; facilius ad hoc Pontificiorū propositum torqueri possit Athanasij sententiā, Nannius interpres eam ita vertit: Tantummodo ad ea respondendū est, quod ipsum per se sufficit, Patres non ita sensisse, cum Græca verba simpliciter dicant: τὸ μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα, καὶ εἰπεῖν ἀρκεῖ. Sed insignem faciunt iniuriā Athanasio. Ad Episcopetum enim recenset prodigiosos quorundam errores, Verbum in corpus est cōmutatum, corpus Christi constituere quaternitatem in Deitate, corpus esse cōæternum & consubstantiale Deitati: & similia opinionum & verborū portenta. De illis vero dicit: Hæc nudis verbis tantū descripsi: vt qui solum audiat, sceditatem illorū & impietatem statim animaduertat. Quæ. n. manifeste praua peruersaq; sunt, ea curiosius tractare nō oportet, ne contentiosis hominibus ambigua videantur: sed hoc solum ad talia respondere & dicere sufficit, ea non esse Ecclesiæ Catholicæ, & Patres ita non sensisse. Ne vero ex solido silentio occasionem impudentiæ sibi sumant, paucas ex Scriptura sententias opponemus, &c. Quæ te Lector, conferas hanc integram Athanasij sententiā, cū mutila Pontificiorum allegatione: & statuas inde, quo candore Pontificij, tractent Patrum testimonia.

VII. GENVS TRADITIONVM.

Septimum genus traditionum est, quod vbi veteres mentionem faciunt traditionum non scripturam, proprie non intelligunt dogmata fidei sine Scriptura, extra & præter Scripturam recipienda, etiā si nullo Scripture testimonio probari pos-

sunt: sed de ritibus & consuetudinibus quibusdam vetustis loquuntur, quos propter antiquitatem ad Apostolos retulerunt. Ita Basilius vocat quidē dogmata sine scripto, ex traditione accepta: sed recēset, non articulos aliquos fidei, sed tantum ritus quosdā: Cruce signare: ad Orientem conuerti in oratione: verba ἐπικλήσεως, dum ostēditur panis Eucharistiæ, & quæ in celebratione Eucharistiæ ante & post verba institutionis recensentur: benedictio aquæ baptismatis, & baptizati, illinitio olei: trina immersio: abrenunciatio Satanae in Baptismo, confessio fidei. Origenes innumeras recenset genuflexiones in oratione, ritus Eucharistiæ & Baptismi. Hieronymus contra Luciferianos ex Textu recēset, Die Dominico & à Pascha vsq; ad Pentecosten non ieiunare, nec de geniculis adorare, prægustare lac & mel post Baptismum, oblationes pro defunctis, & pro natalitiis annua die, &c. Et de his quidē traditionibus, an singulæ & omnes sint Apostolicæ, in postremo genere traditionū dicemus. Nunc tantū ostendere volui, Patres quando de traditionibus non scriptis loquuntur, tantum de vetustis quibusdam ritibus disputare: non hoc agere (sicut Pontificij contendunt) vt multa dogmata fidei, quæ licet nullo Scripture testimonio probari possint, pari tamen reuerentia & pietatis affectu suscipiantur, sicut illa quæ certa & manifesta habent in Scriptura testimonia. Sicut igitur discrimen est inter doctrinam, & inter ritus: ita disputatio Pontificiorū, de traditionibus non est eadem cum illa quæ extat apud veteres. Et si prius de doctrina consensus cōstitueretur, de ritibus facile posset iniri ratio & concordia. Apostolos igitur ritus quosdam ordinasse & tradidisse Ecclesiis, ex scriptis ipsorum certo constat. Et verisimile est, quosdam etiam alios externos ritus, qui in Scriptura annotati non sunt, ab Apostolis traditos esse.

Basilius.

Origenes.

Hieronymus.

Nullum etiam dubium est, Ecclesiā post Apostolos, pro ratione ædificationis, ordinis & decori, alios quosdam ritus addidisse. Et nullis quidē certis & firmis documentis probari potest, qui sint ritus, certo ab Apostolis traditi, qui ex Scriptura ostendi non possunt. Possimus tamen habere certam Apostolicam rationem, de diiudicatione & vsu omnium traditionum, de ritibus seu ceremoniis externis, vnde eunq; sane originem suam habeant. Et hoc certius & vtilius est quam de autoribus incertas texere altercationes. Ne igitur traditiones de externis ritibus sine certa aliqua Apostolica regula, vel in ambiguo fluctuent, vel in infinitum vagentur: ex illis ordinationibus seu ritibus externis, quos Apostolos tradidisse, certo ex ipsorum scriptis cōstat, colliguntur certæ quædam regulę, secundum quas, de quibusuis ritibus seu ceremoniis, Apostolica ratione iudicari & debet, & potest.

I. Sunt quidam ritus, qui ex Scriptura ita probari possunt, quia continent vsum, exercitium, & vtilē declarationem eius doctrinæ, quæ in Scriptura diuinitus patefacta est. Ita 1. Cor. 11. Paulus ex institutione deducit, quomodo pie celebranda sit Cœna Dominica. Et ex doctrina Apostolorū, quæ Scriptura cōprehensa est, deductū est, 2. Thes. 3. de separandis illis qui inordinate viuunt, 1. Cor. 5. de excommunicatione, Act. 14. de constituendis ministris Ecclesiæ, &c. Et tales ritus merito amamus & retinemus: quales sunt confessio fidei, abrenunciatio Satanae, & alij ritus in actione Baptismi: qui doctrinam de Baptismo in Scriptura traditam vtiliter ad ædifica-

edificationem explicant & illustrant. Ita de abrogatione Sabbati, manifesta extant Scripturæ testimonia: & quod Apostoli prima Sabbati conuentus celebrarint, Scriptura nõ obscure indicat, *Act. 20. 1. Cor. 16.* Et *Apocalyp. 1.* extat appellatio diei Dominicæ. Ita ex doctrina de charitate proximi, & de infirmis in fide suscipiendis, Apostoli condiderunt decretum suum.

Tales etiam sunt illæ consuetudines Ecclesiasticæ, quas Augustinus existimat ex Apostolorum traditione originem habere: de baptizandis infantibus, de non rebaptizandis, qui Baptismum ab hereticis, secundum formam à Christo institutâ acceperant. Illæ enim consuetudines tradunt exercitiũ & vsum eius doctrinæ, quæ in Scripturæ testimoniis comprehensa est. Tales ritus quia vocentur Apostolici, non pugnamus: cum hoc modo, sicut dictum est, habeant in ipsa Scriptura testimonium.

II. Apostolicos ritus Paulus hisce notis insigniuit: vt scilicet omnia fiant decenter, ordine, & ad edificationem. Ita *1. Corin. 11.* ritum de velandis mulieribus, ostendit probabilem esse ex Scriptura: allegat consuetudinem, & ostendit seruire decoro. Ita *1. Cor. 14.* monstratur rationes ordinationis, de linguis, prophetia, Psalmis, oratione, &c. recenset edificationem, decorum & ordinem. Et tales sane ritus iudico retinendos & seruandos, qui sunt (sicut eleganter dictum est) incitamenta & retinacula pietatis: hoc est, iuxta Pauli regulam, qui primo faciunt ad edificationem, vt homines inuidentur ad verbũ, ad Sacramenta, & ad cetera pietatis exercitia: vt doctrina commodius proponatur, pluris fiat, auidius accipiatur, & melius retineatur: vtq; accendatur & foueatur pœnitentia, fides, oratio, pietas, misericordia, &c. Secundo, qui seruiunt ordini. Oportet enim in publicis Ecclesiæ congressibus, esse ordinem dignum grauitate Ecclesiastica.

Tertio, qui ad decorum faciunt. Intelligitur autem *δὲν ἡμιουσία*, non theatra pompa, siue aulica magnificentia: sed tale decorum, vt externis ritibus ostendatur, quid tribuamus verbo, Sacramentis, & reliquis Ecclesiasticis exercitiis, vtque reliqui ad reuerentiam verbi, Sacramentorum, & congressuum Ecclesiasticorum inuidentur.

III. Ritus Apostolicos moderatur Christiana libertas: vt scilicet ceremoniæ sint genere indifferentes, numero paucæ, sint piæ & vtilis, ad edificationem, ordinem & decorum: vtq; totum hoc genus, extra casum scādali, liberas habeat obseruationes: & pro ratione edificationis, loci, temporum, personarum, &c. possint institui, mutari & abrogari. Ita Apostolorum constitutio de suffocato & de sanguine, iam dudum in vfu esse desit. Causa enim propter quam facta fuerat, nõ amplius tunc est. *1. Cor. 11.* Paulus ordinat, vt viri aperto capite orerent & prophetent: mulieres vero velato capite. Et illud sumit ex circumstantia locorum & temporũ. Tunc enim in illis locis, viri aperto capite, mulieres, serui & libertini, velato capite prodibant in publicum: sicut autor est Plutarchus in *Problem. Rom.* Et indicium autoritatis erat, aperto capite loqui: sicut e contra, velatum caput testimonium erat subiectionis. Nonstris temporibus & locis contrariũ seruatur. Aperto enim capite dicere, vel audire, est testimonium subiectionis: signum vero autoritatis, est capite nõ aperto dicere. Ita trina immersio, prægustatio, lactis & mellis, stationes in orationibus die Dominico & intra Pascha & Pentecostæ: iam dudum in ne-

cessario vfu esse desierunt. Natalicia verò, quorum Tertullianus mentionem facit, Nicena Synodus libere abrogauit. Nulla verba peculiaria nõ habent, ne Pontificij quidem, quando panis Eucharistiæ consecratus ostenditur: quos tamẽ ritus veteres existimant ab Apostolis traditos. Ecclesia igitur libertatem suam, in huiusmodi traditionibus ipso facto declarat. Doctrina enim vniuersalis & perpetua est, ritus vero pro circumstantiis mutari libere possunt.

Colliguntur præterea etiam ex Apostolorum scriptis, certæ regulæ, quando & docendo, & exemplis aduersandum sit huiusmodi traditionibus de ritibus: quando scilicet statuuntur quædam quæ pugnant cum verbo & mandato diuino, *Matthæi 15.* Vel quando ritibus suo genere adia photis, assuuntur opiniones cultus, meriti & necessitatis; etiam extra casum scādali. Pertinet etiam huc, quod Augustinus queritur *Epist. 119.* Ipsam religionem, quæ paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis, misericordia Dei liberam esse voluit, seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit Iudæorum conditio, qui legalibus sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciebantur.

Hæc est vere Apostolica ratio iudicandi de huiusmodi traditionibus: & est certior & vtilior, quæ de incertis disputare: quæ scilicet traditiones à quibus Apostolis, quo tempore, quo loco, &c. sint traditæ: de quibus nullum ex Scriptura documentum proferri potest.

Nos igitur non simpliciter omnes traditiones quæ huius sunt generis, reiicimus & dānamus. Illud enim quod Hieronymus Lucinio scribit, non improbamus, traditiones scilicet Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non sufficiunt, ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt. Et quod Augustinus dicit: Quod neq; contra fidem, neq; cõtra bonos mores iniungitur, indifferenter esse habendũ, & pro eorum inter quos viuunt societate seruandum. Hæc verò iuxta Apostolicas regulas, quas ex Scriptura colligimus, intelligi volo. Nam & August. *Epist. 119.* de quibusdam ritibus refecandis disputat: licet non facile inueniri possit, quomodo sint contra fidem: tamen quia multitudine, & necessitatis præsumptione Ecclesiam premant, abrogandos esse.

OCTAVVM GENVS TRADITIONVM.

Postremum genus traditionũ constituemus illud, de quo Pontificij potissimum digladiantur. Illa enim distributio traditionum, in certa aliquot capita seu genera ideo institui: vt disputatio de traditionibus, quæ Pontificij studiose, affectatis cõfusionibus perplexa reddunt, simplicius & clarius intelligi possit, vtq; veterum sententiæ, quæ non vno modo de traditionibus loquuntur, rectius diiudicari & explicari possent. Pontificij enim, cum multis dissimilib. vetustissimorum scriptorũ sententiis, speciem aliquam & prætextum, imo facum potius disputationi suæ cõciliant. Sophisticum autem est, quod omnes traditiones quæ nõ sunt vnius generis, ex vna fidelia (sicut Proverbium habet) dealbant: vt fraudem simpliciores non animaduertant. Et iudico non esse simpliciore ratione, quæ tota hæc disputatio explicetur, & Pontificiorum obiectiones solide refutentur, quæ si distinguantur traditiones, de quibus veteres magnifice loquuntur, ab illis pro quibus Pontificij digladiantur. Ostendimus

dimus enim hactenus aliquot genera traditionū, quas veteres ita vocant, quæ habent Scripturæ testimonia, & illis sunt consentaneæ. Illa igitur quæ veteres de istis traditionib. magnifice prædicant, sicut nihil contra nos, qui ea quæ Scripturæ consentanea sunt, libenter recipimus, pugnant ita Pontificiorum institutum, de stabiliendis iis quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, prorsus nihil, si vera explicatio monstretur, iuuare possunt.

Iam vero ingredimur illum locū, qui proprius & peculiaris est Pontificiorum, da traditionib. scilicet, tam ad fidem, quam ad mores pertinentibus, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt: quas tamen pari reuerentia, & pietatis affectu, Synodus Tridentina suscipiendas & venerandas imperat, sicut ipsam Scripturam. Et ex illo loco sicut primū progressi sunt, ita hodie etiā defenduntur corruptelæ, abusus, superstitiones, & quicquid ad regnū Antichristi pertinet. Quæ enim magis cōpendiaria posset excogitari licetia, quiduis libere & impune fingēdi in Ecclesia, quam si ad omnia vel firmissima & clarissima argumenta, ex Scriptura nudus traditionum titulus, tanquam Gorgonis caput ita obuertatur, vt fas non sit ultra querere, si dicatur esse traditio? In oratione Tatiani ad Græcos, idolū quoddam vocatur ἐπιτομή της διαμονίας epitome superstitionis: nos vero Pontificiorum disputationes de traditionibus, rectius possumus vocare non epitomen, sed pandectas errorum & superstitionum.

Insignis omnino audacia est, maiestati & auctoritati Scripturæ Canonice aliquid æquare. Conciliū autem Tridentinum, traditionibus sine scripto, tū ad fidem, tum ad mores pertinentibus hoc tribuit, vt pari pietatis affectu & reuerentia suscipiantur, sicut ipsa sacra Scriptura. Quid vero?

Num forsan Concilium intelligit tales traditiones, sicut veteres, quæ in Scriptura continentur, & eius perspicuis testimoniis probari possunt? Nihil vero minus. Sed Andradius dicit, necessario credēdas illas etiam traditiones, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt. Et ne Lector hæset quid velint, clare & diserte se explicant, quas intelligant traditiones. Petrus à Soto his verbis vitur: Infallibilis est regula, & Catholica: Quæcūq; credit, tenet & seruat Romana Ecclesia, & in Scripturis non habetur illa ab Apostolis esse tradita: item, quarū obseruationū initium, autor & origo ignoretur, vel inueniri nō potest, illas extra omnem dubitationem ab Apostolis traditas esse. Et in specie has traditiones enumerat: Oblationē sacrificij altaris, vñctionē chrisimatis, inuocationem sanctorū, merita operum, primatū Romani Pontificis, consecrationē aquæ in Baptismo, totū Sacramentum cōfirmationis, elementa, verba & effectus Sacramēti ordinis, matrimonij, & extremæ vñctionis, orationes pro defunctis, enumerationē peccatorū Sacerdoti faciendam, necessitatē satisfactionis. Hæc sunt A soti verba: quæ ideo adscripsi, vt Lector videat non de adiaphoris, sed de rebus lōge grauissimiscōtrouersiam esse in hac disputatione de traditionibus. Habemus igitur descriptionem, nō inuidiose à nobis exaggeratam, sed ipsorum verbis nobis traditam: quales scilicet intelligere debeamus traditiones, quas volunt nos pari pietatis affectu & reuerentia suscipere & venerari, sicut ipsam Scripturam Canonicam. Pertinent autem ad A soti enumerationem infinita alia: vt mutilatio Cœnæ Dominicæ, cœlibatus Sacerdotū, delectus ciborum, purgatorij, nun-

diatio indulgentiarū, cultus imaginum, legendæ Sanctorum: & in summa, quicquid credit, tenet & seruat Romana Ecclesia, quod nullo Scripturæ testimonio probari potest, credendū est ab Apostolis traditum esse. Breue sane, & facile est hoc compendij. Clamitant à multis iā annis totius orbis iustissime querere, regnū Pontificiū multas corruptelas, abusus & superstitiones inuexisse in Ecclesiam: petunt, in legitimo Cōcilio grauissimas has cōtrouersias ex verbo Dei diiudicari & definiri. Sed ecce, Pontificij sonora voce profitentur, multa quæ credūt, tenēt & seruāt, nullo se Scripturæ testimonio probare posse. Corrigrine igitur volunt ea, quæ ad Canonem sacre Scripturæ non congruunt? Nihil minus. Sed opponūt *ἀντιμα*, siue postulatū, sicut Geometræ loquuntur, ad cuius probationē nolunt obligati esse: Quæcūq; scilicet ea quæ nūc est Romana Ecclesia, credit, tenet & seruat, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, certo statuendū esse, quod sint ab Apostolis tradita. Et mox Tridentinum Conciliū addit vocem suam decisiuam: Traditiones sine scripto, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipiendas ac venerandas esse, sicut ipsam sacram Scripturam. Tam breui & leui velitatione cōclamatum & debellatum est in Synodo Tridērina, de grauissimis horum temporum cōtrouersijs: sicut Episcopus quidam Gallus, in exordio Concilij exclamauit: Venimus, vidimus, vicimus.

Non autem ordine de singulis, quæ titulo Traditionum Ecclesiis obtruduntur, & quos sibi fingant autores, dicemus: erudite enim & copiose hoc præstitum est ab aliis: sed generales quasdam obseruationes annotabimus, id quod eo breuius fieri potest. In illis enim quæ hactenus exposuimus, fundamenta sunt totius huius disputationis.

Et primo obseruetur, quam periculosum sit Ecclesie, & quā perniciosum fidei, traditiones de dogmatibus, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, pari pietatis affectu & reuerentia suscipere & venerari, sicut illa quæ certis & perspicuis Scripturæ testimoniis traduntur & probantur. Supra enim multis ostēdimus, viuentib. adhuc in carne ipsis Apostolis in Ecclesijs, in ipsorum absentia, puritatē doctrinæ nō semper fuisse per traditiones sine scripto fideliter cōseruatā: sicut ostendunt Ecclesie Corinthiorū & Galatarū. Pseudoprophetæ etiā viuentib. adhuc Apostolis, multas fingebant corruptelas, sub hoc prætextu & titulo quasi ab Apostolis viua voce essent traditæ: sicut supra ostendimus. Et propter hanc ipsam causam, Apostoli doctrinam suā cœperunt literis cōprehendere, & Ecclesijs cōmēdare: id quod supra multis & euidenter mōstratū est. Paulus etiā monet Ecclesias, ne sinant se turbari & decipi, sub titulo & prætextu traditionū. Et illam admonitionem ponit, cum primū inciperet scribere. 2. Thes. 2. Ne cito dimoueamini à mente, neq; turbemini vel per spiritū, vel per sermonem, vel per Epistolam, tanquā à nobis profectā. Reperit etiā illam admonitionē, cum ex vinculis scriberet Colossensibus. Videte, ne quis vos seducat per inanem deceptionem, secundum traditionem hominū, Petrus etiam cum imminente fine vitæ suæ, postremam scriberet Epistolam, prædicat futuros falsos Doctores, qui fictis sermonibus, negociaturi sint in Ecclesia. Et non vanas fuisse illas Apostolorum de traditionibus prædicationes & admonitiones experientia ostēdit. Statim enim post Apostolorū tempora, cum adhuc in recentissima memo-

Abusus & superstitiones ex traditionibus.

Quismodi Traditiones Tridentini suscipiant.

Tridentini de Traditionibus.

Pauli præceptum de Traditionibus.

ria esset, quæ fuisset Apostolorum doctrina, heretici sub prætextu & titulo traditionum non scriptarum, cœperunt peregrina dogmata Ecclesiis obtrudere. Irenæus enim li. 3. c. 2. inquit. Cum ex Scripturis arguuntur, in accusatione conuertuntur ipsarum Scripturarum, quia non possit ex his inueniri veritas ab his qui nesciant traditionem: non enim per literas traditam illam, sed per viam vocem, sicut Paulus dicit, sapientiam inter perfectos. Et li. 1. dicit, Carpocratianos noua sua commeta, hoc prætextu defendisse, quod scilicet Iesus talia priuatim Apostolis in mysterio locutus fuerit, & Apostolos illa tradidisse, non omnibus, sed dignis tantum.

Tertullianus de præscriptione aduersus hæreticos dicit, ipsos cum ex Scripturis cõmentis sua probare non possent, sed inde refutarentur, duo prætendisse: vel Apostolos non omnia scisse, quia Christus dicit: Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis ea modo sustinere: vel Apostolos quidem nihil ignorasse, non autem omnia illos omnibus reuelasse: quædam palam & vniuersis, quædam secreto & paucis demandasse. Ideo cõtendebant, illa etiam quæ sine Scriptura, præter & contra Scripturam, quasi viua voce tradita proponebantur, suscipienda esse. Sed hoc commentum egregie refutat Tertullianus: Dominus enim præcipit, vt si quid in tenebris & in abscondito audissent, in luce & in rectis prædicarent, lucernam non sub modio absconderent, sed super candelabrum constituerent. Et addit: vt maxime inter domesticos quædam differerint: non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diuersam & contrariam illi, quam catholice in medium proferebant. Irenæus allegat illud Pauli, Non subtraxi vobis, vt non annunciarem omnem sententiam Dei. Et addit. Ita & Lucas, sine inuidia quæ didicerat tradidit, inquit: Sicut tradiderunt nobis qui ab initio, &c. Hæc Irenæus. Quia vero nullum ei at dubium, Apostolos multa tradidisse viua voce, ne ideo fingerentur dogmata alia, diuersa & contraria illis quæ in Scriptura extant: Irenæus & Tertullianus ostenderunt, veras Apostolorum & Apostolicorum traditiones non esse alias diuersas & contrarias, sed omnino consentaneas Scripturæ: sicut in præcedentibus hæc demonstrata sunt. Hoc vero loco, paucis illa repetenda fuerunt: vt ostenderetur, antiquam & frequentem esse viam per traditionum falere nomen. Apostoli enim hoc prædixerunt, & Ecclesias præmonuerunt. Historiæ primitiue Ecclesiæ hoc ostendunt, quæ etiam subministrant solutiones ad prætextum illum: quia Apostoli, viua etiam voce multa tradiderunt, ideo non omnia ex Scripturis sumi & probari posse, quæ credenda sunt. Irenæus enim dicit, ea quæ Polycarpus ex traditione commemorare solitus fuerit, non fuisse diuersa, nec contraria, sed πάντα σύμφωνα τῆς γραφῆς, omnia consentanea Scripturis sacris.

Ita sequentes etiam hæretici, pallium traditionum corruptelis suis induerunt. Eusebius li. 5. ca. 28. recitat, Artemonem de doctrina sua, quasi antiqua, gloriatum esse. Maiores enim omnes, ipsos etiam Apostolos, ita sensisse & docuisse. Sed reclamant ipsi, inquit Eusebius, primum diuine Scripturæ: deinde antiquiora fratrum scripta. Clemens Stro. 7. dicit Basilidẽ gloriatum, se Glaucia quodam, qui fuerit inter pres Petri, magistro vsu: Valentinum audiuisse Theodatũ, Pauli familiarẽ: Marcionistas gloriatos se Matthiæ discipulos habuisse magistros, & ab ipsis

traditam doctrinam se tenere & producere.

Athanasius oratione 2. contra Arrianos, recitat exordium scripti Arrij, cui titulus fuerit *δαλῆδ*, tale fuisse: Ex electis Dei secundum fidem, peritis Dei, rectigradis, qui sanctum & Dei spiritum acceperunt, ita didici ego. Cum igitur tempore ipsorum Apostolorum, & postea tempore primitiue Ecclesiæ, sanæ doctrinæ, & sinceræ fidei Apostolorum semper periculum fuerit, structis insidiis ex prætextu & titulo traditionum non scriptarum: prudens Lector facile æstimare potest, qualis sit Pandoræ pixis omnis calamitatis in Ecclesia, quod Tridentinum Concilium statuit, Traditiones non scriptas, tam ad dogmata quam ad mores, pari pietatis affectu & reuerentia suscipiendas & venerandas esse, sicut ipsam Scripturam. Versamur enim nunc in postremis temporibus, de quorum horrendis periculis, præcipue quoad doctrinam & fidem, Christus & Apostoli, tristissima vaticinati sunt. Reprobam igitur mentem esse oportet, quæ relicta clarissima Scripturæ luce, tenebris incertarum traditionum fidem suam concedere, his periculosis temporibus persuaderi potest. Nos vero tutissimum consiliũ Chrysostomi sequemur, qui inquit, sicut integram sententiam supra annotauimus: Sciens ergo Dominus, tantam confusionem eorum in nouissimis diebus esse futuram: ideo mædat, vt Christiani qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere veræ fidei, ad nullam rem fugiant, nisi ad Scripturas: alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur, & peribunt. Opponimus etiam Hieronymi sententiam, qui in primo capite Aggæi inquit: Alia etiam, quæ absque autoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei.

Secundo obseruandum est & hoc: non tantum hæreticos seductos, alios seduxisse, prætextu & titulo traditionum non scriptarum: verum etiã excellentes in Ecclesia viros, qui non fuerunt mali, deceptos tamen fuisse, cum præter Scripturam traditionibus non scriptis nimium tribuerent. De Papiæ, qui Ioannis auditor, & Polycarpi condiscipulus fuit, Eusebius lib. 3. ca. 39. memorabile huius rei exemplum annotauit. Præfatur Papias, se ab iis qui Apostolis familiares fuerunt, ea quæ fidei sunt, accepta bene didicisse, & recte memoriæ mandasse. Et addit: Non sum delectatus illis qui peregrina præcepta commemorant, sed his qui quæ vera sunt docent, & quæ à Domino fidei nostræ sunt tradita, & ab ipsa profecta sunt veritate, adferunt. Sic ubi quispiam venit, qui seniorum sectator fuerat, seniorum verba exquirebam: quid Andreas, quid Philippus, quid Thomas, vel alius quispiam ex discipulis Domini dixerit: Magnifica sane hæc est traditionum Papiæ commendatio. Et consideret Lector hæc Papiæ verba: Cogitabam me non tantum vtilitatis ex libris, quantum ex viua voce relaturum. Vides Papiam Scripturæ præferre traditiones: ideo etiam potissimum de illorum Apostolorum traditionibus exquisiuit, quorum nulla scripta extant. Et sane si cui alij, certe Papiæ de Traditionibus non scriptis fides esset adhibenda. Sed audi quid Eusebius dicat: Multa paradoxæ & alia quædam Papias *ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγίων*, tanquam ex traditione non scripta ad se relata adiecit: & peregrinas quasdam Seruatoris parabolas ac doctrinas, cum aliis nonnullis fabulosis, in quibus etiam est Chiliastica opinio. Et rationem addit Eusebius: ipsum Apostolicas disputaciones

Athanasius.

Deceptiones ex traditionibus.

tiones non recte accepisse, nec rite cōsiderasse, eo quod admodum modico fuerit iudicio prāditus. Hic mihi Lector paulisper se colligat, & inter se cōferat duos Apostolorum siue Apostolicorum *συμφορῆταις*, Polycarpum scilicet & Papiam, quorum uterque affirmat, se solam eam veritatem quam ab Apostolis acceperant, tradere. Sed Polycarpus sanam fidei regulam tenet. Quæ enim ex traditionibus cōmēmorat, sunt *πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς*, omnia consentanea Scripturis sacris: sicut Irenæus inquit apud Euseb. li. 5. c. 20. Papias vero, quia plus tribuebat traditionibus non scriptis, quam libris sacris, inuexit in Ecclesiā *ξένας διδασκαλίας, καὶ μυθικότερα ἢνᾶ*, peregrina dogmata, & quæ quodammodo fabulosa erant. Ita bonum & Apostolicum virum Papiam, decepit nimia traditionum non scriptarum admiratio: cum quidem illis, plus quam Scripturis tribueret. Polycarpum vero *συμφωνία* traditionum cum Scripturis in via regia retinuit. Ita Eusebius li. 3. ca. 37. dicit, multos discipulos, in primo gradu Apostolicæ successione, opus Euangelistarum perfecisse: hoc est, illis, qui de doctrina fidei nihil dum prorsus audierant, Christum prædicasse, ac *Διuinorum Euangeliorum tradere scripturam*, magno studiositate fecisse. Tales tunc fuerunt veræ traditiones.

Non autem solum Papiam admiratio traditionum nō scriptarum dicitur, sed sicut Euseb. dicit, quam plurimis post se Ecclesiasticis viris, Chiliafici erroris causam dedit. Et rationem addit Eusebius, *τὸ ἀρχαῖότητά τῷ ἀνδρὶ προσεβλημένοις*, quia, inquit, prætulerunt antiquitatem illius viri. Admiratio igitur traditionum nō scriptarum, & prætextus antiquitatis, extra, præter & contra Scripturam, à sana fidei regula seduxerunt bonos etiā & præstantes in Ecclesia viros. Chiliaficam enim opinionem ex traditione quasi Apostolica amplexi sunt Irenæus, Apollinarius, Tertullianus, Victorinus & Lactantius: sicut annotauit Hieronymus. Et illud factum est primis & florentissimis Ecclesiæ tēporibus. Quid igitur postremis hisce & miserrimis senescētis Ecclesiæ temporibus futurū existimas Lector, si recipiatur Decretum Tridentinæ Synodi de traditionibus non scriptis, pari reuerentia & pietatis affectu suscipiendis, sicut ipsam sacram Scripturam?

Vnum adhuc exemplum, quod valde illustre est, attexam. Clemens Alexandrinus in tota antiquitate habitus fuit vir celeberrimus. Ita commemorat li. 1. Strom. se audiuisse multos beatos viros, qui maximi fuerunt precij, ex Græcia, Cœlo Syria, ex Aegypto, ex Oriente. Et præcipue celebrat vnum, quem in Palæstina Hebræum audierit. Illum Andradius intelligit Papiam fuisse. Et addit Clemens: Qui verā beatæ doctrinæ seruabant traditionem, statim à Petro, Iacobo, Ioāne, Paulo acceptam, ad nos quoque Deo volente accesserunt, illa à maioribus data, & Apostolica deposituri semina. Item inquit: Proccedit nobis speculatio, ex gloriosa & veneranda traditionis regula. Et hic exclamat Andradius: Quid opuserat Clementem tanta animi cōtentione, ista vel inquirere, vel literis commendare, si omnia sacris literis forent comprehensa? Et sane non nego, Clementem singulari studio & admiratione audiuisse, quot quot profitebantur se alia quædam, præter illa quæ scripta sunt ab Apostolis & viris Apostolicis tradita accepisse. Ideo enim dicit operariū, qui in messem Domini emittitur, duplicem habere agriculturam, *ἀγραφοὺν καὶ ἔγγραφον*.

Sed audiamus quædam, quæ Clemens ex tradi-

tione illa nō scripta se accepisse dicit. Ponit autem primum illud Axioma, quare non contentus sit Scriptura, sed præter illam quærat alias traditiones de dogmatibus fidei: quia scilicet Dominus nō reuelauit multis, ea quæ non erant multorum, sed paucis quibus sciebat conuenire. *ἀπόρρητα* vero, inquit, verbo creduntur non scripto. Item, Mysteria traduntur mystice.

Et libro 5. extat longa disputatio. Sicut Philosophi quædam arcana de suis dogmatibus ita occultarunt, ut non essent manifesta omnibus, quædam enim vocarunt *ἐξωπεικῆ*, quædam *ἰσωπεικῆ*: & sicut Plato dicit, maximam cautionem esse, non scribere, sed discere: quæ enim scripta sunt, in vulgus exeunt: ita Apostolum etiam conseruātem antiquam illam occultationem, dicere: Sapientiam loquimur inter perfectos. Item inquit: Paucorum est, hæc capere. Ideo in Euangelio quodam præcepit Dominus: *Mysterium meum mihi, & filiis domus meæ*. Hæc verba si quis conferat, deprehendet plane illa ipsa esse, quæ supra annotauimus ex Irenæo, lib. de Carpocratianis, & lib. 3. de Valentinianis: item ex Tertulliano, de præscriptione aduersus hæreticos. Hoc enim prætextu, traditiones statim post tempora Apostolorum cœperunt Ecclesiæ obtrudi. Et illa quidem sententia in hæreticis ab Irenæo & Tertulliano grauiter repressa fuit. Mansit tamen & hæsit opinio, etiā in posteris, sicut in Clemente, Christum & Apostolos, quædam (sicut Tertulliani hæretici loquuntur) palam & vniuersis, quædam vero secreto & paucis tradidisse: & hanc esse originem traditionum, præter Scripturam. Valde multus etiam est Clemens, in commendando quodam peculiari genere Gnosticorum: quorum hanc tradit descriptionem li. 6. Cognitio quæ verum Gnosticum facit, illa est, quæ per successionem ad paucos ex Apostolis, absque scripto tradita peruenit, &c. Damna quidem fuit ab Ecclesia Gnosticorum hæresis, quæ à perfectiori sententiæ opinione, ex commentitiis traditionibus originem habuit: sed tamē propter admirationem traditionum non scriptarum, seminaria quædam de cognitione perfectiori quam quæ in Scripturis traditur, hæserunt in magnis & eruditis etiam viris in Ecclesia.

Quæ vero sunt illa, quæ Clemens ex secreta seu mystica illa paucorum traditione accepit? Recitabimus quædam: unde de reliquis, quæ ipse fatetur talia fuisse, quæ timuerit conscribere, iudicium fieri possit.

Libro primo Stromatum inquit, se in illis suis ex traditionibus contextis commentariis, doctrinam celestis veritatem velle admiscere Philosophiæ decretis: quia sicut lex Iudæis paedagogia fuit in Christum, ita & Græcis philosophia. Et postea addit: Per se quoque aliquando Græcos iustificabat philosophia. Multæ enim sunt viæ ad vitam. Et postea contendit, legem etiam procurare salutem, & facere iustos ex iniustis, si quis velit audire. Atqui hæc manifestissime pugnant contra scripta Pauli. Sed Clemens excipit esse mysteria, quæ nō palam & vniuersis, sed secreto & paucis tradita fuerunt ab Apostolis. Tertullianus vero ex professo hoc refutat, verba ante annotauimus.

Recitat etiam libro primo traditionum, quod Christus vno solo anno prædicarit. Hanc vero traditionem Irenæus libro 2. capite 39. tribuit hæreticis: & ipse opponit aliam traditionem, quam affirmat, seniores à Ioanne Apostolo, & ab aliis etiam

Traditiones
Clementis.

Papias decipit
prætextu
traditionum.

Andradij ob-
sectio.

etiam Apostolis accepisse: Christum scilicet non multum abfuisse à quinquagesimo ætatis anno, cum crucifigeretur. Sed & hæc Irenæi traditio, communi Ecclesiæ sententia reprobata fuit. Potest enim ex Euangelio Ioannis, & ex Actis Apostolorum ostendi, quod non sit vera. Ita boni etiam viri in Ecclesia, nimia admiratione traditionum non scriptarum decepti fuerunt.

Sed pauca quædam alia ex Clementis traditionibus adiiciemus. Libro 2. Strom. dicit, Apostolos post mortem etiam mortuis prædicasse, qui cum Apostolis in aquam descenderunt, & inde rursus viuificati ascenderunt. Ibidem, secundam tantum concedit pœnitentiam lapsis.

Libro 3. dicit. Dicit Paulus secundas nuptias ex venia concedere: non enim peccant contra legem, non tamen implent perfectionem Euangelicam.

Libro quarto, Siue hic siue alibi agatur pœnitentia: nullus enim locus vacat misericordia Dei. Et ideo inquit libro 6. Fortè cessabunt supplicia post hanc vitam.

Libro sexto multis contendit, Græcos per Philosophiam saluatos. Et Apostolos Euangelium annunciasse impiis apud inferos, vt non maneat in damnatione, qui in vita non potuerint audire Euangelium, sed conuertantur. Contendit etiam, non inhærendum literæ Scripturæ, sed quærendam allegoriam, ita vt etiam Decalogum in varias transformet allegorias.

Libro septimo: Virgines prudentes dicunt Deo: Nihil prætermisimus eorū quæ præcepisti, quamobrem promissa quoque petimus. Et ad illam sententiam accommodat, quod athleta quidam, cum longo tempore corpus exercuisset, ascendens ad Olympia, cum Pisani Iouis aspexisset statuam: Si omnia, inquit, ô Iupiter, mihi rectè parata sunt ad certamen, iuste mihi redde victoriam.

Ibidem disputat, perfectum non debere irare. Et Christianos non posse contendere iudicio, nec coram Gentibus, nec coram Sanctis. Possem similia valde multa ex libris Clementis recitare de peccato originis, de libero arbitrio, de apathia, de perfectione, de fide, de salute, &c. quæ a regula Scripturæ procul discedunt: Sed pauca hæc capita, quæ ne ipsos quidem Pontificios probaturos arbitror, annotare volui: vt ostenderem, quomodo bonis etiam & magnis in Ecclesia viris, titulus, prætextus & admiratio traditionum non scriptarum, quarum origo referebatur ad illos qui p̄fitebantur se Apostolos audiuisse, imposuerit: ita vt sæpe ad peregrinas planè doctrinas declinarint, id quod de Clemente negari non potest. Magnifica verò illa traditionum Clementis encomia, etiam Origeni, & aliis post ipsum, opiniones illas instillarunt. Sed in Origene & in aliis postea multa secundum Scripturæ regulam damnata sunt, quæ Clemens tanquam traditiones Apostolicas acceperat: vt de Philosophia, & de lege saluante: de vnica tantum, post susceptam fidem, pœnitentia: de conuersione & pœnitentia post mortem: de cessatione suppliciorum æternorum: de perfectione, de libero arbitrio, &c.

Et si quis libros Stromatū Clementis rectè consideret, deprehendet, titulo & admirationi traditionum præter Scripturam deberi quod tempore Origenis, & postea apud quosdam doctrina Ecclesiæ à puritate & simplicitate Apostolica degenerauit, ad mixturam & transformationem philosophicam.

Origenes in libros *περὶ ἀρχῶν*, vbi præcipua ca-

pita doctrinæ Ecclesiæ explicare conatur, ita præfatur: Cum multi sint, qui se putent scire quæ Christi sint, seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsq; ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione, &c. Magnifica est præfatio: & quod dicit se illa ex traditione accepisse, iudico ipsum dicere quod sensit. Doctrinam enim suam acceperat à Clemente Alexandrino: qui traditiones illas, ab iis qui p̄fitebantur se Apostolos & Apostolicos audiuisse, acceperat. Ita Origenes censet esse Apostolicas traditiones. Sed qualis sit doctrina in libris *περὶ ἀρχῶν* Origenis, & per se manifestum est, & notum est Hieronymi iudiciū de illis ad Auitum Pammachium & Oceanum, & alibi dogmata eius vocat venenata. Et illi scilicet sunt fructus talium traditionum.

Quod si optimis illis primitiæ Ecclesiæ temporibus, prætextus & admiratio traditionum non scriptarum, potuit præstantissimos viros à sana & simplici fidei regula, ad peregrinas opiniones adducere: certè his exemplis monemur cauere fermentum Decreti Tridentini de traditionibus non scriptis, pari pietatis affectu suscipiendis, sicut ipsam factam Scripturam. Lector inter se conferat Papiæ, Clementis, & hæc nostra postrema tempora, & res non erit obscura. Per titulum igitur, prætextum & admirationem traditionum præter & contra Scripturam, & decepti sunt, & deceperunt alios, cum hæretici, tum magni etiā, & non mali in Ecclesia viri. Opus est ergo certa regula, ad quam exigatur, si quid nomine traditionis proponitur. Sed quæ illa regula sit, postea dicemus. Absoluemus enim prius reliquas obseruationes de origine traditionum, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt.

Tertia obseruatio est, quod veteres quidam ex apocryphis, siue adulterinis scriptis, multa sub titulo traditionum citarunt. Et hæc obseruatio multa illustrabit. Papias & Clemens ab illis qui p̄fitebantur, se vel Apostolos, vel Apostolicos audiuisse, traditiones suas acceperant. Qui verò postea secuti sunt, cum non possent allegare vel Apostolos vel Apostolicos quos audiissent, & tamen admirarentur traditiones, alio prætextu illas ad Apostolos retulerunt. Et ad hanc rem, occasionem præbuit Lectio scriptorum apocryphorum, hoc est, adulterinorum. Suprà enim diximus, quod Ecclesia salubri diligentia tres ordines distinxerit, scriptorum de doctrina Christi & Apostolorum. In primo ordine erant legitima, certa & testamentaria scripta, sicut Eusebio vocantur. Secundus ordo habebat scripta, de quibus quædam erant dubitationes: quæ tamen ad edificationem plebis legi volebant. Tertius ordo erat scriptorum, quæ adulterina, supposititia, ficta & falsa habebantur. Cum igitur tertij ordinis scripta, simpliciter essent reiecta & improbata: multi tamen illa priuatim inspiciebant & legebant: & paulatim cōcipiebatur opinio, fieri posse quod talia, aut quædam saltè ab Apostolis essent tradita: Quæ igitur ex apocryphis seu adulterinis illis scriptis citabant, illa incipiebant ornare titulo traditionum. Non fingo hæc: exempla enim sunt manifesta, quibus id quod dico, ostendi potest.

Clemens enim Alexandrinus, talia multa ex apocryphis citat, quibus peregrina dogmata stabilire conatur. Vt libro 2. Stromat. ex libro Pastoris Hermæ, probat Apostolos etiā post mortem prædicasse illis qui antea in infidelitate mortui fuerant, &

Clemens Alexandrinus.

illos conuersos uiuificasse. Lib. 5. probaturus arcana quædã fidei occultata, & non omnibus Christianis manifestata, citat ex apocrypho quodã Euangelio: *Mysterium meum mihi & filiis domus meæ.*

Lib. 6. ex apocryphis Petri & Pauli probat, Græcos per Philosophiam saluatos. Ibidem, ex pastore Hermæ probat, in Scriptura discedendũ à litera, & quærendas allegorias: & quidẽ ita, vt ipse Decalogus in varias allegorias trãsformetur. Et li. 3. dicit, Tatiani sectatores coniugiũ damnassee, citatis sententiis quibusdã Christi, ex Euangelio secundum Ægyptios: *Veni ad dissoluendũ opera scemine. Itẽ, Quamdiu vos scemine paritis, mors vigebit, &c.*

*Origenes.
Basilium.*

Origenes & Basilium dicunt, traditionem esse, Zachariam illum, qui Matt. 23. occisus dicitur inter templum & altare, fuisse patrem Baptistæ: sed hoc in apocrypho proteuangelio Iacobi scriptum est. Tertullianus & Basilium dicunt esse Apostolicam traditionem: crucis signo digitis in aere formato, omnia signare: sed hoc sumptum est ex Euangelio Nicodemi. Ibi enim Charinus & Lenthius resuscitati, digitis faciunt signaculũ crucis in linguis. Et Christus in inferno facit signũ crucis supra Abraham & sanctos. Latroni etiam dat signum crucis in manu, & inquit: *Si cultos Paradisi noluerit reintromittere, ostende illi signum crucis.* Augustinus Epist. 99. ad Euodiam: *Quod Christus Adamũ in inferno soluerit, Ecclesia ferẽ tota consentit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, vnde cunq; hoc traditum sit, etiam si Canonicarũ Scripturarum hinc expressa non proferatur autoritas: addunt quidam, hoc beneficiũ aliis etiam Patriarchis & Prophetis fuisse concessum: vt cum Dominus in infernum venisset, illis doloribus soluerentur, &c. Audis traditionẽ. Sed in Euangelio Nicodemi hæc leguntur. Et Augustinus, obiiciens sibi contra illam traditionem ea, quæ de sinu Abraham scripta sunt, inquit: Ego quidem non video, explicent fortassis qui possunt. Idem: Nescio vtrum quisquam sit, cui non videatur absurdum, &c. Tales scilicet sunt disputationes de traditionibus.*

Vetus fertur traditio, Enoch & Heliam reuersuros ante extremum diem, & præliaturos cum Antichristo: sed sumptum hoc est ex Apocrypho Euangelio Nicodemi.

Epiphanius admirator Traditionum.

Epiphanius adedõ delectatus fuit huiusmodi traditionibus ex scriptis Apocryphis, vt magis probet Christum, iuxta Apocryphum proteuangelium Iacobi, in spelunca quadam in itinere natum esse, quàm in ipsa ciuitate Bethlehem, in stabulo. Clemens etiam 7. Stromatum tanquam ex traditione refert, quomodo obstetrices Mariam inspexerint post partum: quod itidem ex proteuangelio Iacobi sumptum est.

Traditiones in Epiphano.

Ita Epiphanius ex traditione, parentes Mariæ nominat Ioakim & Annam: & addit, Angelũ Paradisi, nunciasse Ioakim, conceptionem filia. Sed hæc sumpta sunt ex proteuangelio Iacobi: Nominat etiam ex traditione, hoc est, ex scriptis apocryphis, vxorẽ Cain Sane, vxorem Seth Asuram, vxorem Noe Barthenon, patrem Danielis Sabaan, patrem Melchisedech Heraclum, matrem Astaroth: Abelẽ interfectum, natum annos triginta, anno Adẽ centesimo: Lazarum fuisse triginta annorum, cum resuscitaretur: & post resuscitationẽ vixisse alios 30. annos. Dicit etiam ex traditione, Adamum ibi sepultum, vbi Christus crucifixus fuit. Sed & hanc de sepultura Adæ traditionem, & de Zacharia patre

Baptistæ, Hieronymus liberẽ relictit: quia ex Scripturis Canonicis nõ habent autoritatem. Ieiuniũ in pane & aqua, Epiphanius nominat traditionem: sed extat in Herma, similitud. 5. Eusebius lib. 3. cap. 25. inter adulterina & reprobata recitat scriptum quoddam de doctrinis Apostolorum. Et in Canonibus Apostolorum, inter Canonicos libros numerantur Clementis libri *περι διαταγών* Apostolorum: id quod supposititum esse, ipse etiam Lindanus agnoscit. Epiphanius verõ multis commendat illas Apostolorum constitutiones, quæ apocryphæ seu nothæ habitæ fuerunt veteribus: sicut de Canonibus Apostolorum expressẽ dist. 15. & 10. Epiphanius igitur dicit li. 3. Tom. 2. hæresi 80. in constitutionibus Apostolorum, inquit diuina doctrina, pilos barbæ non esse secandos. Meminit etiam libri de constitutionibus Apostolicis, lib. 1. Tom. 3. hæresi 45. Et lib. 3. Tom. 1. hæresi 70. Ita lib. 2. Tom. 1. hæresi 59. citat & defendit Canonẽ de cœlibatu Sacerdotũ: ita vt in sacerdotio non vtantur coniugio. Sed Paphnutius in Nicena Synodo, vocat nouã legẽ. Falsum igitur est, quod sit traditio Apostolica.

Et lib. 2. Tomo 1. contra Apostolicos dicit, ad interpretationem Scripturæ, opus esse traditione. Quod si hoc tantũ intelligeret, ex historiis Ecclesiæ multa sumi posse, quibus loca quædam Scripturæ declarentur: sicut ibi dicit, consuetudinem fuisse, quod Christiani filias suas non elocarint incredulis, vel Iudæis, vel Gentibus, & ideo multas mansisse innuptas: hoc, inquam, non grauati recipere sed longius progreditur Epiphanius, & traditiones opponit Scripturæ. Vbi enim Paulus in genere scripsit, *Virgo si nupserit, nõ peccat:* Epiphanius opponit traditionem ex apocryphis illis Apostolorum constitutionibus, peccatũ esse, post decretã virginitatem ad nuptias reuerti: cum Hieronymus, dicat 1. Cor. 7. *Si quis in statu virginitatis adoleuerit, si postea agnoscat, se in duplici necessitate constitutum, vt aut scortetur, aut vxorem ducat, faciat quod vult: si vxorem duxerit, nõ peccauit.* Ita Cyprianus lib. 1. Epist. 11. *Quod si se ex fide Christo dicauerint, publicẽ & castẽ perseuerent: si autem perseuerare nolunt, aut non possunt, melius est nubere, quàm vt in ignem delicias suis cadant.* Adulterina igitur est traditio, quam Epiphanius ex scripto apocrypho allegat: pugnat enim cum Scriptura, & ignota est Patribus. Et ex hac obseruatione intelligi potest, vnde Patres, præcipue verõ Epiphanius, multas tales traditiones quas hoc titulo ornant, sumptum: & quæ illarum etiam olim fuerit autoritas, hoc exemplum ostendit. Chrysostomus in opere imperfecto de Magis, quod biennio post natum Christum venerint, dicit: *Audiui aliquos referentes de Scriptura quadam, etsi non certa, tamen non destruente fidem, &c. Et hanc traditionẽ seridõ sequitur Epiphanius.*

Traditiones ab Epiphano opponuntur Scripturæ.

Chrysostomus.

Theophylactus verõ, recitata illa traditione, mox subiicit: *Sed tu alteram sententiam, tanquam meliorem retine.* Ita de traditione, de Zacharia patre Baptistæ, Matt. 23. Hieronymus dicit: *Quod de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.*

Theophylactus.

Quarta obseruatio, quod Patres multas, aliquantõ vetustiores consuetudines, cum earũ origo non facile monstrari posset, statim ad Apostolos, quasi ab ipsis traditas, vt maior esset earum autoritas, reuerterunt: quas tamen Apostolos non habere autores, ex aliis veterũ scriptis liquidõ probari potest.

Epiphanius.

Epiphanius constanter asserit, ieiunium quartæ feræ & sextæ, Ecclesiam habere ex traditione Apostolorum. Ieiunium etiam quadragesimæ Ambrosius, Hieronymus, & alij tribuunt traditioni Apostolorum. Sed quid & quantum huic traditioni tribuendum sit, manifestè potest ostendi. Apud Augustinum enim Epist. 86. Vrbicus quidam catholicam necessitatem, ut Sabbato ieiunetur, ex traditione Petri defendebat, qui Dominica die cū Simone mago certaturus, pridie cum Ecclesia Romana ieiunavit. Alij verò contradicebant, Apostolorum traditionem esse, non Sabbato, sed sexta feria ieiunare. Augustinus verò ita respondet: Est quidè hæc opinio plurimorū, quamvis eam perhibeant esse falsam pleriq; Romani. Quòd si responderetur, hoc docuisse Ierosolymis Iacobum, Ephesi Ioannem, cæterosq; aliis locis, q̄ docuit Romæ Petrus, hoc est, ut Sabbato ieiunetur, sed ab hac doctrina cæteras terras deuisse, atq; in ea Romā sterisse: & è contrario refertur, Occidētis potius loca non servasse q̄ Apostoli tradiderunt, Orientis verò terras, vnde cœpit ipsum Euangeliū prædicari, in eo quod ab omnibus Apostolis traditū est, mansisse: interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones. Sit ergo vna fides vniuersæ Ecclesie, etiam si ipsa fidei vnitas quibusdā diuersis obseruationib; celebretur, quib; nullo modo q̄ in fide verū est, impeditur. Et postea dicit: Ego in Euangelicis & Apostolicis literis, animo id reuoluens, video præceptū esse ieiunium quibus autē diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorū non inuenio definitum, &c. Manifesta est sententia: & tamen quia vetus erat consuetudo, multi eam ad Apostolorum traditionem referre non verebantur. Ita Augustinus Epist. 119. dicit quidè quadragesimā ieiuniorum habere auctoritatem ex ieiunio Moysi, Helie & Christi. Sed Epist. 86. affirmat, quibus diebus sit ieiunandū, nec à Domino, nec ab Apostolis esse definitum. Ideò Epist. 119. tandè concludit: Ut 40. illi dies ante Pascha obseruentur, Ecclesie consensus roborauit. Agnoscit Lector, quomodo Patres antiquas cōsuetudines conati fuerint ad Apostolorū traditiones referre, aut ex Scriptura probare: & quam incerta sit tota illa res: Ambrosius quidè asserit, exemplo Christi nobis indicatā quadragesimam. Sed Chrysostomus Hom. 47. in Matthæū disertè hoc negat: Christus, inquit, nō iubet, ut ieiuniū suum imitemur, sed inquit: Discite à me, quia mitis sum, &c.

Irenæus apud Eusebium lib. 5. capite 26. scribit non tantū de die Paschæ, verū etiam de specie ieiunij (scilicet ante Pascha) esse disceptationem. Quosdam enim vnum diem ieiunare, quosdā plures, quosdam 40. horas, computata hora pro die. Et hæc, inquit, varietas, non nostro primū tempore cœpit, sed multò ante nos, &c. Manifestissimum igitur est, non veram esse asseuerationem, quòd ieiunium 40. dierum ante Pascha, sit traditio Apostolorum. Irenæus enim ibi dicit, de ieiunio ante Pascha, fuisse ante ipsum *σωθήθειαν καθ' ἀπόλητην καὶ διωπισμὸν*. Significat autem *διωπισμὸς τῶν ἰδιωτῶν*, idiotarum constitutionem. Et illam Irenæus dicit, non fuisse iudicatam, accuratè obseruandam, sed posthabitam fuisse. Hunc locum Lector diligenter obseruet, de vera origine ieiunij ante Pascha. Et tamen procedente tempore, facta inde fuit traditio Apostolica: idq; à præcipuis ex Patribus.

Non igitur statim credendum est, quando Pa-

tres sine certis documentis affirmant, aliquid esse traditionem Apostolorum. Quadragesimam enim Ambrosius, Maximus Taurinensis, Theophilus, Hieronymus, & alij affirmant esse traditionem Apostolicam. Sed Socrates lib. 5. cap. 22. recitat magnam diuersitatem ieiunij ante Pascha. Romanos dicit ieiunasse tres septimanas ante Pascha. Græcos & Alexandrinos, sex septimanas, alios septem: in quibus tantū 15. dies per interstitia ieiunent. Et tandem concludit: Quia nemo hac de re potest ostendere scriptum aliquod mandatum, *ἐγγράφου παράγγελμα*: manifestum est, quòd Apostoli illud cuiusq; sententiæ & voluntati liberū reliquerunt.

Epiphanius contra Aerium, dicit exire constitutionem Apostolorum, in qua præcipiant & de diebus ieiunij, & quod nihil accipiendum sit præter panem, salem & aquam. Sed Socrates multis ostendit, falsum hoc, & non Apostolicum esse.

Prolixius aliquandò hoc annotaui (illustre n. exemplū est) quomodo tempore Patrū, multæ obseruationes ornari cœperint titulo traditionū Apostolicarū, quas tamē ab Apostolis nō fuisse traditas certū est. Nota est veterum contentio de tempore Paschæ, Romanis asserentibus, suā consuetudinē à Petro & Paulo traditā: Asiaticis contra allegantibus, se aliā traditionē accepisse à Ioanne, Philippo, Polycarpo, & aliis. Et magna acerbitate res acta fuit. Sed Irenæus apud Eusebiū li. 5. ca. 26. vocat antiquæ cōsuetudinis traditionem: item consuetudinē presbyterorū. Videt Lector, proximis ab Apostolorum morte temporibus, prætextu traditionū non scriptarū, excitatas in Ecclesia turbas, & antiquas consuetudines, cœpisse ornari titulo traditionū Apostolicarū: Socrates enim li. 5. c. 22. dicit: Euangelia nō imposuerunt iugū seruitutis, sed homines ipsi, suis quisq; locis, propter remissionem & memoriā passionis, Pascha & alios dies festos, sicut voluerūt, ex cōsuetudine quadā celebrarunt. Nō enī hoc vel Seruator, vel Apostoli, νόμος lege aliqua obseruandū esse mandarunt, nec supplicia cōminati sunt. Scopus enim erat Apostolorū, non de dieb; festis νομοθετεῖν, leges ferre: sed rectam vitam, & pietatē inducere. Mihi autē videtur, sicut alia multa secundum regiones in consuetudinē abierunt, ita & festum Paschæ: propterea quòd nemo Apostolorū quicquam de illo fanciuit. Et postea dicit: Occidētales quidè dicunt, esse traditionē Petri & Pauli: Asiatici verò, Ioannis. Sed neutra pars potest proponere *ἐγγράφον ἀπόδειξιν*, demonstrationem scripto traditā.

Epiphanius dicit: Synaxes ordinatæ sunt fieri ab Apostolis, quarta p̄ sabbato & Dominica: Sed Socrates ex varietate multorū exemplorum ostendit hoc non esse certum. Et recitata multa rituum diuersitate, addit tandem memorabilem sententiam: Huiusmodi discrepantiæ autores eos esse puto, qui singulis temporib; Ecclesiis præfuerunt: *οἱ δὲ ταῦτα παραλαβόντες, ὡς νόμον τοῖς ἐπιτηνομένοις παρέγραψαν*, qui verò talia acceperunt, veluti legem quandā ex accessoriis istis ritibus conscripserunt. Hæc Socrates. Primò igitur fuerunt cōsuetudines: deinde factæ sunt leges: postea ut maiore legibus illis auctoritatē conciliarent, traditionib; Apostolorum eas tribuerūt. Hæc sunt manifesta, quæ multa monent de traditionibus: quæ hoc nomine quasi ab Apostolis acceptæ, à Patribus quibusdam celebrantur.

Epiphanius contra Aerium, orationes pro mortuis vocat traditionem Ecclesie à Patribus acceptam. Illam verò Patrum traditionem alij ornant

Epiphanius

Epiphanius

«

«

Ambrosius.

Irenæus.

runt, titulo Apostolicæ traditionis. Ita Chryso-
stomus Homil. 69. Non temerè ab Apostolis hæc sanc-
cita fuerunt, vt in tremendis mysteriis defuncto-
rum agatur commemoratio.

Damasceus.

Et Damascenus inquit: Apostoli edixerunt in
tremendis sacramentis memoriã fidelium defun-
ctorum habendam. Sed Hieronymus & Gregori-
us affirmant, Apostolos in celebratione Eucharis-
tiæ, nullas alias preces præter solam Dominicam
orationem adhibuisse. Vides igitur quàm certum sit,
orationes pro defunctis esse Apostolicam traditionem.

Tertullianus.

Tertullianus de Corona militis, recitat multas
obseruationes, quas sine vlli^o Scripturæ instru-
mento, solius traditionis titulo, ex inde consuetudinis
patrociniõ dicit vindicari. Et illas omnes traditio-
nes Pontificij contendunt simpliciter, absq; omni
tergiuersatione, vt Apostolicas recipiendas. Sed
Tertullianus non dicit, traditiones illas omnes ab
Apostolis esse pfectas: sed hoc tantum dicit, Obser-
uationem consuetudo roborauit, quæ sine dubio de
traditione manauit: quomodo enim vsurpari quid
poterit, si traditum prius non est? Sed quæro, vnde
sit traditum? num ab Apostolis? Hoc certè Tertul-
lianus non affirmat. Subiungit enim: An nõ putas,
omni fidei licere concipere & constituere quod
Deo cõgruat, disciplinæ conducatur, & salutis proficiat?
Item, saluo traditionis respectu, quocumq; tradi-
tore censeatur, &c. Posterius verò, omnes illas tradi-
tiones simpliciter asseuerant esse Apostolicas.
Sed obseruetur, quòd Tertullianus vocat traditio-
nes, quocumq; traditore censeantur. Ergo non om-
nes traditiones quæ apud veteres extant, simplici-
ter sunt Apostolicæ. His manifestis exemplis satis,
vt arbitror, ostensum est, non statim simplici-
ter assentiendũ, quando Patres sine certis documẽ-
tis affirmant, aliquid esse Apostolicam traditionem:
quomodo enim multas veteres cõsuetudines, quæ
aliã habuerunt originem, ad Apostolorum traditio-
nes retulerint, ideo vt maiorem habeant autori-
tatẽ, exempla ostendunt. Et in encomiis illatũ tra-
ditionum, quarũ origo incerta est, sunt aliquando
nimium transcendentes apud Patres hyperbolæ: quæ
si absq; vlla commoda mitigatione, nimium vrgen-
tur, ipsi fidei nullo modo sunt vel cõsentaneæ, vel
tolerabiles: sicut est locus Basilij de Spiritu sancto,
ca. 37. si tamẽ Basilij est illa de traditionibus dispu-
tatio. Erasmus enim non sine causa iudicauit esse
supposititiã. Recitat autẽ Basilij ibi traditiones
quasdam: quæ licet totidem syllabis in Scriptura non
sunt positæ, quòd tamen ad sententiã attinet, con-
sonæ sunt testimoniis Scripturæ: vt confessionem
fidei quæ fit in Baptismo: item renunciationem Sa-
tanæ, & doxologiã: Gloria Patri & Filio cum Spiritu
sancto, &c. Et de huiusmodi traditionibus nõ est
inter nos controuersia: quæ enim Scripturæ testi-
moniis pbari possunt, libenter recipimus. Recitat
autem præterea alias cõsuetudines sine scripto (ita
enim vocat) & affirmat illas ex traditione Aposto-
lorũ ad nos in mysterio delatas. Et illis annumerat,
quæ in celebratione Eucharistiæ, præter verba in-
stitutionis & antè & post dicuntur. Atqui Grego-
rius lib. 7. Epist. 63. inquit: Mos Apostolorũ fuit, vt
ad ipsam solummodò orationem Dominicã, obla-
tionis hostiã consecrarent. Affirmat præterea Basi-
lius, traditionem Apostolicam in oratione cõuerti
ad Orientem. Sed Socrates, lib. 5. cap. 22. narrat in
Antiochia Syriæ, quæ celeberrima fuit Apostolica
Ecclesia, templum habere vniuersum situm: altare

*Hyperbola
Patrum in
encomiis tra-
ditionum.*

*Basilij dispu-
tatio de tra-
ditionibus.*

enim nõ ad Orientem, sed ad Occidentem specta-
re. Sed illud forsã cum Basilio cum aliis cõmune
est, quòd antiquas consuetudines sine certis docu-
mentis refert ad Apostolorum traditiones. Quòd
verò addit, traditiones illas eandem habere vim ad
pietatẽ, sicut illa quæ in Scriptura continentur, ita
vt si consuetudines illæ non obseruentur, ipsa Eu-
angelij prædicatio ad nudũ nomen contrahatur:
hoc, inquam, cum ipsa fide manifestè pugnat: illud
enim de plerisq; illis traditionibus ne ipsi quidem
Pontificij affirmare audent. Si quis enim iuxta in-
stitutionem Christi baptizetur, & non ter mergatur,
vel nõ signetur signo crucis, quæstio est, an Baptis-
ma sit vel falsum, vel vanũ? Basilij pronũciat ean-
dem habere vim ad pietatẽ, trinam immersionem, &
signationem crucis, benedictionem aquæ Baptismi,
illinitionem olei, &c. sicut ipsum Baptismum. Ergo
nec Christus rectè baptizatus erit, nec Apostoli
quenquã in Actis rectè baptizauerunt? Longobar-
dus certè lib. 4. dist. 3. inquit: In duobus consistit
Sacramentũ Baptismi, scilicet in verbo & elemen-
to: Ergo etsi alia desint quæ ad decorẽ Sacramenti
instituta sunt, nõ ideo minus est verum Sacramen-
tum, & sanctũ, si verbum sit ibi & elementũ, &c.
Neminem sanè tam perfrecte frontis esse arbitror,
etiã si Iesuita sit, qui affirmare aufit, eandẽ habere
ad pietatem vim adorare in spiritu & veritate, & in
oratione ad Orientem conuerti. Trina immersio, ver-
ba inuocationis dum panis Eucharistiæ ostenditur,
prohibitio genculationis inter Pascha & Penteco-
sten, iam dudũ apud ipsos Pontificios in vsu esse de-
sierunt. Vniuersalis igitur illa hyperbole Basilij, de
traditionibus non scriptis, quòd eandẽ habeant ad
pietatem vim, sicut illa, quæ in Scriptura instituta
& mandata sunt, nullo modo potest consistere, vel
defendi: nec video, quomodo vel Andradius sua
virulenta gradiloquentia hoc tentare possit. Tales
igitur Patrum asseuerationes & hyperbolæ de tra-
ditionibus, nõ temerè sunt amplectendæ, sed cum
magno iudicio legendæ. Et non immeritò de illo
loco Basilij, an sit *γινώσκω*, Erasmus valde dubitat.

Quinta obseruatio est, quòd ex Montanistarum
statutis & obseruationibus multa irrepserunt in lo-
cum communem de traditionibus. Opus igitur est
vigilanti iudicio, ne pro Apostolicis Montanicas
amplectamur traditiones. Montanus enim ample-
xus est doctrinã veteris & noui Testamenti, sed præ-
ter hæc docuit, necessarias esse etiam obseruatio-
nes à Paracleto traditas, quia Christus dixerit, A-
postolos nõ potuisse omnia portare, sed multa re-
seruanda fuisse Paracleto. Ita Tertullianus Monta-
nista de velandis virginibus, dicit: Lege fidei ma-
nente, cætera iam disciplinæ & conuentionis ad-
mittunt nouitatẽ correctionis. Quale enim est, vt
Diabolo semper operante, & aduciente quotidie
ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessauerit, aut
proficere destiterit, cum ppter ea Paracletum mi-
serit Dominus, vt quando humana mediocritas om-
nia semel capere nõ poterat, paulatim dirigere-
tur, ordinaretur, & ad perfectum perduceretur di-
sciplina ab illo vicario Domini Spiritu sancto, in-
quit enim: Adhuc multa habeo, &c. Item, Ecclesia
per Euangelium esserbuit in iuuentutẽ, nunc per
Paracletum componitur in maturitatem. Antiquæ
igitur obseruationes, quarum apud Tertullianum
fit mentio, non sunt omnes Apostolicæ traditio-
nes, sed multæ ex Montani Paracleto pfectæ sunt.
Et tamen ex Patribus etiam quidam, omnes Ter-
tulliani

Montanus.

tulliani traditiones pro Apostolicis venditant. Sed inquis: Montanus damnatus fuit hæreseos. Ergo Ecclesia ipsius instituta non retinuit. Videamus igitur quæ fuerint Montanistarum disciplinæ, inde enim conicere poterimus, an quæ zizania inde irreperferint in consuetudines Ecclesiasticas.

Apollonius apud Eusebium, li. 5. ca. 18. de Montano dicit: Hic est ὁ διδάξας λύσεις γάμων, qui docuit destructiones nuptiarum. Ita enim Tertullianus loquitur de castitate. Num verò Mōtanistæ distraxerunt matrimonia iam contracta? Nequaquam, sed quid sit Montanica λύσις γάμων, hoc est, solutio nuptiarum, ex Tertulliano colligitur: qui docet, Paraclerum abstulisse secundas, tertias, &c. nuptias, & statuisse monogamiam. Præcipuè verò virget hoc Tertullianus in Sacerdotibus, inde quod Paulus dicit: Episcopus sit vnus vxoris vir. Et quia vera Ecclesia Paulum non ita intelligebat, inquit: Quot enim & digami præsentent apud vos in Ecclesiis, non erubescetes cum hæc illis leguntur. Habes enim quid sit Montanica destructio nuptiarum. Iam verò apud multos veterum, contra secundas nuptias, vt quas benedici noluerint, planè similia leguntur. Epiphanius certè ex professo disputat, de necessitate monogamiæ Sacerdotum, quem sequuntur & alij. Vnde verò hæc originem habent? Non ex Scriptura, sed ex traditionibus. Ex quibus autem traditionibus? Num Apostolicis? Ita quidem Pontificij contendunt, sed collatio Tertulliani ostendit, esse rel. quias constitutionū Montani.

Pertinet & hoc ad Montanicas destructiones nuptiarum, quòd Tertullianus in libro de exhortatione ad Castitatem disputat, matrimonium esse ex indulgentia, voluntatè verò Dei esse sanctificationem, iuxta dictum: Estote sancti, sicut ego sanctus sum. Sanctificationis verò has numerat species: I. Virginitatè ex natiuitate. II. Virginitatem ex lauacro, quæ aut in matrimonio purificat ex compacto, aut in viduitate perseueret ex arbitrio. III. Gradus est, cum post matrimonium vnum interceptū, exinde sexui renunciatur. Disputat etiam de eo, quòd matrimonium permittitur. Quòd verò permittitur, non ex mera & tota voluntate, sed quasi de inuita venit volūtate. Illud etiā, Melius est nubere quàm vri, contendit pertinere ad eos, qui sunt nupti vel vidui, & idem esse ac si diceretur, Melius est vno oculo carere, quàm duobus. Non ergo bonum est nubere, sed genus mali inferioris. Et disputat, illud esse consilium Pauli, vt hominis, non autem Dei præceptum. Obiicit etiam sibi: Ergo, inquis, iam & primas nuptias destruis. Respōdet autem: Nec immeritò, quoniam & ipsæ ex eo constant quod est stuprū. Et propter illam stupri affinitatè, optimum est mulierem nō tangere. Ibidem etiam disputans contra primum & secundum matrimonium, allegat hæc dicta: Sancti estote, quoniam ego sanctus. Cum sancto sanctus eris. Secundum carnem sapere, mors est, sed secundum spiritum, vita est.

Hæc ideo adscripsi, vt Lector obseruet, eandem planè sententiam, & eadem omnino verba extare in Pontificiorum disputationibus de cœlibatu. Quod si itaq; contendunt esse traditiones, concedimus hoc, sed ostendimus, non Apostolicas, sed Montanicas esse traditiones.

Alterum est, quod Apollonius Montano tribuit, hoc est, ὁ νηστίας νομοθεσίας, qui leges ieiuniorū præscripsit. Num verò error Montani fuit, quòd docuit esse ieiunandum? Nequaquã. Augustinus enim

rectè dicit: Ego in Euangelicis & Apostolicis literis video præceptū esse ieiunij. Sed de tempore, specie, seu modo ieiunij, Montanus fecit constitutiones, easq; nō ordinis tantum gratia, sed opinione necessitatis & cultus. Hanc enim esse vim & significationē verbi νομοθετεῖν manifestè colligitur ex Socrate li. 5. ca. 22. quando scilicet nō relinquatur cuiusq; sententiæ & volūtati liberū, sed fertur lex necessitatis, additis cōminationibus peccati & pœnarū, si non hoc modo obseruetur. Nōne verò in toto Papatu talis ieiuniorum legislatio est? Et ex Epiphanio quidē proferūt esse traditionem Apostolicā: sed Socrates (sicut supra ostēdimus) hoc disertè negat. Quādo verò inquirimus primā illarum legū originē, inuenimus zizania illa, paulatim ex Mōtani feminariis in Ecclesiast. cōsuetudines irreperisse.

Et vt tota hæc res eò sit manifestior, adscribam locum ex libro Tertulliani, de ieiunio, vbi narrat, Montanistas à Catholicis ppter has causas reprehensos: Arguunt, inquit, nos, quòd ieiunia propria custodiamus, quòd stationes plerumq; in vesperā producimus, quòd etiā xerophagias obseruemus, lauacri quoq; abstinentiā. Nouitatem igitur obiectant, de cuius illicito præscribant. Et verè Ecclesiæ sententiam, contra Montanistas ita recitat: Statos dies ieiuniorum, in legalibus & Propheticis vetustatibus iam abolitos: itaq; de cætero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouæ disciplinæ, pro temporibus & causis vnus cuiusq; sic & Apostolos obseruasse, nullum aliud imponētes iugum certorum, & in cōmune obeundorum ieiuniorum. Proinde nec stationum, quæ & ipsæ suos quidem dies habeant, quartæ feriæ & sextæ: passiuè tamen currant, neq; sub lege præcepti. Xerophagias verò nouum affectati officij nomen, & proximum Ethnicæ superstitioni: cum fides libera in Christo, ne Iudaicæ quidem legi abstinentiam quorundā ciborum debeat, semel in totum macellum admissa, ab Apostolo detestatore eorum, qui sicut nubere prohibeant, ita iubeāt cibis abstinere à Deo conditis & ideo nos (Montanistas) iam tunc prænotatos in nouissimis temporibus, abscedentes à fide, intendentes spiritibus mundi seductoriis doctrinis mendaciloquiorū. Sic & cum Galatis nos percuti, aiunt obseruatores dierum, mensū & annorū. Iaculantur interea, Esaiam pronunsiasse, Dominum elegisse non abstinentiā cibi, sed opera iustitiæ, & ipsum Dominū in Euangelio ad omnē circa victus scrupulositatem, compendio respondisse, non his coinquinari hominem, quæ in os inferantur, cum & ipse manducaret & biberet, vsq; in notationem: Ecce homo vorator, & potator. Sic & Apostolum docere, quòd esca nos Deo non cōmendet. Et addunt: In duobus præceptis caritatis, tota lex pender, & Prophetæ, non in pulmonum & intestinorum meorum inanitate, &c. Ita Tertullianus describit, quid in Montanistarum ieiuniis Ecclesia tunc reprehenderit, & quibus argumētis contra ipsorū hypocrisim certarit. Quem locum ideo annotaui, quia & apud Patres quosdam, præcipuè verò apud Pontificios, illa nunc ornantur titulo Apostolicarum traditionum. Lector autē ex hac Tertulliani narratione manifestissimè agnoscit, esse Montanicas institutiones, quæ principiò ab Ecclesia vera grauiter fuerūt reprehensæ & refutata, sed postea blandiēte hypocrisi, sensim cœperunt in ipsam Ecclesiam irreperere. Postea verò accessit titulus Apostolicarū traditionum, sed falsò:

sicut

Traditiones
Pontificias
de ieiunio &
Montanicis
erroribus fluisse.

Ex Montanicis traditionibus quædam apud Pontificios adhuc residua.

sicut hæc Tertulliani descriptio ostendit. Hunc igitur locum Lector diligenter obseruet, multa enim inde diiudicare poterit.

*Tertulliani
Montanismus.*

Tertullianus in libro de pœnitentiâ à Montano habet, quòd vnicam tantùm pœnitentiâ, post Baptismũ concedit. Sed hoc dogma Clemens Alexandrinus titulo Apostolicæ traditionis ornat.

Tertullianus de resurrectione carnis, ceremonias circa Baptismum recitat, vñctionem, signationem crucis, & manus impositionem. Nec tantùm decorum & significationes, sed spiritualem efficaciam ipsi tribuit, inquit enim: Caro vngitur, vt anima consecratur, caro signatur, vt anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. Et hæc esse Montanica, vel inde colligitur, quòd in illo ipso loco addit etiam *ἔνδοξας*, sordes corporis, & monogamiam, quæ Montanica esse, certum est. Sed vbi extat mandatũ & promissio de illis signis, & spirituali ipsorum efficacia? Tertulliani responsio est, in libro de Corona militis, Paracletum ideo post Apostolos missum esse, vt disciplinam ordinaret, & ad perfectum perduceret. Cyprianus, Tertulliani nimium studiosus, ex Montani officina hausit, quòd anabaptismũ suum stabilire conatur ex huiusmodi obseruationibus. Oportet, inquit lib. 1. Epistola 2. mundari & sanctificari aquã prius à Sacerdote, vt possit Baptismo suo, peccata hominis, qui baptizatur abluere. Quomodo autem aquam mundare & sanctificare potest, qui ipse imundus est? Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, vt accepto chrismate, esse vñctus Dei, & habere in se gratiã Christi possit.

Et Cornelius apud Eusebium lib. 6. cap. 33. narrat, Nouatum in morbo in lecto baptizatum. Et addit: Si tamẽ accepisse dicendus est. Neq; enim reliqua consequutus est, quorum oportet participem fieri secundum Ecclesiæ Canonem, neq; obsignatus est ab Episcopo. Cumq; hæc consequutus nõ sit, quomodo Spiritũ sanctum potuit consequi? Hæc sententiã nimium montanizans, postea correctã est, sicut manifestè disputat Hieronymus contra Luciferianos, in vero Baptismate tribui Spiritum sanctum, etiam si non accedat impositio manus per

Longobardus.

Episcopum. Et Longobardus lib. 4. dist. 3. dicit: In duobus consistit Sacramentũ Baptismi scilicet verbo, & Elemẽto. Ergo etsi alia desint, quæ ad decorem Sacramenti instituta sunt, non ideo minus est verũ Sacramentum & sanctum, si verbum sit ibi, & elementũ, &c. Et tamẽ de reliquiis illarum obseruationum, tanta contentione Pontificij nunc pugnant, sub titulo & pretextu traditionum Apostolicarum, quarũ tamen qualis sit origo, ex Tertulliano & Cypriano æstimari potest. Apud Irenæum enim, talium traditionum nulla planè fit mentio, sed de sectatoribus Marci hæretici dicit, quòd vngant Initiatos suos succo Balsami, sicut Heracleonitæ vngunt suos morientes, & sic redimunt illos.

Cyprianus.

Innocentius, extra de sacra vñctione, fatetur Pontifices apud Græcos, quando consecrantur, non solere inungi. Monet igitur, vt morem quem Romana Ecclesia seruat, imitentur. Et cum multa de omnibus generibus vñctionum disputasset, tandem concludit: Non iudaizat Ecclesia, cum vñctionis celebrat Sacramentum, sicut antiqui mentiuntur. Audis, antiquos reprehendisse vñctionem iudaizantes.

A Montanistis habuit Cyprianus, quòd docet absolutionem non valere, nisi persolutis satisfacti-

onibus Canonicis, vt in sermone de Eleemosyna d sputat, peccata quæ ante Baptismum committuntur, Christi sanguine & sanctificatione dimitti, quæ verò postea committuntur nostrorum operum sacrificiis purganda esse. Sed cum apud posteros, cum mulatis Canonibus pœnitentialibus, dogma illud pugnant cum Scriptura subsistere non posset, relaxati per indulgentiã primum fuerunt Canones pœnitentiales, postea planè interciderunt. Et tamẽ de satisfactionibus iam nobis pugnadũ est. Cumque nulla amplius opus esset relaxatione Canonũ pœnitentialiũ, inuecta fuit nundinatio indulgentiarum Pontificiarũ. Et hæc omnia, si Diis placet, iam quasi Apostolicæ traditiones venditantur. Sed res omnis ex vera origine rectissimè diiudicatur.

Non igitur terrere nos debet titulus traditionum Apostolicarum, quando nullo Scripturæ testimonio probari possunt, quæ enim zizania, & vnde irreperint in Ecclesiã, sub titulo & pretextu traditionum, exemplis quibusdam monstratũ est, præcipuè verò traditiones quæ apud Tertullianum extat, quæ ex Scriptura probari non possunt, propter Montanismum suspectæ esse debent.

Quintò est hoc diligenter considerandum, quòd Pontificij tot ac tales habent traditiones pro quibus dimicant, quarum testimonia ne ex veterum quidem probatis scriptis vlla possunt proferre, sed coguntur vel cominisci, vel vlturpare apocrypha, adulterina & suppositicia scripta, sub cõfictis veterum titulis. Et hæc obseruatio rectè considerata, ostendit quantum sit fidei tribuendum plerisque Pontificiis traditionibus. Andradius Ignatij verba, quæ extant apud Eusebium, manifesta falsatione deprauat, quasi Ignatius senserit, præter Scripturã alias etiam Apostolorum traditiones ad perficiendam Christianam religionẽ valdè esse necessarias, cum Euseb. li. 3. ca. 35. hoc tantùm dicat, quòd Ignatius per Asiam proficiscens Romam ad Martyrium cohortatus sit Ecclesiã, vt cauetur hæreses, recens tunc exortas, & adhereret Apostolicæ traditioni. Et addit, *ἢν ὑπερ ἀσφαλῆας καὶ ἐγγράφως, ἢδὲ μαρτυροῦμεν διὰ τὴν πῦρ ἀναγκάων ἡγήτο,* hoc est, Cum iam ad Martyrium duceretur, necessariũ iudicauit, Apostolicam traditionem cautionis gratia, etiam scripto exarandam seu exprimendam esse. Audis, cum sub titulo traditionum non scriptarum, multa peregrina & falsa obtruderentur Ecclesiis, Ignatium iudicasse necessariam esse scriptam demonstrationẽ, quæ traditiones verè essent Apostolicæ.

*Traditiones
Papslica.*

Hieronymus dicit, etiam Egesippum scripto complexum traditiones Apostolicas. Quæ scripta de traditionibus Apostolorum, Deus interciderẽ non fuisset passus, si tam fuissent ad Ecclesiã salutem necessaria, sicut ipsa Scriptura canonica, quæ valdè mirabiliter Deus inter tot atrocissimas persecuciones, hæreses & corruptelas, integram conseruauit. Verisimile autem est, scripta illa Ignatii & Egesippi, si extiterunt, neglecta, & tandẽ suppressa fuisse à magistris ceremoniarum, qui viderunt traditiones Pontificias inde non stabiliri, sed magis traduci vt pote Apostolicis non similes sed contrarias. Aliud igitur artificium excogitatum fuit, vt scilicet sub veterum titulis, scripta suppositicia, vel fingerentur, vel cõficta vsurparentur, vel si qua extabant, transformarentur ad statum regni Pontificij stabilendum. Et huius artificij quædam tantũ exempla annotabo.

Hieronymus.

Extant in Tomis Conciliorum Epistolæ, & mul-

ta proluxa scripta primorum & vetustissimorum Pontificum, quorum & eruditio & pietas celebris fuit. In illa scripta, totum statum regni Pontificij, qualis nunc est, infat serunt tam impudenter, vt fraus manifeste appareat, quod sint conficta & supposititia. Erasmi iudicium de Epistolis illis notum est. Extant & aliorum iudicia, qui & ex Phrasi & circumstantiis temporum, & ex rebus ipsis adulationem demonstrant. Adscribam igitur tantum Nicolai Cusani iudicium, quod vt à Cardinale profectum, repudiare non poterunt. Inquit igitur li. 3. de Concordantia Catholica, cap. 2. Sunt, meo iudicio, illa de Constantino apocrypha, sicut etiam fortassis quadam alia, longa & magna scripta, sanctis Clementi & Anacleto Papæ attributa. Si quis illas Scripturas diligenter perlegeret, & eorum tempora ad eorum scripturas applicaret: ac deinde opusculis omnium Patrum, qui vsq; ad Augustinum, Hieronymum & Ambrosium fuerunt: ac etiam de gestis Conciliorum, vbi authentica scripta allegantur, vsum & memoriam haberet: hoc inueniret, quia nec in illis omnibus Scripturis, de illis præfatis epistolis mentio habetur, & etiam ipsæ Epistolæ applicatæ ad tempus eorum sanctorum, seipsas produunt, &c. Hæc Cusanus Cardinalis. Et tamen ex illis commentitiis Epistolis, præcipuas traditiones, quas nullo Scripturæ testimonio probare possunt, defendere & itabilire conantur Pontificij.

Clementis Romani Scripta, præter Epistolam ad Corinthios, iam Eusebii tempore adulterata fuisse, notum est. Et postea dist. 15. ca. Sancta Romana, inter apocrypha relata sunt. Iam vero multa sub Clementis nomine edita extant, & quotidie noua extruduntur, quæ corruptelis, abusibus & superstitionibus Pontificiis pallium Apostolicarum traditionum obducere conantur. Inde enim Andræus aquam & salem benedictum probare contendit, esse Apostolicæ institutionis.

Legendæ Sanctorum, propter nimis palpabilem impudentiam, iam & doctis & vulgo sordere ceperunt. Fingitur itaq; nuper inuentum esse valde vetustum scriptum, de vitis Apostolorum: cuius auctorem fecerunt Abdiam Babylonicum, quidam disputant, esse Iulij Africani, quod tamen in tota antiquitate, nullum verum habet testimonium. Ibi Thomas post mortem apparet, & concionatur: ibi Mattheus 200. virgines consecrat, & velamen eis imponit, & quidem ideo interficitur, quod doceret, virginem Christo consecratam, non licere regi nubere. Docet etiam ibi meritis eundem esse in cælum, Mattheus etiam ibi instituit ieiunium quadragesimale, & certorum temporum, interdicit etiam certis diebus esum carniū. Ibi Andreas inquit: Et pro mortuis obtinemus pietatem tuam Domine. Docetur etiam ibi, Andream post mortem inuocandum, vt misereatur meretricis cuiusdam. Ibi Thomas matronas quasdam ad Christum conuersas hortatur, vt deserta coniugali consuetudine, perpetuam castitatem voueant. Ibi etiam traditur Christum quosdam, qui nuptias celebrabant, per apparitionem à consuetudine coniugali reuocasse ad cœlibatum. Ibi Ioannes probat factum Crusianæ, quod citra viri consensum, votum cœlibatus emiserit. Ibi Ephesini ædificant basilicam in nomine Ioannis, quam ei adhuc viuo dedicant: cum Augustinus dicat: Nos templa non extruimus sanctis, &c. Et talia impudentissima mendacia, titulo traditionum Apostolicarum conficta, volunt nos pari

pietatis affectu & reuerentia suscipere & venerari, sicut ipsam Scripturam sanctam.

Martialem dicunt fuisse vnum ex 70. discipulis, eius iam Epistolæ aliquot feruntur, ignotæ Eusebio, Hieronymo, Gennadio, &c. In quibus multa non incommodè dicta sunt. Miscentur tamen quedam titulo traditionum, quæ se produunt, quod non sint Apostolica, vt quod dicit, cum altaria demonum destruerentur, aram ignoti Dei reseruatam, & dedicatam in nomine Dei & Stephani. Item quod dicit, per signum crucis baptisma sanctificari. Dicitur ibi: Valeriam licet esset sponsa regis, tamen per prædicationem Martialis adductam, vt voueret virginitatem mentis & corporis, & ideo decollatâ. Dicitur etiam ibi princeps Tolosanus, propter prædicationem Martialis copulam carnalium nuptiarum deuitasse. Dicit etiam ibi Martialis, necessarium esse aliquid aliud scribi, quam quod scriptum est in sacris literis, cum apud Eusebium lib. 5. ca. 16. & apud Nicephorum li. 4. ca. 23. Apollinarius scribens contra Montanum, asserentem multa præter vetus & nouum Testamentum, ad religionem necessaria esse, modestissime dicat: Non scripsi hæc, non quod veritati testimonium dare nequiverim, sed quod timui, ne quibusdam ad Euangelium ac noui Testamenti libros aliquid scriptione mea superaddere viderer, quibus nec adici quicquam, nec adimi potest ab eo, qui vitam secundum Euangelium instituere cupit. Conseruet lector hoc veteris Ecclesiæ testimonium, de libris noui Testamenti.

Hæc exempli tantum gratia recitavi, vt lector consideret, qua fide Pontificij tractent locum communem de traditionibus, quibus tamen generale annexerunt decretum, vt pari reuerentia & pietatis affectu suscipiamus & veneremus omnia & mendacia sicut ipsam Scripturam diuinitus inspiratam. Ignatii Epistolas extitisse, non tantum Eusebii, verum etiam Hieronymi adhuc tempore certum est, feruntur nunc Latine, sunt editæ etiam Græcè, & multas habent non contemnendas sententias, præsertim sicut Græcè leguntur. Admixta vero sunt & alia, non pauca, quæ profecto non referunt grauitatem Apostolicam. Adulteratas enim iam esse illas epistolas, vel inde colligitur. Theodorus ex Epistola ad Smyrneses, citat Ignatii sententiam contra hæreticos quosdam: Eucharistiam & oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Eucharistiam carnem esse Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitauit. Et illam sententiam Vuilhelmus Vuideford, anno 1396. adhuc legit in Epistola illa Ignatii. Sed nunc nec in Græca nec in Latina Ignatii epistola ad Smyrneses, nec in aliis legitur.

Hieronymus 3. dialog. contra Pelagianos dicit: Ignatius, vir Apostolicus & martyr, scribit audacter: Elegit Dominus Apostolos, qui super omnes homines peccatores erant. Sed illam sententiam Ignatii Epistolæ, quæ nunc extant, non habent.

Et qui Græcas illas epistolas edidit, annotat, multas sententias, & aliis pluribus verbis ex Ignatio à veteribus citari, quam nunc extant & feruntur. De Epistolis igitur illis Ignatii, quæ nunc eius titulo feruntur, merito dubitamus: transformata enim videntur in multis locis ad stabiliendum statum regni Pontificij. Et diuinitus iudico esse factum, quod adulterina quadam assumenta suo se iudicio prodant. Nam in Epist. 5. ad Philipenses, ita hodie legimus: Quicumq; Dominicam aut sab-

Purioris antiquitatis, de libris noui Testamenti censura.

Hieronymus, Apostoli peccatores.

Legenda Sanctorum. Fictum scriptum de vitis apostolorum.

Templa.

bathum ieiunauerit, ipse est Christi interfectior. Quicumque cum Iudæis Pascha egerit, comparticipabit eis, qui dominum & Apostolos eius occiderunt. Sed hæc esse supposititia, non est dubium. Omnino enim contrarium de Apostolis dicunt Augustinus ad Casulanum, & Socrat. lib. 5.

Quid igitur de illis quæ scripturæ testimonia non habent, & ex illis Ignatij epistolis, tanquam traditiones Apostolorum citantur, sentiendum sit, non est obscurum.

Hieronymus Ignatij epistolis, cum adhuc integræ & genuinæ essent, non tribuit auctoritatem canonicam. Nam libro 3. contra Pelagianos, cum ex Ignatio, & ex Euangelio secundum Hebræos quædam citasset, inquit: Quibus testimoniis si non veteris ad auctoritatem, vtere saltem ad antiquitatem, quid viri Ecclesiastici senserint, &c. Quid ergo nunc, quales hodie sunt adulteratæ, illis tribuendum erit, præsertim quando ea, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, inde stabilire conantur Pontificij? Ita omnium ferme Patrum scriptis, supposititia quædam sub ipsorum nominibus admixta sunt. Et ex illis omnium libentissime Pontificij testimonia citant.

Et quis erit sanæ mentis, cui non merito suspectum habeatur totum negocium de traditionibus non scriptis, sicut à Concilio Tridentino proponitur? Cum videat Pontificios, suas illas traditiones non posse aliter retinere & stabilire, nisi falsæ & supposititia scripta, vel ipsi fingant, vel ab aliis conficta proferant, & genuina veterum scripta, vel adulterent, vel adulteratis vtantur, sicut exemplis quibusdam ostendimus.

Postremo, multa monebit Lectorem & hæc observatio, quod Pontificij non verentur multa ad Apostolorum traditiones referre, quæ ab aliis autoribus multo posterioribus instituta & profecta esse, ex ipsis Pontificiorum Scriptoribus ostendi potest. Fumi igitur sunt, quos sub titulo Apostolicarum traditionum, vendunt rudioribus.

Extra de celebratione missarum, capit. Cum Marthæ, Archiepiscopus quidam Lugdunensis miratur, quod aliquis in Canone Missæ tentauerit asseuerare, Christum plus dixisse, quàm aliquis Euangelistarum asseueret, nempe: Hic est calix noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, &c. Huic respondet Innocentius: Multa ab Euangelistis ommissa, quæ Apostoli postea vel verbo suppleuerunt, vel facto expresserunt. Sed scriptores Pontificij annotarunt, à quibus Romanis Pontificibus verba illa sint adiecta. Glossa igitur nihil dissimulans, aperte fatetur: Multa seruat Ecclesia, quæ ab Apostolis non sunt tradita, tamen cum sint longa consuetudine approbata, non sunt minoris auctoritatis.

Canon Missæ.

Totum Canonem Missæ, cum reliqua theatra pompa, esse ex Apostolica traditione, si quis vel dubitare se ostenderit, anathemate percellitur. Sed ex Pontificijs Scriptoribus ostendi potest, vltra 600. annos Romanos Pontifices addendo laborasse, donec ex variis sutelis confarcatum idolum Missæ Pontificiæ absolueretur. Et quidem in historiis, de singulis Missæ & Canonis particulis ostenditur, quos authores, & quibus temporibus habuerint. Nunc vero si displicet, tanquam articulum fidei credere debemus, illa omnia ab ipsis Apostolis instituta & tradita fuisse: cum ipse Platina affirmet, Apostolos sola oratione Dominica ad verba institutionis vsos, in celebratione Eucharistiæ. Et Gre-

gorius asseuerat, canonem paulo ante sua tempora, à scholastico quodam compositum esse. Quomodo igitur ab Apostolis traditum esse potest, quod per 600. annos, tam varios originis suæ authores, siue maus sutores habuit.

Alexander aquam vino esse admiscendam, in celebratione Eucharistiæ statuit: idem aquam & saltem benedictum instituit.

Telesphorus ieiunium quadragesimale instituit.

Hyginus chrisma instituit, & dedicationem templorum, quod Polydorus Pio tribuit, qui primum Christianorum templum publicè consecrauit S. Prudentiæ.

Calistus ieiunia quatuor temporum instituit.

Felix altarium consecrationem instituit.

Syluester confirmationem puerorum inuenit, chrisma Episcopis attribuit.

Felix III. instituit, vt infirmi ante obitum vtantur.

Syricus memoriam & inuocationem Sanctorum, Missæ addidit.

Pelagius memorias mortuorum anniuersarias Missæ adiecit.

Et summa, de singulis Pontificibus ordine posent ex historiis talia commemorari. Nobis sufficit exemplis quibusdam monstrasse, ea, quæ Pontificij hodie non verentur ad ipsos Apostolos, tanquam ab ipsis tradita & instituta referre, longe alios habere authores, & multo posteriores Apostolis. Idque probari ex illis historicis, qui regno Pontificio adiecti fuerunt. Ita tempore Augustini, incerta & dubia erat opinio de purgatorio: nunc vero facta est indubitata & certissima Apostolorum traditio. Hanc recitationem, de traditionibus Pontificijs, simplici ordine distribuere volui, vt lector eò rectius considerare possit, quale pandocheum corruptelarum & superstitionum, sic decretum illud Tridentinæ Synodi, quod iubet nos sine scripto traditiones pari pietatis affectu & reuerentia suscipere & venerari, sicut ipsam verbum Dei in lacris literis comprehensum.

Vt igitur locum hunc de traditionibus concludam, ostendimus, nos non simpliciter omnes traditiones reicere, quæ hoc titulo & nomine apud veteres celebrantur. Quæ enim aut in Scriptura continentur, aut Scripturæ consentaneæ sunt, illas non improbamus. Sed de illis potissimum traditionibus quæstio est, quæ (sicut Andradius inquit) nullo Scripturæ testimonio probari possunt. In illis non sufficit simplex asseueratio, quod sit Apostolica traditio. Ostendimus enim multiplices in hoc genere cum bonorum quorundam lapsus, tum malorum imposturas. Nec sufficit, si ex Patribus aliquis dicat esse traditionem ab Apostolis profectam. Nam & in hoc titulo & prætextu sæpe falsos fuisse, aliquot exemplis ostendimus. Optimum igitur & tutissimum est consilium, sicut Irenæus dicit, quæ Polycarpus ex traditione commemorauerat fuisse omnia sanctis Scripturis consentanea. Et sicut Socrates inquit: Cum variæ iactarentur Apostolorum traditiones, quia non poterat ostendi *ἐγγεγραφοῦ ἀποστόλων*, demonstratio ex scripto: ideo iudicatum fuisse, Apostolos nihil de talibus rebus statuisse. Maneat igitur quod Hieronymus dicit, vt gladius verbi Dei percutiat omnia, quæ sine auctoritate & testimoniis Scripturarum tanquam traditione Apostolica proponuntur.

*Commentum
de Purgatorio.*

Traditiones
Sacerum.

Et quia ostendimus veteres quando de traditionibus sine scripto loquuntur, non proprie de dogmatibus quibusdam fidei, sine Scripturæ testimonio credendis loqui, sed præcipue de ritibus quibusdam, siue obseruationibus, quæ non habent expressum in Scriptura mandatum: quæret forsitan Andradius, an simpliciter omnes tales ritus improbemus & damnemus? Et licet nostri instituti non sit disputationem de adiaphoris nunc explicare, breuiter tamen respondeo: Ritus qui Scripturæ sunt consentanei, recte reineri, qui vero cum Scriptura pugnant, iusto iudicio, & nulla temeritate reiici & aboleri. Quod si de adiaphoris ritibus, qui cum scriptura non pugnant, quæstio est, simplex & plana est responsio: Si non proponantur cum opinione necessitatis, cultus & meriti, sed tantum ut ordini, decore & ædificationi seruiant, & cum Christiana libertate non pugnent, posse de illis statui, prout Ecclesiæ ædificationi videbitur conuenire. Fides enim non est alligata ad certos ritus, extra verbum Dei institutos, sed est libera, in qua tamen libertate, ratio habenda est scandali, & eorum, qui in fide sunt infirmi. Sed his omnibus, quantumuis æquis, & Scripturæ consentaneis conditionibus, aduersarii non sunt contenti: sed quando amplius nihil possunt, tuentur se patrocinio antiquitatis, & longæ consuetudinis. Respondemus igitur ex ipsorum iure, distin. 8. Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Nemo consuetudinem rationi & veritati opponat: quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

Augustinus in quæstionibus veteris & noui Testamenti dicit: Si ad solam longam consuetudinē, vel ad antiquitatem respiciendum est, possunt & homicidæ, & adulteri, & similes flagitia sua ita defendere, quia antiqua sunt.

Hanc disputationem de Scriptura, & de traditionibus, prolixius aliquanto quam instituta examinis ratio ferat, tractaui. Video enim Pontificios in illa disputatione, quasi arcem totius suæ causæ collocare, & ea recte explicata, facilius iam progressus erit in reliquis, in quibus quoad eius fieri poterit, breuitati studebo. Integræ enim & iustæ explanationes, in aliis nostrorum scriptis extant, quas non est animus retexere. Reliqua igitur Tridentinæ Synodi decreta ita examinabimus, ut declarationem, quomodo plerique in decretis illis intelligenda sint, aduersarii mei Andradii explanationes nobis subministrant.

DE PECCATO ORIGINALI.

PRIMUM DECRETUM QUINTAE
Sessiois Tridentini Concilij, 17. mensis
Iunij, 1546. celebrata.

VT fides nostra Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sua sinceritate integra & illibata permaneat, & ne populus Christianus, omni cetero doctrina circumferatur, cum serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perurbatur, etiam de peccato originali, eiusque remedio, non solum vetera, sed etiam noua dissidia excita uerit: sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, presidentibus in ea eisdem ritibus Apostolica sedis legatis, tam ad renouandos errantes, & nutantes confirmandos accedere uolens, sacrarum scripturarum, & sanctorum Patrum, ac probatiss.

morum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesiæ iudicium & consensum sequuta, hæc de ipso peccato originali statuit, fateatur ac declarat.

Si quis Adam primum hominem non confiteatur, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam in qua positus erat, amisisse, incurrisseque per offensam prauaricationis huiusmodi, iram & indignationem Dei atque adeo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem, sub eius potestate, quæ mortis deinde habuit imperium, hoc est, Diaboli, totumque Adam, per illam prauaricationis offensam, secundum corpus & animam, in deterius commutatum fuisse, anathema sit.

Si quis Adæ prauaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, accipiam a Deo sanctitatem & iustitiam quam perdidit, sibi soli, & non nobis eum perdidisse, aut iniquitatem illum per inobedientiam peccatum, moriem & penas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est anima, anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, vel per humana natura uires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Christi Iesu Domini nostri, qui nos Deo reconciliauit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio & redemptio, aut negat ipsum Iesu Christi meritum, per Baptismi Sacramentum, in forma Ecclesiæ ritè collatum, tam adultis quam paruulis applicari, anathema sit: quia non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Unde vox illa: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et illa: Quicumque baptisatus est in Christum indultus.

Si quis paruulos recentes ab steris matrum baptisandos negat, etiam si fuerint a baptisatis parentibus orti aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adæ trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari, ad uitam æternam consequendam, unde sit consequens, ut in eis forma baptisatus in remissionem peccatorum non uera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus: per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in homines omnes mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica & obique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fides, ex traditione Apostolorum, etiam paruulis, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum ueraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

EXAMEN.

Pleraque huius decreti uerba, ex purioris antiquitatis scriptis transsumpta, & Scripturæ consentanea sunt. Nec sane propter nostras Ecclesias oporterat hoc decreto: certamina enim quæ de peccato originali ab Anabaptistis & aliis phanaticis nostro tempore mota fuerunt, summa diligentia à nostris explicata & refutata sunt. Sicut igitur ea, quæ mediocriter, commode & recte dicta sunt, simpliciter accipere, nec Sophisticis cauillationibus exagitare decet, ita nihil sane scrupulosius, in hoc decretum de peccato originali inquiremus: sed Andradius, cui secretiora Concilii Tridentini mysteria nota & perspecta sunt, ex illis aliquid prodit, quod ego sane pro mea simplicitate in isto decreto non potuissem obseruare, cuius tamen obseruatio, multa nos docebit de artificijs Tridentinæ Synodi. Dicit enim: Cum Theologi laborent, ut explicent, quomodo transgressio Adæ in nobis peccati rationem habeat, peccatoresque nos efficere potuerit: Concilium Tridentinum, cum definiet peccatum originis, uere esse peccatum unicuique proprium, illius tamen propriam rationem consulto silentio inuoluisse, & ita liberum cuique reliquisse,

opinari. Et postea dicit: Cum igitur quæ sit peccati originis ratio atque definitio, non inter hæreticos modo, sed inter Catholicos etiam in questione versetur, & ancipiti contentione in contrarias sententias omnes distrahantur: Concilium Tridentinum, sicut & alia quædam Concilia, cum definierint omnem trahere originis peccatum ex Adamo, quidnam illud peccatum sit, consulto præterierunt, & missum fecerunt. Opinandi igitur nobis libertatē reliquerunt. Hæc Andradius. Ne vero lector existimet, Andradium velle hoc de peccato originis dicere, quod David inquit: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, seu quod Ieremias dicit, pratum hominis cor, & inscrutabile esse, explicandum est quid illud sit, quod ait Concilium Tridentinum, consulto inuoluisse silentio.

PONTIFICIORVM SENTENTIA DE
peccato originis.

Scholastici Scriptores quidam disputant, peccatum originale tantum esse nudam priuationem, & non positiuam aliquam prauitatem hærentem in natura humana: amissa enim iustitia originali, naturalia tamen in homine mansisse integra. Alij disputant, fomitem peccati tāquam morbidam qualitatem hæreere tantum in carne, quæ inclinet appetitum sensitium, & mediante eo, etiam voluntatem inclinet ad inferiora. Quidam fomitem ponunt in appetitu sensitiuo, & sentiunt superiorem portionem rationis ab omni deprauatione immunem, liberam & integram esse, nisi quod aliunde paululum inclinari possit ad inferiora. Et multi disputant, fomitem illum non esse de ratione peccati originalis. Sunt qui opinantur, peccatum originale nec priuationem, nec positiuam aliquam prauitatem esse in homine, sed tantum reatum, propter lapsum Adæ sine prauitate aliqua hærente in nobis. Quærimus iam quid Tridentinum Concilium de illis opinionibus ista uerit. Ego sane iudicarem prophanas illas opiniones, in verbis Decreti improbari. Sed Andradius interpres Concilij, dicit, Decretum illud eo artificio compositum, ut nec illæ, nec similes opiniones Pontificiorum Theologorum, de peccato originali damnarentur, sed liberimæ relinquerentur. Et hoc Lector bene obseruet.

Veniamus nunc ad nostri quædam temporis certamina. Albertus Pighius post colloquium Vvormaciense, anno 1542. edidit satis prolixum scriptum de peccato originis, in quo in summa, sententiam suam ita explicat: Tria de peccato originis in Ecclesia definita esse: 1. quod sit. 2. vnde sit, ex propagatione scilicet ab Adam. 3. qui sint eius in nobis effectus. Quid vero sit peccatum originis, & in quo consistat eius propria ratio, Ecclesiastica definitione certum non esse. Atque ideo acerbe damnat Augustinam confessionem, quod voluerit tradere definitionem peccati originalis. Et ordine conatur ostendere, omnes omnium sententias de definitione peccati originalis, certo & euidenter falsas esse. Augustini enim sententiam, quod peccatum originale sit concupiscentia, certo esse falsam, ita probat, peccatum enim esse non potest sine lege, cuius sit transgressio. Sed paruuli quia rationis vsu destituti sunt, lege obligari non possunt. Item, Illud quod prorsus vitare non possumus, quod necessario, & inuitabiliter nobis inest, nec à nobis, sed ab alio nobis inest, lege interdici non potest. Concludit igitur, concupiscentiam originalem, nec in par-

uulo, nec in adulto: nec ante nec post Baptismum propriè & verè esse peccatum, quia resultat ex compositione & temperatura partium corporis humani. Deinde conatur etiam probare, carentiam iustitiæ originalis debitæ inesse, non habere rationem peccati, siue in paruulis, siue adultis. Quia, inquit, nulla lex Dei proferri potest per quam obligentur omnes habere originalem illam iustitiam, quæ Adæ data fuit. Et ut maximè esset talis aliqua lex, peccatum deputandum esset illi tantum, qui propria sua culpa, iustitiam illam originalem perdidit.

Suam vero tandem Pighius sententiam ita explicat, quod nec carentia iustitiæ originalis, nec concupiscentia habeat rationem peccati, siue in paruulis, siue adultis, siue ante, siue post Baptismum. Has enim affectiones non esse vitia, sed naturæ conditiones in nobis. Peccatum igitur originis non esse defectum, non vitium aliquod, non deprauationem aliquam, non habitum corruptum, non qualitatem vitiosam hærentem in nostra substantia, ut quæ sit sine omni vitio & deprauatione, sed hoc tantum esse peccatum originis, quod actualis transgressio Adæ reatu tantum & pœna transmissa & propagata sit ad posteros, sine vitio aliquo, & prauitate hærente in ipsorum substantia, & reatum nunc esse, quod propter Adæ peccatum extorres facti sumus regni cælorum, subiecti regno mortis & æternæ damnationi obnoxii, & omnibus humane naturæ miseriis inuoluti. Sicut ex seruis, qui proprio vitio libertatem amiserunt, nascuntur serui, non suo, sed parentum vitio. Et sicut filius scorti sustinet infamiam matris, sine proprio aliquo in se hærente vitio. Hanc Pighij sententiam & probat & defendit Ambrosius Catharinus Episcopus. Videt enim, hoc modo totam doctrinam Pontificiam de concupiscentia, quæ post Baptismum reliqua manet de libero arbitrio, de iustitia, merito & perfectione bonorum operum, &c. posse facillimè defendi & stabiliri. Et ego quidem, cum primum legerem Decretum Tridentini Concilij de peccato originali, arbitrabar in eo hanc prophanam, & Scripturæ ex professo repugnantem Pighij & Catharini sententiam, dissimulatis honoris gratia authorum nominibus, improbari & damnari. Ita enim verba Decreti intelligi posse manifestum est.

Sed Andradius, Concilij intimus, prodit nobis, quæ fuerint deliberationes, cum Decretum illud consideretur consulto scilicet ita inuolutum fuisse, ut nihil vel in Scholasticis, vel in aliis Pontificiis Scriptoribus quantumuis prophanum & falsum, improbaretur vel damnaretur, sed ut liberrima relinqueretur licentia, quiduis opinandi de peccato originis, in hac quæstione quid sit, & qua ratione in nobis sit peccatum, modo quis credat, 1. quod sit. 2. vnde propagetur. 3. qui sint eius effectus. Sed inquis: Decretum Concilij non ita expresse loquitur. Hoc & ego dico: sed quam insidiosè multa sint in decretis illis posita, vel vnicum hoc exemplum satis ostendere potest. Et gratia debetur Andrudio, quod hæc ex intimis Concilij consultationibus, tam libere prodit & euulgat, quod vix quisquam nostrum suspicari ausus fuisset.

Ad perpetuam igitur rei memoriam, notum sit toti orbi Christiano, prophanam Pighij sententiam (ne quid dicam durius) in Decreto Tridentino non esse cum aliis prophanis Scholasticorum reliquam

Pighij disputatione de peccato originis.

Ambrosius
Catharinus.

licitam esse cum aliis prophanis Scholasticorum de peccato originali disputationibus, sub opinandi libertate. Non igitur propositum fuit Tridentinis Patribus, aliquos in suis scriptoribus vel crassissimos natos, ad normam Scripturæ emendare, sed quæsitum fuit tale artificium, ut ea, quæ aperte defendere non audent, silentio ita inuoluant, ut opiniones relinquuntur liberæ. Nec conqueri poterunt Tridentini Patres, nos per calumniam, inuidiæ conciliandæ gratia hoc de ipsis fingere: per Andradium enim, qui fuit conscius secretorum Concilii, hæc mysteria in vulgus emanarunt. Et iam non pœnitet me Andradium dedisse causam scribendi: alias enim hæc fraudem, sub insidiosis verborum inuolucris, in decreto Tridentino nemo nostrum facile deprehendisset. Et tamen valde multum refert, Ecclesiam scire, quæ agitata fuerint disputationes, quæ habitæ deliberationes in Concilio Tridentino, de huiusmodi opinionibus.

Andradus.

Et Andradius ipse, libertate illa à Concilio indulta, hoc loco liberè vitur. Mentem enim suam de peccato originis aperiturus, ita præfatur: Non quidem magnum scelus suscepisse videri debet, qui in re libera liberè etiam opinetur. Breuiter autem recitabo Andradii sententiam, ut Lector agnoscat fructus Tridentini Concilii, & videat qualem doctrinæ emendationem decretis suis quæsierint. Inclinate igitur disputatione sua videtur ad Scholasticorum sententiam, qui sentiunt humanam naturam in ipsa integritate ita conditam fuisse, ut quia propter compositionem ex diuersis partibus, inter se minime consentientibus constat, consequerentur eam incitamenta, & quasi pruriginis, hoc est, tales pulsus & concitationes, ut caro cum sibi grata & iucunda concupiscat, contra spiritum repugnet, & à præscriptione rationis sit auersa. Illis verò puris seu meris naturalibus, superadditam fuisse iustitiam originalem, tanquam donum supernaturale, quæ carnis lasciuiam & petulantiam comprimeret, omnes sceleratos animi motus cohiberet, & omnes cum animi tum corporis partes in officio contineret. Iam vero quia originali iustitia spoliati sumus, carnem quasi equum sine freno, ferocibus cupiditatibus rapi. Atque ita concupiscentiam, non quidem per se esse peccatum, sed quia non amplius iustitia originali cohibeatur & comprimatur, inde fieri peccatum, ut ita peccato originali, a motio & priuatione iustitiæ originalis, propriè habeat peccati rationem, imo ipsa sit peccati originalis forma, ex qua ipsi etiam concupiscentiæ insit ratio peccati. Quando igitur in regeneratione datur spiritus renouationis, ut spiritus repugnet carni, tunc concupiscentiam ipsam per se non esse amplius peccatum, ut quæ sit ipsius naturæ conditio, modo cohibeatur & comprimatur. Quia vero peccatum non potest esse sine legis transgressione, quærit Andradius, cum qua lege pugnet iustitiæ originalis amissio? Et respondet: nullam hac de re legem à Deo explicatè latam fuisse, sed pugnare illam priuationem cum generali legis naturæ sententia, qua quisque obligatur, ut naturæ incolumitatem & conseruationem curet. Iam vero quia contendit Andradius, peccatum esse tantum actionem contra legem Dei, quæ committitur à sciente & volente, difficilis oritur quæstio: cum originalis iustitia, solius Adæ culpa à sciente & volente est amissa, quomodo illa carentia in nobis possit ratione peccati habere? Vitur autem subtili illa responsione, quæ Augustini

est: sicut omnium hominum natura, ita etiam omnium voluntates originaliter fuisse in Adamo. Atque hoc modo etiam originale peccatum habere rationem voluntarii in nobis. Sed quia hoc modo minima ratio voluntarii, in peccato originali reperitur (neque enim nostræ personæ propria voluntate, sed aliena, Adæ scilicet seu communis originis, commissum est) deò dicit, peccatum originis à Pontificiis Theologis recte censei, minimum esse omnium peccatorum. Quando vero Patres illud maximum vocant, hoc ita intelligendum esse, quod latius cæteris diffundatur, & per omnes homines peruat. Est igitur Andradii sententia, concupiscentiam qualis est in hac naturæ corruptione, fuisse etiam in integra natura, sed ita, ut cohiberetur & comprimeretur à iustitia originali, ideo per se non esse peccatum, si tantum frenetur, id quod fit in renatis. Amissionem vero iustitiæ originalis in Adamo, pugnare non cum lege aliqua Dei, sed cum generali illa tantum legis naturæ sententia, qua naturæ conseruatio vnicuique demandatur. In nobis habere de ratione peccati, quantum habeat de voluntario. Sed quia minimam habet rationem voluntarii, ideo peccatum originis minimum esse omnium peccatorum.

Hanc Andradii speculationem de peccato originis, ideo recensui, ut lector obseruet, qualis doctrinæ emendatio speranda sit ex Tridentino Concilio. Cum enim summa doctrinæ consistat in agnitione nostræ deprauationis, & reparationis per Christum, agnosci Lector, quam sceleratè, & sceleratè, tota doctrina celestis diuinitus nobis patefacta, ab ipsis fundamentis extenuetur, obscuretur & deprauetur Philosophicis illis speculationibus de peccato originis. Quantum enim peccatum extenuatur, tantum de beneficio Christi detrahitur. Et Patres quidem Concilij, turpitudinem illius dogmatis ita nudatam proponere, in tanta veritatis luce aliquantum puduit, & tamen noluerunt improbare, ideo generalibus verborum inuolucris Decretum illud inuoluerunt. Andradius vero aduocatus & interpret Concilij, diserte, & quidem multis verbis explicat, quæ sub illis inuolucris lateant mysteria. Iuxta Andradii igitur interpretationem, non peccabit contra mentem Concilij, si quis sententiam magis adhuc prophanam de definitione peccati originalis comminiscatur. Posito enim hoc axioma, peccatum originale in nobis non plus habere de natura peccati, quam habeat de ratione voluntarii, mox attexet Franciscus de Mayro: Sed peccatum originale in particulari solummodo fuit voluntarium, voluntate scilicet Adæ, sed in vniuersali, hoc est, in nobis, omnino est inuoluntarium. Ergo omnino nullam habebit rationem peccati. Sed nõ opus est ex aliis Scriptoribus accersere consequentias. Ipse enim Andradius quid in Concilio Tridentino de peccato originis didicerit, non obscure explicat. Damnat enim cum Colonensibus Monhemium, qui dixerat, propensione in ad peccandum, & *ἀραξία*, cupiditatem, quas simul cum natura induimus, esse peccatum originale, & tantam esse naturæ corruptionem, originis peccato contractam, ut nihil à tali possit natura edi aut effici, non peruersum & contaminatum. Hanc sententiam Andradius damnat, suam vero hanc ponit: Etsi humanam naturam perquam deprauatam esse, negare non possumus: hæc tamen deprauatio

Franciscus de Mayro.

Monhemium.

Vires huma-
nae.

uatio non tantopere est amplificanda, vt nihil in illa pium, nihil bonum, nihil non contaminatum agnoscamus. Mens igitur Concilij Tridentini, vbi Andradius hæc Patrum hortatu & inspiratione scripsit, illa erit: In natura humana deprauata, sine renouatione spiritus, restare adhuc aliquod bonum, nõ in externa tantum disciplina, verumetiam quo ad res spirituales. Addit enim, restare aliquid pium, & aliquid non contaminatum. Et vera pietas certe ad res diuinas seu spirituales pertinet: cuius seminaria quædam in hac corrupta natura, ante renouationem spiritus reliqua esse, Andradius affirmat.

Scholastici quidem scriptores, olim talia liberè disputarunt: sed nunc in tanta luce veritatis, profecto putaram neminem tam perfrictæ frontis esse, quem non puderet illorum, quæ vsque adeo prophana sunt. Et video Concilium Tridentinum aliquo saltem pudore retractum fuisse, quod suo illo decreto ita loquitur, vt dextre intelligi posset. Sed quæ fuerit mens illorum, quam inuoluere potius quam diserte explicare maluerunt, Andradius nihil dissimulans, eam post Concilium, in totius orbis theatro sonora voce prædicat: vt ita in hoc Decreto, Patres Concilij aliud sedentes & foris publicarent, aliud stantes & domi confusurrarint, de peccato originis. Sed Andradius, imprudens forsitan, secreta illa eliminat. Vt ut autem sit, vtile est Ecclesiam scire, ex illorum, qui Concilio interfuerunt interpretatione, qua fraude & quibus insidiis vsi sunt architecti huius decreti de peccato originis.

Ne vero ad calumniam Manicheismi, qua etiam Augustinum prægrauarunt Pelagiani, Andradius se proripiat: diserte dicimus, licet natura non tantum in aliqua parte, sed in omnibus partibus & viribus sit deprauata, tamen discernendum esse inter naturam ipsam, quæ per se bona & à Deo est, & inter vitium quo natura per peccatum Adæ deprauatum est. Sicut Augustinus inquit de natura & gratia, ca. 1. Omnia bona, quæ natura habet in formatione, vita, sensibus, mente, &c. à summo Deo creatore suo habet, vitium vero quod ista naturalia bona contenebrat & infirmit, ex originali peccato contractum est.

Sed ferme oblitus eram eius quæstionis, quæ ad nos proprie pertinet: cum scilicet omnes qualescunque disputationes de peccato originis definitione, in Tridentino Concilio sub libera opinandi licentia relicta sint: quid ibi factum fuerit doctrinæ Augustinæ confessionis, quæ ex Scripturæ testimoniis constituit descriptionem peccati originis? Num igitur probant eam Pontificij? Nequaquam: num liberam eam permittunt? Nihil minus: sed expresse eam damnant. Hoc vero mirabile est, cum reliquas omnes opiniones qualescunque sunt, liberrimas relinquunt. Sed discat ab hoc exemplo Lector, sicut Poëta dixit: Romæ omnia cum liceant, non licet esse pium: ita in Concilio Tridentino, omnes, qualescunque opiniones liberarum relinqui, solam vero illam sententiam, quæ ex Scripturæ testimoniis extructa est, non tantum non relinqui liberam, sed horrendis clamoribus damnari.

SCRIPTURÆ SENTENTIA DE
peccato originis.

Non est autem nostri instituti, iustam aut integram adornare refutationem: fundamenta enim verè de peccato originis sententig, in multis & pro-

lix scriptis sunt à nostris ex verbo Dei monstrata & explicata. Omnino vero non ex rationis speculationibus, nec ex philosophicis ratiocinationibus, sed ex doctrina diuinitus patefacta, discendum & statuendum est de corruptione seu deprauatione naturæ, quæ per peccatum vnus hominis intrauit in mundum, & omnes homines peruasit. Moses Psal. 90. vocat *אבל* absconditum nostrum, quod Deus ponat in illuminationem vultus sui. Ideo enim institutum est ministerium verbi, vt eius voce ostendatur & arguatur illud præcipue peccatum, quod à conspectu & agnitione carnis, rationis & mundi procul remotum & absconditum est. Aduersarius autem meus Andradius, explicaturus mentem suam, quid censeat esse peccatum originis quasi in schola Aristotelis aut Galeni rationem philosophicæ methodi, splendide sane persequitur. Non autem vel semel vnico saltem Scripturæ testimonio, ea, quæ de peccato originali disputat, confirmare & probare conatur. Tantam scilicet opinandi libertatem, Concilium Tridentinum permisit, vt cum turpe habeatur, Iuriconsultum sine lege loqui, factum iam sit valde (si dis placet) religiosum, Theologum sine Scripturæ testimoniis disputare. Reuocanda igitur est tota hæc disputatio ad Scripturæ metas & cancellos. Et omnino falsum est, naturam humanam in prima creatione cum esset integra, ita conditam fuisse, vt in mente, voluntate, corde, & reliquis viribus, esset talis *ἀραξία*, & rebellio, qualis iam etiam in renatis adhuc reliqua esse cernitur. Falsum est & hoc, nullam esse à Deo legem latam cui repugnet, qua arguatur & damnatur defectus iustitiæ originalis, & quæ in eius locum successit concupiscentia. Creatus enim fuit homo ad imaginem Dei, quæ fuit conformitas cum norma iustitiæ in Deo, quæ in lege diuina patefacta est, vt scilicet in tota mente, toto corde, tota voluntate, in omnibus membris corporis, & potentiis animæ, essent vires integerrimæ & perfectissimæ, ad agnitionem & dilectionem Dei, & postea proximi, iuxta vocem legis diuinæ: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus, & proximum sicut teipsum. Et quidem sine aliqua *ἀραξία* corruptionis & rebellionis, scilicet sine tenebris in mente, auersione in voluntate, contumacia in corde, & deprauatione in reliquis viribus, purissima & sanctissima fuit in prima creatione natura humana, iuxta vltimum præceptum: Nõ concupisces: sicut illud Paulus interpretatur, Roman. 7. Et quod hæc fuerit imago Dei in homine, ipsa restitutio imaginis, quæ in hac vita per Spiritum sanctum inchoatur, & in vita æterna absoluetur, satis ostendit, Roman. 12. Ephes. 4. Colos. 3. &c. Illam vero imaginem seu conformitatem ad normam iustitiæ in Deo, lex diuina ab omnibus hominibus in primo & vltimo præcepto requirit. Et vbi illam non inuenit, arguit hominem de peccato: quod damnat æterna morte, nisi facta fuerit remissio propter Christum mediatorem. Iam vero non tantum sacræ literæ docent, sed & experientia ostendit, in natis ex virili semine esse amissionem diuinæ lucis in mente, & in eius locum successisse horribiles tenebras. In voluntate esse auersionem à Deo, & inimicitias aduersantes Deo, in corde contumaciam affectuum, & in omnibus viribus horrendam *ἀραξίαν* & deprauationem, quod attinet ad res diuinas seu spirituales. De externa enim disciplina rationis in homine

Ministerij
& fss.

Imago Dei.

Peccatum
originis.

homine non renato, postea suo loco quædam dicemus. Et hæc naturæ deprauatio, non est iuxta rationis nostræ iudicium extenuanda aut fucanda: sed quid sit, qualis & quanta sit, iuxta Spiritus S. sententiam, quam in verbo patefecit, diiudicanda est.

Et quia valde multum refert malum illud in intimis naturæ latebris, & occultissimis cordis recessibus absconditum, recte & vere agnoscere (neque enim intelligi potest magnitudo gratiæ Christi, nisi cognitis nostris morbis) ideo Scriptura in valde multis testimoniis, & quidem variis modis, proponit nobis considerandam tristissimam illam naturæ nostræ corruptionem. Ex illis quædam annotabimus, vt manifestum fiat, non esse vel incertum, vel liberum, quid de peccato originis sentiendum sit, sicut illam sibi licentiam Pontificij sumunt.

Primò enim scriptura describit, qualis fuerit humanæ naturæ excellentia, perfectio & integritas ante lapsum, vt ita ex antithesi ostendat, quomodo illa bona sint partim amissa, partim contenebrata & deprauata, Genesis 1. Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Eccles. 7. Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit adinventionibus. Sed post lapsum Genesis 5. Adam genuit filios, secundum suam imaginem & similitudinem. Quæ verò fuerit imago Dei in homine, ex restitutione eius, quæ in renouatione inchoatur, aliquo modo intelligi potest. Et tota hæc descriptio de imagine Dei, & amissione eius, delineata est in Decalogo, si ad nostram naturam conferatur. Ideo Paulus Roman. 3. dicit: omnes peccauerunt, & destituntur gloria Dei, renouatio enim vocatur gloria, 2. Corinth. 3.

Secundò, describit, quid & qualis per se sit corrupta nostra natura, ante reparationem & renouationem. Ita Roman. 5. dicit, per vnus inobedientiam peccatores constitutos multos. Et quomodo hoc intelligi velit, ibidem explicat. Vocat enim impios & inimicos Dei, priusquam illi per filium reconciliemur. Ephes. 2. Opponit illa duo, quid credentes facti sint per gratiam, & quid fuerint natura. Nominat quidem peccata actualia, ambulare scilicet in peccatis secundum principem potestatis aeris, conuersari in desideriis carnis, facere voluntates cogitationum: sed addit, non consuetudine, non imitatione accersita hæc mala, sed natura, inquit, eramus filij iræ, habentes scilicet desideria carnis, voluntates carnis & cogitationum. Et nos, inquit, qui ex circumcisis parentibus nati sumus, eramus natura filij iræ, sicut & cæteri, ex Gentibus scilicet nati. Distinguit autem scriptura hæc duo: facere peccatum, 1. Iohann. 2. seu ambulare in peccatis, Ephes. 2. & habere peccatum, 1. Iohann. 1. quod vocatur inhabitans peccatum, Roman. 7. adiacens peccatum, Roman. 7. ἀμαρτία ἀνεῖσαί τοι, peccatum vndique circumstans, & occupans omnes vires in homine, Heb. 12. ignorantia existēs in illis. Ephes. 4.

Tertiò, quando describitur reparatio & restitutio hominis, per spiritum renouationis, simul ostēditur antithesis deprauationis. Roman. 12. Ephes. 4. Col. 3. &c. Inchoatur autem restitutio & reparatio in omnibus partibus & viribus hominis in hac vita: quæ ita crescere debet, vt tandem aboleatur corpus peccati. Roman. 7. Ex antithesi igitur consideretur, qualis sit deprauatio, quæ per peccatum Adæ ingressa est naturam humanam, & occupauit omnes eius partes.

Quartò, quæ, qualis & quanta sit naturæ humanæ per peccatum deprauatio, scriptura ostendit, quādo describit, quales sint originalis illius morbi reliquiæ, etiam in renatis in hac vita, Rom. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Item, lex est spiritualis, ego autem carnalis, venditus sub peccatum: non enim quod volo hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Etiam quando velle adiacet mihi, perficere tamen bonum non inuenio. Gala. 5. Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum morbis & concupiscentiis. Colos. 3. renatis concionatur: Mortificate membra vestra, quæ supra terram sunt, &c.

Quintò, Scriptura ostendens, quam horribilis sit in homine deprauatio, quando vel deseritur à spiritu Dei, vel est sine spiritu, ponit ipsissimam descriptionem peccati originalis. Ita Genes. 6. cum Deus dixisset: Non permanebit spiritus meus in homine, mox sequitur, multa erat malitia hominum in terra, & omne figmentum cogitationum cordis, tantum erat malum. Et ne existimentur mala illa actionibus aut consuetudine accersita, dicit à pueritia malum esse figmentum cordis humani, hoc est, natura, sicut Paulus sequitur Ephes. 2. Et quidem tunc etiam pronunciat hoc Deus de corde humano, quando sublatis per diluuium impiis, Noe tantum cum suis in terra viuebat. Genes. 8. Ita Roman. 3. describens hominem qualis extra Christum, & sine spiritu, ducit descriptionē per singulas partes hominis. Omnes declinauerunt, non est qui faciat bonum, guttur est sepulchrum, linguis dolose agunt, sub labiis est venenum, os maledictione plenum, pedes veloces ad effundendum sanguinem, &c. Ita in lapsis posteriora fiunt peiora prioribus, Luc. 11. 2. Pet. 2.

Sextò, malum illud scriptura & priuatiue & positiue describit, 1. Cor. 1. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, stultitia enim sunt ei. Rom. 7. Perficere bonum non inuenio. Rom. 8. Legi Dei non subiicitur, neque enim potest. Sapientia carnis inimicitia est aduersus Deum. Roman. 7. Lex in membris, repugnat legi mentis, captiuans renatos sub lege peccati. Ephes. 2. vocat concupiscentias carnis, voluntates cogitationum. Genes. 6. Figmentum cordis malum.

Septimò, in illa descriptione mali originalis, scriptura adiungit etiam tyrannidem Diaboli. Ephes. 2. Satan efficaciam suam habet in filiis diffidentia.

Octauò, obseruetur etiam, quomodo scriptura monstret subiectum prauitatis originalis, ponit enim illam in mente. Ephes. 5. Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ephes. 4. Tenebris obscuratum habentes intellectum, propter ignorantiam existentem in ipsis. 2. Corinth. 4. Non sumus idonei, ex nobis ipsis cogitare aliquid. Deuter. 29. Vidistis signa, & non dedit vobis Dominus cor ad intelligendum. Roman. 1. Vani facti sunt in cogitationibus suis. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus. Collocat etiam prauitatem illam in voluntate & corde. Genes. 6. & 8. Figmentum cordis malum. Mar. 7. Ex corde hominum procedunt malæ cogitationes, adulteria, furta, iniuriæ, nequitia, dolus, inuidia, blasphemia, superbia, stultitia, omnia hæc mala ab intus procedunt. Ephes. secundo. Facientes voluntates carnis & cogitationum. Et denique in toto homine, qualis est ex prima natiuitate, in omnibus

Subiectu peccati originalis.

eius membris & partibus, ponitur sedes originalis prauitatis. Verus enim homo, Roma. 6. & Galat. 5. cum morbis & concupiscentiis iubetur crucifigi. Roman. 8. Sapientia carnis est inimicitia aduersus Deum. Rom. 7. In carne mea non habitat bonum. Lex peccati in membris meis. Rom. 6. Ut destruat corpus peccati. Psalm. 51. Dauid in ipsa massa feminis, quando primum concipitur, agnoscit peccatum & iniquitatem. Ephes. 2. Concupiscentia carnis, voluntas cogitationum. Roman. 3. nominantur os, labia, guttur, pedes, oculi, &c. Et ab ipsa anima, 1. Cor. 2. nominatur animalis homo, *ψυχικός*, qui non percipit, quæ sunt spiritus.

Nec verò timendum est, si has scripturæ sententias sequamur, ne deprauationem naturæ nimium exaggeremus, quæ Colonienſium & Andradij sollicitudo est: non enim satis agnosci & deplorari potest illa prauitas, hærens in nobis: Sed manet quod Psal. dicit: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Et quod Ieremias pronunciat: Præuam est cor super omnia & infirmitabile, quis cognosceat illud? Nec propterea cum Manichæis nos coniungimus, quorum blasphemias damnamus & execramur, sed Scripturam sequimur.

Has descriptiones ex ipsis scripturæ verbis, nude & breuiter tantum recitavi, vt Andradij ostenderem, falsum esse quod ipse cum multis aliis Pontificiis, & sentit & docet: Scripturam tantum tradere, quod sit aliquod peccatum originale, non autem explicare quid, quale & quantum sit. Et lectorem quæso, vt instituat collationem, qualia sint verborum fulmina, quando scriptura de peccato originali loquitur, & quam leuiter, quam frigide Pontificij philosophentur de puris naturalibus. Patres certe vocant vitium, contagia, inquinamenta naturæ, ingenita scelera, &c. quorum sententias Augustin. annotauit, lib. 1. contra Iulianum. Quod enim Andradius præterdit, Concilium Tridentinum, quia non definiuit, quid sit peccatum originale, reliquisse libertatem cuius quiduis opinandi, quid velit esse peccatum originale: nos opponimus vocem ipsius Spiritus sancti, ostendentis in Scriptura multis testimoniis & variis modis, quæ, qualis & quanta sit originalis humanæ naturæ deprauatio. Et quando os Domini loquitur, omnis caro debet silere, cælum & terra auscultare. Andradius verò mauult cum Concilio Tridentino opinari, quam cum scriptura credere.

ARGUMENTA ADVERSARIJ.

Et quidem in hoc potissimum loco, voluit ingenij acumen, & dicendi facultatem ostentare, patrocinaturus Iesuitarum definitioni, quod nihil habeat rationem peccati, nisi fiat à sciente & volente. Et Augustini quidem disputationes de voluntario, mihi antea non erant ignotæ, dum ea, quæ contra Manichæos dixerat, subtili & procul petita ratione ita vult defendere, ne pugnent cum doctrina de peccato originali. Sed manifestissimum est, valde esse coactum, & procul petitum, definitionem illam (quicquid sit à sciente & volente) conuenire etiam peccato originali, & quidem in infantibus, propterea, quia sicut omnium hominum natura, ita etiam omnium voluntas originaliter fuerit in Adamo. Certe actualis peccati esse illam definitionem, meridiana luce clarius est, & ipsi Scholastici scriptores fatentur. Et in quascunque se formas vertat Andradius, prudenti lectori nunquam persuade-

bit definitionem illam proprie & commode conuenire peccato originali. Quantum verò incommodi habeat, ludere defendendis incommodioribus dictis, vel hæc Andradij disputatio ostendit. Dum enim splendide declamitat de voluntario, eotandem prouehitur, vt pronunciet, peccatum originis, quia in nobis minimum habeat de voluntario, ideo etiam minimum esse omnium peccatorum. Sententiarj verò quidam disputant, originale peccatum in nobis, præsertim in infantibus, proprie nullam habere rationem voluntarij. Iuxta Andradij igitur definitionem, nullam profus habebit rationem peccati. Quanto simplicius & certius est, cum scriptura & sentire & loqui, peccatum esse *auoluntarij*? Quia enim regula & norma iustitiæ, est voluntas Dei, quæ in lege diuina nobis patefacta est. Sicut igitur iustum est, quicquid huic normæ seu regulæ iustitiæ conforme est, ita peccatum est *auoluntarij*: hoc est, quod legi diuinæ non est conforme, sed ei repugnat: siue sit defectus, siue deprauatio in natura rationali, siue inclinatio, siue actio, repugnans legi Dei. Dauid, certe non subtiliter quærit rationem voluntarij, in peccato originali, dum inquit: In iniquitatibus editus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Verbum enim *GENESIS* 30. de ipsa conceptione vsurpatur, sicut 70. proprie reddiderunt, *ἐκ κοίτης*. Cum igitur massa embryonis, in primo ardore conceptionis, primum inciperet vteri calore foueri, iam erat peccato contaminata, quæ contaminatio, iuxta Dauidicam confessionem, habebat veram rationem peccati, cum nondum formata essent vel mentis, vel voluntatis, vel cordis organa. Non autem ignoro, quam multa hic possint disputari, de voluntario, de origine animæ, & conjunctione eius cum corpore: sed nos cum Ambrosio, non Dialecticorum argutiis, sed piscatorum simplicitati credimus.

Et Augustinus de illis disputationibus recte inquit de peccatorum meritis lib. 3. cap. 4. Ego autem etsi refellere istorum argumentationem non valeam, video tamen inhærendum esse iis, quæ in scripturis sunt apertissima. Quando Paulus Roma. 7. de peccato inhabitante conqueritur: Non quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Et Galat. 5. Spiritus concupiscit aduersus carnem, vt non quæ vultis, ea & faciatis, certe Augustinus ipse agnoscit, lib. 1. Retracta. c. 13. ibi locum non habere politicam illam sententiam, nihil esse peccatum, nisi fiat à sciente & volente. Quia igitur improprietas in hac sententia per se manifesta est, nihil amplius ad prolixam Andradij declamationem de leuitica peccati definitione respondebo, quam quod Iesuitæ Augustinus contra Iulianum lib. 3. c. 5. inquit: Frustra putas ideo in paruulis nullum esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Hæc enim recte dicuntur de proprio cuiusque peccato, non de originali peccati contagio, quod tamen & ipsum à primi hominis mala voluntate sumpsit exordium, &c. Contendit etiam Andradius, naturæ corruptionem non tantopere esse amplificandam, vt nihil in ea pius, nihil bonum, nihil non contaminatum agnoscamus. Atqui Iob inquit c. 14. Quis dabit à sordibus mundum, quod ex contaminato est? Rom. 7. Paulus de se iam renato inquit: Quod in me, hoc est, in carne mea, non habitat bonum. Et Genes. 6. de natura humana à spiritu Dei deserta, inquit Deus: Omne figmentum cogitationum cordis eorum, tantum malum est in omni tempore. Et

ne ad

Anima orig.

ne ad solos impios, qui ante diluuium fuerunt, hæc sententia restringatur, repetitur c. 8. cum solus Noe iustus cum suis in terra uiueret, & ad totum genus humanum accommodat, figmentum cordis malum esse à pueritia: Ne scilicet de actuali tantum malitia intelligatur. Nam & de infante, & de puero usurpatur uocabulum *¶* 1. Iud. 13. Esa. 7. Exo. 2. Et in hac sententiam David uocat delicta iuuentutis.

Hanc sententiam in vulgata editione multipliciter esse deprauatam, manifestum est. Pro eo enim quod Deus dicit: Figmentum cogitationum cordis: corrupte legimus in Latina editione. Sensus & cogitatio cordis, ut scilicet de sensualitate disputari, & superiores vires rationis à corruptione eximi possent. Vbi Deus dicit: solummodo est malum: hoc deprauatum est, cogitatio intenta seu prona est ad malum. Andradius Hebraice doctus agnoscit uersionem illam non respondere uerbis Hebraicis, ne tamen incurrat anathema Tridentinæ Synodi, non uersionem ex fontibus corrigere, sed ad deprauatam uersionem ipsos fontes intorquere conatur. Particulam *¶* interpretatur, uere malum est figmentum cordis humani, cum & ipsa radix, & exempla ostendant, esse particulam exclusiuam. Et sicut Pelagius olim illud Ephes. 2. Erasmus natura filij iræ: ita interpretatus est, *¶* hoc est, omnino & uere, ne peccatum originale concedere cogeretur: Ita Andradius *¶* reddit (uere) ne scilicet prematur mole illius sententiæ: Omne figmentum cordis humani solummodo malum est, & quidē omni tempore, ita ut à pueritia malum sit. Magna enim non tam pondera quam fulmina sunt, in singulis uerbis: contra extenuatores prauitatis, quæ originaliter hæret in hac corrupta natura. Andradius uerò ut illa eludat, contendit uocabulum Iezer figmentum significare solum propensionem, seu concupiscentiam ad peccandum, quæ mala dicatur non per se, sed ideo tantum, quia ad malum propendeat, & inclinēt. Sed Iezer significat, uel intus animo aliquid concipere, formare, & quasi effigiare: uel foris iuxta conceptam ideam aliquid fingere seu formare. Et scriptura aliquoties uocat figmentum cogitationum. Genes. 6. & 1. Paral. 28. Cogitationes uerò præcedere cupiditates, notum est. Significat igitur, quando mens primum concipit & format cogitationes, ipsos primos motus, conatus seu impetus cordis, quando homo est sine Spiritu sancto, iam esse res malas, hoc est contaminatas & auersas à Deo. Non enim dicit quod Andradius fingit, propendere ad malum, sed, esse malum. Nec de cupiditatibus tantum loquitur, uocat enim figmentum cogitationum. Et consideretur emphasis uerborum, in dicto, quod extat Deut. 31. ubi de futura populi defectione Deus loquitur, & inquit: Noui figmentum eius, quid ipse faciat hodie, priusquam introducam eum in terram. Et 1. Paralipo. 28. numerantur ordine cor, figmentum & cogitationes. Ex cogitationibus uero postea sequi cupiditates & desideria notum est. Deus autem ipsum cogitationum figmentum, dicit tantummodo esse malum. Porro quia Iezer significat etiam singulari studio, & animi contentione aliquid formare, potest & hic esse sensus: Quæ animus humanus qualis est in hac naturæ deprauatione, sine Spiritu sancto, etiam maximo studio & singulari sapientia, cogitationibus concipit & format, esse tantummodo mala omni tempore, ut idem sit Mosis figmentum cogitationum cordis, quod Paulo est

¶ carnis. Nam cogitatio, quæ deliberatione confirmata est, uocatur Iezer, Esaia 26. Illa igitur Mosis sententia non extenuat (sicut Andradius cum Iesuitis fingit) sed tristissima exaggeratione amplificat originale humani cordis deprauationem. Quod enim Andradius dicit, non cor ipsum, sed figmentum cordis accusari, ineptum est. Sicut enim ex bono thesauro cordis, proferuntur bona: ita mala, ex cordis thesauro malo proferuntur. Ex abundantia enim cordis os loquitur, inquit Christus; Luc. 6. Et Ieremias uocat cor hominis prauum.

DE RELIQUIIS PECCATI ORIGINALIS POST BAPTISMUM: siue de concupiscentia, quæ in baptisatis, siue renatis in hac uita adhuc reliqua est.

DECRETVM QVINTAE SESSIO- nis Tridentinae Synodi.

SI quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ baptisate conferitur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod ueram & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit autum radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis autem nihil odit Deus, quia nihil est damnationis eis, qui uere conscripti sunt cum Christo per baptismum in mortem: quia non secundum carnem ambulauit, sed ueterem hominem exuentes, & nouum induentes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. Manere autem in baptisatis concupiscentiam uel fomitem, hac sancta Synodus fatetur, ac sentit: quæ quidem cum ad agonem relictæ sit, nocere non consensentibus, & uiriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non ualeat: quinsimo, qui legitime certauerint, coronabuntur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod uere & proprie in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

EXAMEN.

Hæc controuersia una est ex præcipuis, quæ magna contentione ab aduersariis disputatur. Inde enim pendet meritum, perfectio, iustitia, & supererogatio bonorum operum coram iudicio Dei. Ideo non contenti argumentationibus, ludunt variis æquiocationibus in uocabulo peccati. Miscent etiam calumnias, quasi nos doceamus, peccatum originale eodem plane modo, & eadem omnino ratione esse & manere post Baptismum in renatis, sicut ante Baptismum in non renatis est: & idem esse peccatum, siue renatus repugnet, siue obediat desiderijs concupiscentiæ.

Andradius clamitat, nos blasphemare gratiam Dei, meritum Christi, Baptismum & fidem, quasi tam infirma illa sint, ut non possint subito uo momento in baptisatis totum peccatum originale tollere, & extirpare ex natura humana. Sed remotis cauillationibus & calumniis, res ipsa in hac quæstione ex scriptura manifestissima est. De rebus ipsis igitur primum, quæ certa & manifesta sunt, ex scriptura constituemus.

STATUS CONTROVERSIAE, & fundamenta.

Ostendimus autem supra, peccatum originale in non renatis, esse defectum & concupiscentiam, & annexum habere reatum iræ Dei & mortis æternæ.

Num

Baptismus.

Num verò docemus, illud post Baptismum in renatis eadem omnino ratione esse & manere, sicut est ante Baptismum in non renatis? Nequaquam: didicimus enim ex scriptura, in Baptismo, per mortem & resurrectionem Christi, fieri remissionem omnium peccatorum. Et illam non esse superficialiam, non dimidiatam aut partialem, sed plenam & perfectam: ita ut nulla condemnatio sit his, qui in Christo Iesu sunt. Discimus & hoc ex scriptura, Baptismum esse lauacrum regenerationis & renouationis per Spiritum sanctum, Tit. 3. loco igitur defectus originalis, Spiritus sanctus in renatis operatur noua dona, spirituales facultates & motus. Incipit etiam naturam sanare, mortificare & crucifigere veterem hominem cum morbis, concupiscentiis & actionibus carnis. Rom. 6. & 8. Galat. 5. expoliare & destruere corpus peccati, Coloss. 2. Rom. 6. exuere veterem hominem, Col. 3. Expurgare vetus fermentum, 1. Cor. 5. & c. Hæc credimus, docemus & confitemur. Hic igitur nondum est status controversiæ, inter nos & aduersarios. Sed prima quæstio est: Cum in Baptismo fiat remissio omnium peccatorum, plena & perfecta: an etiam renouatio, quæ inchoatur in Baptismo, ita sit in hac vita perfecta & absoluta, ut in baptisatis seu renatis in hac vita post Baptismum, nihil plane reliquum sit de malo seu morbo originali. Clamitat autem scriptura, experientia docet, & omnium piorum in hac vita tristissimæ querelæ testantur, multum vetustatis adhuc hære in carne renatorum, Roman. 7. Quod volo bonum, non facio, perficere non inuenio, & c. Et scriptura vbique vult renatos orare & studere, ut dona renouationis crescant & augeantur: quod verò opus habet, ut crescat & augeatur, nondum est perfectum & absolutum.

Augustinus de peccatorum meritis & remissione, li. 2. c. 7. diligenter expendit verba Pauli, 2. Cor. 4. inquit enim: Non ex qua hora quisque baptisatur, omnis vetus infirmitas eius absumitur: sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum. Nam in Baptismo quæuis tota & plena fiat remissio peccatorum: tamen si continuo tota & plena etiam hominis in æternam nouitatem fieret mutatio, nõ dico & in corpore, sed si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in Baptismo nouitas fieret, non diceret Apostolus: Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem.

Profecto enim, qui de die in diem adhuc renouatur, nondum totus est renouatus. Et in quantum nondum est renouatus, in tantum adhuc in vetustate est, & c. Et non est opus coaceruatione multorum testimoniorum: omnium enim confessione (sicut explicat Longobardus lib. 2. dist. 32.) constat, reliquias concupiscentiæ originalis, quæ in Baptismo cœpit crucifigi, mortificari, expoliari & expugnari, etiam post Baptismum in renatis in hac vita superesse & hære, Rom. 6. & 7. Gal. 5. Col. 3. & c.

Certum igitur est, cum remissio peccatorum, quæ in Baptismo fit, plena & perfecta sit: renouationem tamen, quæ ibi inchoatur, non esse in hac vita perfectam & absolutam, hoc est, malum originale licet per Baptismum remissum sit, non tamen subito totum tolli, & penitus extirpari ex carne renatorum: sed eius reliquias quasdam, defectus scilicet & concupiscentiam superesse, & hære in carne renatorum in hac vita.

Statu.

Et de illis peccati originalis reliquiis, hoc est, de reliquiis, defectibus, & de reliqua concupiscentia,

quæ post Baptismum etiam in carne renatorum in hac vita hærent, altera est & potissima quæstio. Et ne peregrinis disputationibus à statu abducamur, non est quæstio, an reliquæ illæ peccati originalis renatos, qui per Baptismum Christo insiti; fide in ipso sunt & manent, Deo exosos faciant, & dampnè? nihil enim damnationis est illis, Rom. 8. neque hoc proprie hoc loco disputatur, quando reliquæ illæ peccati originalis in mortali corpore ita regnant, ut desideris concupiscentiæ non repugnemus, sed obediamus, Rom. 6. tunc enim peccatum consummatum parit mortem. Iacob. 1. & Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Sed hoc quæritur: quid concupiscentia illa, quæ in renatis post Baptismum in hac vita adhuc reliqua est, quando ipsi non obeditur: quid, inquam, sit per se, in se, ex se, & sua natura, sicut Iesuitæ loquuntur: Credentes sane, qui in Christo Iesu sunt & manent, non facit Deo exosos, nec damnat ipsos. Sed quæro, an inde hoc fiat, quod reliqua illa concupiscentia in renatis sit res bona, pura, munda, sancta, placens Deo, & legi diuinæ conformis? Non arbitror autem vel Andrædium, vel Iesuitas, hoc audere affirmare. Paulus enim Roman. 7. sonora voce, multis verbis, & iusta disputatione reclamatione. Et pulchra extat disputatione apud Augustinum lib. 6. contra Iulianum, c. 6. cum enim dixisset concupiscentiam, reatu suo iam soluto, manere tamen in baptisatis: Iulianus hoc ita accipiebat, quasi ipsa concupiscentia per Baptismum reatu liberetur & absoluitur, ita ut post Baptismum in renatis sit bona & sancta. Augustinus verò respondet: si hoc sentirem, profecto nõ dicerem eam malam esse, sed fuisse. Talia quippe dicis, qualia dicenda sunt in eos, qui per Baptismum sanctificati, & fidelem factam concupiscentiam carnis affirmant in eis, in quibus regeneratis manet tamen: quasi accesserit bonum sanctificationis, ut iam in renatis sit concupiscentia sancta Dei filia. Nos autem malam eam dicimus, & manere tamen in baptisatis. Sed tamen reatus eius, inquit Iulianus, iam solutus est. Respondet Augustinus: Non reatus eius quo ipsa erat rea (neque enim aliqua persona est) sed quo hominem reum originaliter faciebat remissus atque vacuatus est: ut quando audis in aliquo homicidij reatum solutum, non ipsum homicidium, sed hominem à reatu existimas absolutum. Valde illustris est hæc sententia, Baptismum scilicet non efficere, ut concupiscentia originalis, quæ ante baptismum erat res mala, per remissionem in Baptismo sanctificetur: ut in renatis, in quibus manet, non sit amplius res mala, sed fiat, & sit res bona, sancta, munda, & placens Deo. Reatum enim dicit tolli, non ab ipsa concupiscentia, quasi absoluitur, ut amplius non sit res mala: sed ab homine baptisato, ut illum damnare & reum facere non posset, licet reliqua sit in ipso. Manet igitur quod Paulus de concupiscentia in se renato habitante dicit, Roma. 7. Quod in me, hoc est, in carne mea habitat, non est bonum.

Pergamus autem in inquisitione. Quia igitur reliqua concupiscentia in renatis, non est res bona & sancta: quæro, an sit res adiphora, seu indifferens? Et respondet Paulus Roman. 7. Volenti mihi facere bonum, adiacet malum. Augustinus etiam li. 6. contra Iulianum c. 6. inquit: Non dicimus tantum malam fuisse concupiscentiam, ante Baptismum scilicet, sed & eam dicimus malam esse, quæ in baptisatis manet. Certum igitur est, concupiscentiam quæ in renatis post Baptismum reli-

*An sit res bona.**An concupiscentia sit res indifferens.**Mala duplicia.*

qua

qua est, non esse rem bonam, nec indifferentem, sed malam. Quia verò quædam sunt mala pœnæ, quædam mala culpæ: Paulus multis explicat, quale malum sit concupiscentia, quæ in renatis reliqua est. Rom. 7. Consentio quidem legi Dei, quoniam bona est: non tamen quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Video aliam legem in membris meis repugnâtem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Item, carne seruo legi peccati. Ita Rom. 8. & Galat. 5. Col. 3. Ephes. 4. iubet Paulus malum illud crucifigi, mortificari, destrui, exui. Et Rom. 7. extat tristis querela Pauli: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Cum igitur reliqua concupiscentia in renatis sit tale malum, quod repugnat legi Dei, propter quod Paulus iam renatus conqueritur se miserum esse, & corpus suum ideo esse corpus mortis: quomodo, inquam, illud tale malum, renatos non facit Deo exosos? quomodo non damnat ipsos? Respondet Paulus: Gratias ago Deo, per Iesum Christum Dominum nostrum. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis. Sed quomodo liberauit me à lege peccati? Num ita, vt nulla lex peccati reliqua sit in renatis? certe c. 7. conqueritur legem peccati esse in membris suis: & quidem carne se illi legi peccati seruire. Quomodo igitur liberati sunt, renati à lege peccati, si illa adhuc reliqua est in membris ipsorum? Respondet: Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui in Christo Iesu sunt: qui non secundum carnem ambulant, sed actiones carnis spiritus mortificant. Vtrumque enim completitur, & remissionem, quæ perfecta est, & mortificationem, quæ inchoata est, & quotidie crescere debet.

Originalis igitur concupiscentia in Baptismo remittitur, debilitatur & minuitur: non ita vt repente absumatur, & prorsus extinguatur, vt non sit: quamdiu enim renati hic viuunt, necesse est legem peccati esse in membris ipsorum: hæc enim omnia sunt Augustini verba. Illa verò reliqua concupiscentia non impedit, quo minus renati Deo placeant, & sint hæredes vitæ æternæ. Sed illud nõ ideo fit, quasi concupiscentia ista in renatis per Baptismum facta sit, vel sancta, vel indifferentis: est enim iuxta Pauli confessionem malum: & quidem tale malum, quod repugnat legi mētis, quam Spiritus sanctus scripsit in corda renatorum. Sed hæc est gratia Dei, quod tale malum habitas in carne renatorum, ipsis propter Christum non imputatur ad condemnationem. Beati enim, quorum tecta sunt peccata. Rom. 4. Psal. 32. Non igitur fingere debent renati, reliquam in membris suis concupiscentiam talem esse, quæ per se, etiam si remoto gratiæ & remissionis umbraculo Deus in iudicium cum illa intrare vellet, non possit hominem exosum Deo facere & damnare: sed agnoscant quale sit malum, & gratias agant Deo, qui propter filium mediatorem, malum illud non imputat ad damnationem. De concupiscentia enim, quæ in renatis reliqua est, ita Augustinus inquit contra Iulianum lib. 6. c. 5. Tale porrò ac tantum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in vltimam mortem: nisi eius vinculum, in illa, quæ sit in Baptismo, remissione peccatorum omnium solueretur?

Hæc profectò tam sunt ex Scriptura euidencia, vt si quis ea vel negare, vel in dubium reuocare auserit, non video quid in Scriptura credere, vel possit,

vel velit. Et ideo rem ipsam ex Scripturæ testimoniis simpliciter proposui, nõ admixta disputatione de appellatione peccati: vt remotis cauillationibus de vocabulis, res ipsa euidentius conuinceret aduersarios.

CONCILIVM TRIDENTINVM
de Concupiscentia.

Constitutis autem & confirmatis causæ fundamentis, accedamus iam ad examen Tridentini decreti. Quia enim vtrinque cõfitemur, manere in baptisatis cõcupiscentiam: sunt qui existimant, hanc controuersiam tantum esse λογισμῶν. An scilicet reliqua in renatis cõcupiscentia appellanda sit peccatum, an verò tantum pœna & causa peccati. Sed de rebus ipsis, & quidem grauissimis, cõtrouersiam esse, vt cætera omittam, vel ipsum decretum Tridentinum ostendit. Obseruet autem Lector, quo artificio verba sint posita in isto decreto. Non enim simpliciter dicunt, renatos Deo placere: sed aiunt, in renatis nihil odit Deus. Fatentur autem concupiscentiam manere in baptisatis. Sentiunt ergo, Deum cõcupiscentiam, quæ in renatis reliqua est, nõ odisse. Quæritur autem, an venerandi isti Patres ita hoc intelligi velint, quod reliquum illud malum concupiscentiæ, renatis propter Christum, cui per Baptismum insiti sunt, non imputetur? Sed decretum inquit: Si quis asserit in baptisate non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: sed tantum dicit illud nõ imputari, anathema sit. Concupiscentia igitur, quæ in baptisatis manet, erit res per se nõ displicens Deo, aut quam Deus possit odisse. Si enim in renatis nihil odit Deus: omnia ergo in renatis Deo placebunt. Manet autem in renatis cõcupiscentia: illa ergo Deo placebit, aut certe nõ displicebit: & ne quidẽ si imputetur, erit aliquid per se dignum odio Dei, & damnatione. Quod enim Paulus dicit Rom. 8. Nihil damnationis, &c. hoc Tridentini nõ voluit, idque sub interminatione anathematis ita intelligi, quod reliqua concupiscentia propter Christum nõ imputetur: sed quod in se, & sua (vt ita dicam) natura non sit digna damnatione. Totum enim id, quod veram & propriam peccati rationem habet, censent in baptisate sublatum. Item dicunt renatos Deo dilectos effectos esse. Et rationem assignant: quia innocentes, immaculati, puri & innoxij effecti sunt. Et ne quis arbitretur ipsos ita hoc intelligere, quod reliqua cõcupiscentia propter Christum non imputetur. Hanc sententiam anathemate damnant. Et ita se explicant: renatos ideo esse immaculatos, puros & innoxios: quia totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet in baptisate sublatum sit. Lector audit me nihil exaggerare, sed ea tantum annotare, quæ ex verbis Decreti manifesta sunt, & sponte sequuntur. Cõferantur autem hæc ad tristissimam querelam, qua Paulus iam renatus, Rom. 7. malum concupiscentiæ in se habitans describit, accusat & deplorat: & non opus erit alia refutatione. Disputant autem hæc Pontificij tanta contentione, vt præcipua fulcra regni Pontificij stabiliant renatos scilicet in hac vita posse legi Dei perfectam obediẽtia satisfacere: item bona opera renatorum, posse pro peccatis satisfacere, opponi iræ Dei, consistere in iudicio Dei, & mereri vitam æternam, &c.

Non ergo ociosa de verbis est contentio in hac quaestione: sed de rebus grauissimis est controuersia, de quibus necessario in Ecclesia admirandum est. Primò, vt miseras nostras quamdiu sub

Miseriam
corru-
stru.

*Christi beneficia.**Iustificatio-
nis doctrina.**Bonorum o-
perum do-
ctrina.*

corruptibilis huius carnis onere gemimus, rectius agnoscamus, propius aspiciamus, ex veris gemitibus cum Paulo deploremus: ne in Pharisaicam delapsi superbiam, de mundo & immaculato corde, falso nobis blandiamur. Secundò, ut filio Dei mediatori, sua tribuatur & relinquatur gloria. Neque enim post baptismum desinit esse reconciliator noster, iustitia nostra, & pax nostra: sed semper dum in hac carne vivimus, ut verum propiciatorium, obedientia sua tegit & obumbrat corpus mortis, & carnem in qua nihil habitat boni: ut malum illud inhabitans, propter ipsum non imputetur ad damnationem. Tertio, ut articulo iustificationis, sine corruptelis sua constet puritas. In hac enim vita credentes post reconciliationem placent Deo, & accepti sunt ad vitam æternam: non propter mundiciam propriam, cui nihil amplius mali adhæreat: sed humili confessione agnoscunt & deplorant, in carne sua non habitare bonum. Vera autem fide agunt gratias Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum: propter quem quia peccata non imputantur, nihil damnationis est credentibus: sed beati sunt, quoniam tecta sunt peccata. Fides enim remissionem peccatorum, non semel tantum in baptismo, tanquam qualitatem aliquam infusam accipit, ita ut postea nihil de ea cogites: sed per malum, quod in carne adhuc reliquum est, quotidie admonentur renati, ut studeant in Christo manere, ut propter illum non imputetur malum in carne habitans: quod si extra Christum fuerimus, damnare possit. Quarto, necesse est hanc doctrinam de inhabitante peccato puram retineri: ne operibus nostris Pharisaicam opinionem iustitiæ, perfectionis & meriti, assuamus: sed ut recte intelligere possimus, quare Christus dicat: Cum omnia feceritis, dicite: Serui inutiles sumus, & quare Paul. dicat: Nihil mihi cõscius sum, sed in hoc nondum sum iustificatus. Propter inhabitans enim peccatum, renatorum opera in hac vita nec perfecta, nec omni ex parte munda sunt.

Hæc recitavi, ut cogitetur non leue esse hoc certamen, sed necessario de hoc articulo esse contra aduersarios dimicandum.

DE VOCABULO PECCATI.

Erit autem res adhuc planior, si sophismata de æquiocatione appellationis peccati remoueantur. Quia enim Augustinus alicubi disputat, concupiscentiam quæ in renatis reliqua est, non esse peccatum: aduersarij illis Augustini sententiis serio triumphant, & corruptelis suis inde fucum faciunt coram imperitoribus. Sed explicatio plana est, si adhibeatur declaratio æquiocationis vocabuli. Augustinus enim, quando negat concupiscentiam in renatis esse peccatum, diserte se explicat, in qua significatione accipiat vocabulum peccati. Ita enim inquit ad Bonifacium lib. 1. c. 13. Peccata sunt, quæ secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, seu cogitantur: quæ transacta reos teneant, si non remittantur. Ad Valerium lib. 1. c. 24. inquit. Hoc enim est non habere peccatum, reum non esse peccati. Contra Iulianum lib. 6. c. 5. Tu qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptisatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. quod planius ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis: non enim caret malo ignorantia: quod tantum est malum, per quod homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, &c. Et lib. 2. contra Iu-

lianum inquit: Concupiscentia, quæ scilicet post Baptismum in renatis reliqua est, non eodem iam modo appellatur peccatum (sicut scilicet ante Baptismum) quo reum facit. Manifestum est ergo, Augustinum intelligere peccatum, quando concupiscentiis carnis spiritu non repugnatur, sed obeditur: quod peccatum illis qui renati fuerat, attrahit reatum iræ Dei & mortis æternæ, nisi rursus conuertantur. Et in hac significatione Iacobus etiam loquitur cap. 1. Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Et idem est quod Paulus Rom. 6. vocat peccatum regnans. & Rom. 8. peccatum siue mortale, siue damnans, cum inquit: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Et in hac significatione non tantum concedimus: sed quando explicamus discrimen peccati mortalis & venialis, fideliter & diligenter monemus, concupiscentiam quæ in renatis reliqua est, quando ei ita resistitur; ut actiones eius de Spiritu mortificentur, non esse peccatum mortale siue regans, aut vastans conscientiam. Docemus etiam, non esse peccatum damnans credentes: hoc est, propter quod damnentur ii, qui in Christo Iesu sunt. Quod igitur ad rem ipsam attinet, plane idem sentimus & docemus, quod Augustinus tradit. Et si hoc tantum contenderent aduersarij, reliquias concupiscentiæ in renatis, quando per spiritum ipsis resistitur, non esse peccatum regnans, mortale, aut damnans eos qui in Christo Iesu sunt: nulla esset hac de re inter nos controuersia. Omnino enim docendi sunt homines, quale sit discrimen, quando renati actiones carnis per Spiritum mortificant, & in Christo manent: & quando concupiscentiam ita regnare permittunt, ut ei obediunt, & eam perficiunt. Quod discrimen diligenter in nostris Ecclesijs traditur. Et Augustinus tota illa sua disputatione hoc tantum agit, ut discrimen illud ostendat. Pontificij verò hoc non potissimum querunt, sed simpliciter contendunt, nihil in renatis esse, quod Deus possit odisse, sed omnia in renatis esse pura, immaculata & innoxia.

Paulus verò in illo ipso loco, Rom. 6 & 7. vbi ex professo tractat doctrinam de discrimine peccati regnantis & non regnantis, mortalis & venialis, tribuit concupiscentiæ, quæ in renatis reliqua est, etiã quando non regnat appellationem peccati: ad quod non semel, ut obiter ei appellatio illa excidisse videri possit: sed appellationem illam aliquoties inculcat & repetit. Nam Rom. 6. ad minimum quinquies vocatur peccatum. Rom. 7. ad minimum sexies vocatur peccatum. Rom. 8. ter vocatur peccatum. Heb. 11. vocatur circumstans peccatum. Ps. 32. vocatur peccatum Sanctorum. Sed excipiunt Pontificij vocabulum peccati non vere & proprie, sed figurate & abusive in illis locis intelligendum esse. Alphonsus Phil. 4. dicit, concupiscentiam in renatis vocari peccatum, sicut Christus 2. Cor. 5. vocatur peccatum. Concilium Tridentinum cõtendit, per metonymiam vocari peccatum: & quia ex peccato est, & quia ad peccatum inclinat. Verum nullus melior & certior potest interpret esse verborum Pauli, quam ipse Paulus: & quidem in illo ipso loco. Non enim nudam tantum appellationem peccati tribuit reliquiis concupiscentiæ: sed multipliciter describit, quid velit intelligi vocabulo peccati. Nam primò dicit: In carne mea non habitat bonum. Secundò, volenti mihi facere bonum, adiacet malum. Tertio, malum illud describit priuatiue: Non quod volo bonum, hoc facio,

*Peccatum
quid vocet
Augustinus.**Concupiscentia
reliqua
vocatur peccatum.**Peccati
nomen
quomodo
ipse explicat.*

facio, perficere non inuenio. Quarto, positiuam eius prauitatem describit: Quod odi malum, hoc facio. Video autem legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae: hoc est, legi diuinæ, quæ Spiritus sanctus scribit in corda renatorum, captiuat me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Ego ipse qui mente seruius legi Dei, carne seruius legi peccati. 5. Dicit concupiscentiam pugnare cum illo præcepto: Non concupisces. Et facit discrimen, inter concupiscere, & concupiscentiæ obedire. 6. Dicit tale esse malum quod sit crucifigendum, mortificandum, expoliendum, exuendum, destruendum. 7. Propter hoc peccatum Paulus renatus exclamatur: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Explicatè, certè, distinctè, & disertè Paulus loquitur. Vocat concupiscentiam peccatum: sed non regnans peccatum, quo desideria carnis perficiantur. Dicit enim, Mente seruius legi Dei, non quod volo, sed quod odi, facio. Nec intelligit peccatum damnans. Nihil enim damnationis est iis, qui in Christo Iesu sunt. Num vero sicut Alphonsus fingit, concupiscentiam ut rem per se bonam, puram & sanctam, abusiue vocat peccatum, sicut Christus vocat peccatum? Nihil certè minus, Tridentini dicunt, vocari peccatum, vel quia est pœna, vel quia est causa peccati. Et hæc quidè ratio quod sit pœna peccati, tractatur Roman. 5. quod sit causa peccati, explicatur Rom. 6. Peccatum operatum in me est omnem concupiscentiam, Rom. 7. Non ego hoc operor, sed inhabitans in me peccatum. Sed inquis: Si hæc quia vera sunt, conceditis concupiscentiam in renatis & pœnã esse peccati, & causam peccati: quid igitur contendimus? Respondeo: Hoc est *νενομωσεν*, quod Pontificii contendunt, reliquias concupiscentiæ in renatis, à Paulo vocari peccatum: non quod per se sit peccatum, sed tantum hac sola ratione, quod sit vel pœna, vel causa peccati. Longobardus lib. 2. distinct. 32. dicit, concupiscentiam ante Baptismum esse & pœnam & culpam: post Baptismum vero, tantum esse pœnalitatem. Sed Paulus disputat, concupiscentiam quæ in renatis reliqua est, non tantum esse pœnã, nec tantum causam peccati: verum etiam hanc habere rationem peccati, quod non sit bonum, sed malum: & tale malum, quod priuatiue & positiuè repugnet legi Dei, quam Spiritus sanctus inscribit in corda credentium. Et Paulus agnoscit, malum illud per se dignum esse morte æterna, nisi propter Christum tegetur, & non imputaretur. Inquit enim: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratias ago Deo meo per Dominum nostrum Iesum Christum. Nulla ergo nunc damnatio est in iis, &c. Manifestum igitur est, Paulum concupiscentiam quæ post Baptismum in renatis reliqua est, vocare peccatum: non tantum quod sit & pœna & causa peccati: sed potissimum ideo, quod sit malum pugnans cum lege Dei: quod tantum quia inest, in æternam mortem pertraheret (sicut inquit Augustinus) nisi propter Christum non imputaretur.

Restat iam quæstio: An propter hanc rationem, concupiscentia reliqua propriè & vere possit peccatum appellari. Vulgus & politici intelligunt hoc propriè esse peccatum, vel quando accedente consensu concupiscentia perficitur, vel quando peccatum peccatores reatu obstrictos tenet. Et iuxta hunc modum, negat Augustinus concupiscentiam cui renati per spiritum resistunt, vere esse peccatum. Paulus verò de hoc politico iudicio inquit, Rom. 7.

Concupiscentiam non agnouissem esse peccatum, nisi lex diceret, Non concupisces. Cumque iuxta Augustinum, discrimen sit inter concupiscere, & post concupiscentias ire: alterum Paulus antea aliquo modo intellexit esse peccatum: sed prius illud, concupiscere, scilicet propriè & verè esse peccatum, dicit se non cognouisse nisi ex lege Dei. Paulus igitur ex lege & secundum legem Dei pronunciat concupiscentiam esse peccatum. Augustinus verò, eo modo sicut vulgus peccatum intelligit, negat vere esse peccatum. Quæro iam, uter propriè loquatur. Augustinusne ex vulgi usurpatione, an verò Paulus ex legis diuinæ sententia? Ego arbitror quid verè & propriè sit peccatum, ex Paulo pronunciantem secundum legis diuinæ sententiam, sumendum & discendum esse: quicquid sit de vulgari usurpatione vocabuli peccati, quam Augustinus sequitur. Sed ut antea dixi, de rebus ipsis prius constituendum est cum Pontificiis: ne ex æquiuocatione vocabuli peccati, quarant *αποδοξασα*. An scilicet concupiscentia quæ in renatis reliqua est, sit vel bonum, vel indifferens, vel malum: & tale malum quod pugnat cum lege Dei, quodque reum facit hominem æternæ damnationis, nisi propter Christum non imputaretur. Constitutis autem rebus, postea de vocabulis seu appellationibus facilis est ratio. Non enim res vocabulis, sed vocabula rebus seruiunt & accommodanda sunt. Hæc sunt Scripturæ fundamenta in hac quæstione.

VETERVM SENTENTIA de Concupiscentia.

Tridentinum vero decretum asseuerat, Ecclesiã Catholicam nunquam ita intellexisse, quod concupiscentia in renatis verè & propriè peccatum sit. Dicendum igitur aliquid est, quid vetustissimi Patres, de concupiscentia quæ in renatis reliqua est, senserint. Et ne longius eamus, ex illis veterum testimoniis, quæ Augustinus lib. 2. contra Iulianum collegit, quia valde illustria sunt, ostendemus quæ fuerit veteris Ecclesiæ sententia. Ex Ambrosio Augustinus vocat vitia nostra, quæ legi mentis ex lege peccati resistunt: illorum reatus quidem in Baptismo perit, infirmitas vero mansit. Item Ambrosius vocat iniquitatem, non illam quæ deletur in Baptismo, illorumque peccatorum quæ fecimus fuit: quæ cuncta remissa sunt, atque omnino iam non sunt. Istam vero legem peccati, cuius manentis reatus in sacro fonte remissus est, Ambrosius propterea vocauit iniquitatem: quia iniquum est ut caro concupiscat aduersus spiritum, quamuis adsit in nostra renouatione iustitia. Hæc Augustinus ex Ambrosio. Ibidem Ambrosius dicit, quandam delectationem esse diuino mandato aduersam, & de illa Paulum loqui, cum inquit: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Ambrosius igitur nostram sententiam, ipsissimis verbis reddit & exprimit.

Hilarius vocat corpora nostra omnium vitiorum materiam. Mala quæ in nobis sunt, malitiam per conditionem originis. Et vbi expresse de renatis, qui concupiscentiæ repugnant, Hilarius loquitur, inquit: Memores illa ipsa corpora nostra, omnium vitiorum esse materiam: per quæ polluti & sordidi, nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus. Et Cyprianus apud Augustinum malis motibus de origine venientibus fortiter resistens, inquit: Ne quisquam sibi de puro atque immacu-

De concupiscentia, quæ fit ad Pontificios.

Pontificij.

Augustinus.

lato pectore blandiatur, vt innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit: Quis gloriabitur, castum se habere cor? Aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccatis? Si autem nemo sine peccatis esse potest, quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus aut stultus est, &c. Obsecro autem Lectorem, vt hæc Hilarij & Cypriani verba conferat ad decretum Tridentinum, quod affirmat, in Baptismo ita tolli quicquid habet veram & propriam rationem peccati, vt renati efficiantur innocentes, immaculati, puri, innoxij. Patres certe plane contrarium dicunt: & tamen non verentur Tridentini, de consensu Catholicæ Ecclesiæ gloriari.

Augustinus etiam hanc Hilarij sententiam citat: nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo, mundos esse non posse, nisi per abluionem cœlestis misericordiæ emundationem consequamur, post demutationem resurrectionis, terreni corporis nostri effecta gloriose natura. Item, ipsis Apostolis, verbo licet iam fidei emundatis atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis, Dominus docuit, dicens: Si vos cum mali sitis, &c.

Hæc veterum testimonia quæ Augustinus collegit, valde illustra sunt. Hieronymus in 7. cap. Matthæi dicit *περὶ πᾶσαν* esse primos motus, quando ab initio mouent & irritant, *πᾶσιν* vero esse, postquam ad illos voluntatis consensus accesserit: Et de primis motibus dicit: Quamuis habeant culpam tamen non teneri crimine.

Ipse Augustinus reliquam concupiscentiam vocat malum, & quomodo hoc intelligi velit, declarat per antithesin: vō dicit esse bonam, non sanctā, sed malam, contra Iulianum li. 6. ca. 6. Et li. 5. c. 4. inquit: Discerne mala quæ per patiētiā sustinemus, ab eis malis quæ per continentiam refrenamus, hoc est, affirmat concupiscentiam non tantum esse malum pœnæ, sed & malum culpæ. Cap. 5. vocat vitiū, cōtra quod virtute pugnandū est. Est igitur vitium tale quod virtuti opponitur, li. 2. contra Iulianum: Lex peccati repugnās legi mentis, quæ in tanti quoque Apostoli membris erat, remittitur in Baptismate, non finitur. De peccatorum meritis & remissione lib. 1. ca. 3. Per Baptismum Christi hoc agitur, vt caro peccati euacuetur. Non autem sic euacuatur, vt in carne cōcupiscentia innata non sit: sed ne obsit mortuo, quæ inerat viuo. Nam nec gradibus hoc præstatur in Baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili: vt Lex peccati repugnans legi mentis, penitus extinguatur, & non sit. Tractatu in Ioan. 41. Augustinus vocat reliquā cōcupiscentiam, languorem oblutatam salutis nostræ. Alibi vocat infirmitatem succumbentem legi Dei. Præcipuè vero obseruanda est Augustini sententia, quæ extat contra Iulianum li. 5. ca. 3. Quia enim Augustinus antea disputauerat, concupiscentiam in renatis non esse vere peccatum, sed pœnam peccati: Iulianus hoc arripuit, & dixit: Non ergo vituperanda, sed potius laudanda est illa inobedientia carnis, si pœna peccati est. Attende autē, quomodo Augustinus illā Iuliani obiectionē, quam ex illius verbis extruxerat, soluat. Dicit quædam simul esse & peccata, & pœnas peccatorum. Et declarat illud hoc exemplo: Sicut cæcitas cordis, & peccatū est, quo in Deum creditur: & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur: & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Et eandem

dicit etiam rationē esse concupiscentiæ carnis. Expendamus autem Augustini verba: & diserte ostendet, se non loqui de concupiscentia ante Baptismū in renatis: nec de concupiscentia in renatis, quādo regnat vt desiderijs eius obediatur. Inquit enim cōcupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus. Quid vero illa est: Pœna, inquit, est peccati: quia reddita est meritis inobediētis. Est & causa peccati defectione consentientis, vel contagione nascentis. Et hæc tenus Tridentinum etiam Decretum consentit. Nunquid vero tantum est & pœna & causa peccati, sicut Tridentini contendunt. Sicut etiam Longobardus dicit, ante Baptismum esse & peccatū, & pœnā peccati: sed post Baptismū, in renatis tantum esse pœnalitatē. Sed Augustinus diserte ponit concupiscentiā carnis, aduersus quā bonus concupiscit spiritus, non tantum esse pœnā & causam peccati: sed præterea adiungit tertiu, esse scilicet etiam peccatū: sicut multa simul sunt & peccata, & pœnæ peccatorū. Declarat etiam quam habeat rationē peccati: quia, inquit, inest illi inobedientia contra dominatū mentis. Hæc manifestissima est retractatio, seu explicatio eius quod ante incommodius dixerat, reliquam concupiscentiam non esse peccatū, sed pœnam & causam peccati. Cū enim Iulianus ex illis Augustini dictis obiectionem formaret, concupiscentiā non vituperandam, sed potius laudandā, si nō sit peccatum, sed pœna peccati: Ibi Augustinus agnoscit & fatetur non satis esse, quod tantum antea sæpe dixerat, concupiscentiam in renatis tantum esse pœnam & causam peccati: sed addit tertiu, esse scilicet etiam peccatū. Et rationem addit: Quia scilicet inest ei inobedientia contra dominatū mentis: in qua scilicet bonus spiritus concupiscit aduersus carnem. Consideret igitur Lector, quo candore Pontificij Augustini sententias, contra apertissimā ipsius declarationem eō contrahant, quasi concupiscentia in renatis non sit peccatum, sed tantum sit vel pœna, vel causa peccati. Operæ pretium autem est Lectorem commonefacere, quā sycophanticè conentur clarissimā hanc Augustini explicationem eludere. Et aliquot deprauationes recitabo, vt Lectori eo commendatior sit hæc Augustini sententia. Eccius in Colloquio VVormatiensi, primo dixit Augustinum ibi loqui de concupiscentia in non renatis. Cum vero hoc manifestè refutaretur (Augustinus enim nominat concupiscentiam, aduersus quam bonus concupiscit spiritus) ibi Eccius dixit, non esse figendū pedem in eo loco, vbi Augustinus contra aduersarium pugnat. Colonienses contra librum reformationis, his verbis conantur elabi: Fatetur quidē Augustinus, concupiscentiæ in renatis inesse obedientiam contra dominatū mentis: sed non dicit, aiunt talem inobedientiam in baptizatis, prædominante in eis mente, esse peccatum. Atqui Augustinus clare dicit, concupiscentiā in renatis hanc ipsam habere rationē peccati, quia inest ei inobedientia contra dominatū mentis. Andradius meus tale fingit glossema. Augustinum concupiscentiam tunc vocare peccatum, quando mens cupiditatum procellis agitata, diuinā legem conculcat. Sed hoc manifestè falsum est. Augustinus enim dicit, se loqui de illa concupiscentia, aduersus quam bonus concupiscit spiritus. Et manifestè distinguit defectionem consentientis, ab inobedientia quæ per se inest concupiscentiæ. Augustini igitur sententia est, concupiscentiam in renatis etiam quando non adest defe-

Concupiscentia quare & pœna peccati, & causa peccati, & ipsa peccatum.

Concupiscentia in renatis quare peccatum.

Eccius.

Andradius.

Augustinus.

Apostoli ad huc mali.

Hieronymus.

atio consentientis, sed quādo bonus spiritus aduersus eam concupiscit, tamen esse peccatum: quia in sit ei inobedientia contra dominatū mentis. Superbū sane oportet esse ingenium Andradij, qui quasi pro imperio cōtra manifestissima Augustini verba, suas nobis obrudit deprauationes: sed talibus, vt video interpretationib. assuevit in Concilio Tridentino.

Nos vero illam Augustini sententiā ideo probamus, quia sumpta est ex Paulo Rom. 7. vbi concupiscētiā vocat peccatum: & addit rationem, quia repugnet legi mentis. Etiā dignum est obseruatione, quod ipsa euidētia disputationis Paulinæ, coēgit Augustinum sæpe aliter de reliqua concupiscētia loqui, quam alias vulgari more solet disputare: vt tractatu 41. in Iohannem recitat varias significaciones vocabuli peccati. Christus enim vocatur peccatum: infantes ante Baptismum habent peccatum: non renati habent peccatum, de quo scriptum est: qui facit peccatū, seruus est peccati. Renati vero, inquit, liberati sunt à peccato. Num vero ita, vt sine omni omnino sint macula peccati? Audi quomodo loquatur: Liberati, inquit, sunt à peccato: quia carent criminibus & querela. Sed illa, inquit, est inchoata, non perfecta libertas: nondum est tota, nondum pura libertas: quia video aliā legem in membris, &c. Item, Quicquid peccatum est à nobis antea deletum est in Baptismo. Sed nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Certè si non remansisset, sine peccato hic viueremus. Si ergo carne seruis legi peccati, fac quod ait Apostolus: Non regnet peccatum in mortali corpore nostro. Non ait, Nō sit: sed: Non regnet. Quādiu viuis, peccatū necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur, non fiat quod iubet. Et ibidem tractans de discrimine peccati regnantis & non regnantis, inquit: Non ergo Deus quædam peccata damnat, quædam iustificat & laudat. Nulla laudat, sed odit omnia: sicut Medicus odit ægritudinem, & id agit curando, vt ægritudo pellatur: Sic Deus gratia sua hoc agit in nobis, vt peccatum consumatur. Sed quomodo consumitur? Minuitur in vita proficientium, in vita consumetur perfectiorū. Auds, per gratiam Baptismi minui quidem peccatum, non autē consumi in hac vita. Et hanc postremam Augustini sententiā ideo ascripsi, vt Lector cum ea conferat quod Tridentinum Concilium dicit: In renatis nihil odit Deus. Augustinus vero dicit, Deum odisse peccatum, etiam in renatis: sed in non renatis ita odit peccatum, vt propterea personam odio habeat & damnet. In renatis vero ita odit peccatum, sicut Medicus propter ægritudinē ægrotum, cuius curationem suscepit, non odit: sed personam quidem ægroti diligit, morbum vero odit: & ita odit, quod studet illum pellere ab ægrotō.

ARGVMENTA PONTIFICIORUM.

Sed vera sententiā ex Scripturæ fundamentis iam confirmata, cui etiam antiquitatis consensus accedit, superest vt de argumentis Pontificiorum quædam dicamus. Et Tridentinum Decretū hoc potissimum videtur argumento: Baptisati, Deo dilecti effecti sunt. Ergo in renatis nihil odit Deus: sed sunt innocentes, immaculati, puri, innoxij. Et per consequens, concupiscētia quæ in renatis manet, non habet rationem peccati. Sed plana est responsio, si consideretur quod Scriptura tradit, Deum renatos diligere, non ideo quod natura-

psorum omni ex parte perfectè sit pura, immaculata & innoxia: sed propter filium Mediatorum, quem in Baptismo induimus. Quid enim de immundicie, quæ etiam in renatis hæret, post Paulū, Cyprianus & Hilarius sentiant, supra ipsorum verbis ostensum est. Tridentini vero veteratōne hoc inuertunt: Quia renatos Deus diligit: ergo nihil est in ipsis quod possit odisse, etiam si in iudicium vellet cum ipsis intrare, sed omnia in renatis sunt pura & immaculata. Scriptura vero fortiter hoc negat. Tradit enim, multa hæere in renatis, quæ Deus posset odisse & damnare, Romanorum 7. Sed causam dilectionis Dei erga nos, collocat extra nos in Christo Iesu, Romanorum 8. Nemo separabit nos à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Vt ita maneat quod Daniel inquit: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ. Ita quod Romanorum 8. Paulus dicit: Nihil est damnationis iis, qui in Christo Iesu sunt. Tridentini ita accipiunt, quasi Paulus doceat, in renatis nihil esse damnabile, vel dignum damnatione, etiam si Deus in iudicium nobiscum intraret. Sed Paulus Roman. 7. tristi querela materiam mortis in sua carne, multis verbis describit. Quod vero non damnatur, adscribit non suę puritati, sed inquit: Gratiā ago Deo per Iesum Christum. Et addit: Nulla ergo nunc condemnatio est in iis, qui in Christo Iesu sunt: hoc est, licet in carne renatorum nil habiter boni, sed sit corpus mortis: quia tamen in Christo Iesu sunt: propter ipsum non damnantur. Allegant & hoc Tridentini, quod Paulus dicit Roman. 6. Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem. Sed nunquid ita quod malum originale subito & penitus in carne renatorum extinctum est in Baptismo? Certe Paulus post Baptismum renatis præscribit, vt crucifigant & mortificent veterem hominem. Mortui igitur sumus peccato in Baptismo: quia reatus peccati solutus est, mortificatio vero inchoata est. Et tamen Tridentini, mortem peccati ita interpretantur, quasi totum malum originale simpliciter & penitus sit mortuum & sepulchrum, ita vt nihil amplius restet in renatis, in hac vita mortificandum. Et quam reuerenter Scriptura tractetur in Tridentino Concilio, hoc etiam exemplum ostendit. Scriptura tradit, in Baptismo veterem hominem exui, & indui nouum: sed quantum ad nouitatem attinet, renatos hortatur, vt per totam hanc vitam deponant seu exuant veterem, & induant nouum, Ephes. 4. Coloss. 3. Quod sane non diceret, si in baptizatis in hac vita, vel nouitas esset perfecta, vel nihil reliquum esset vetustatis: tunc enim natura prorsus esset pura & immaculata. Tridentini vero Patres hoc ita deprauant, quasi illud exuere & induere, in Baptismo subito penitus absolutum & perfectum esset. Ita enim habet ipsorum decretum: Baptizati veterem hominem exuentes, & induentes nouum, immaculati, puri, & innoxij sunt. Præmittunt autem solennem protestationem, se nolle illud intelligi de imputatione: ergo de inhærente puritate. Et quidem cum fateri cogantur, renatos adhuc esse in actu exuendi veterem, & induendi nouum: pronunciant tamen, ipsos iam esse puros & immaculatos: idque non imputatione. Quāto rectius Augustinus, de peccatorum meritis & remissione libro secundo, capite octauo inquit: Si in homine interiore perfecta in Baptismo nouitas fieret, non diceret Apostolus. Et si exterior noster homo corrumpitur: sed interior re-

Tridentinū
decretum.

Augustinus.

nouatur de die in diem. Profecto enim, qui de die in diem adhuc renouatur, nondum totus est renouatus. Et in quantum nondum est renouatus, in tantum adhuc in vetustate est, &c. Baptizatos nihil sane remoratur ab ingressu cœli, sicut Decretum inquit. Sed hoc ideo, quia Christo insiti sunt, qui est iustitia nostra. Tridentini vero hoc ita intelligunt, ut si remoto gratiæ umbraculo, Deus post Baptismum nobiscum in iudicium intret: nihil tamen reperire posset, quod nos ab ingressu cœli remorari posset. Tot igitur sunt Scripturæ deprauationes, quot verba in hoc decreto. Illud vero demum formidabile est argumentum, quod dicunt: Concupiscentia iis, qui viriliter per Christi gratiam repugnant, nocere non valet: imo qui legitimè certauerit, coronabitur. Ergo concupiscentia reliqua non habet veram & propriam rationem peccati. Sed nec Diabolus nocere potest saluti eorum, qui fide ipsi resistunt, 1. Petri 5. Et qui legitimè contra Diabolum certauerit, coronabitur. Respondebo igitur Augustini verbis, qui lib. 5. ca. 3. contra Iulianum inquit. Eodem modo posses etiam malos Angelos à culpa absoluere. Valde enim disertus es, & idoneus dicere panegyricum Satanæ, & angelis eius. Neque etiam ideo bona erit concupiscentia, quia per Spiritum mortificatur & superatur: sicut rectè dicit Augustinus contra Iulianum, lib. 6. ca. 8. Neque enim nulla est iniquitas, cum in vno homine vel superiora inferioribus turpiter seruiunt, vel inferiora superioribus turpiter reluctantur, etiam si vincere non sinantur.

Augustinus.

Et hæc quidem argumenta Tridentini Patres scripto complexi sunt in suo decreto. Præter hæc vero, sine dubio priuatim alia etiam inter ipsos agitata fuerunt: quorum nobis Andradii liberalitas copiam facit. Sumit autem hoc quod in confesso est, peccato inesse duo: reatum, quo personam obstringit: & turpitudinem, maculâ, iniquitatem, seu malitiam, quæ in ipso hæret peccato, ut per se sit aliquid displicens Deo. Quando igitur Tridentini dicunt, reliquias concupiscentiæ in renatis non habere veram & propriam rationem peccati, Andradius dicit hunc esse sensum: Non tantum reatum tolli, sed manente concupiscentia, ex ipsa tolli maculam, turpitudinem, iniquitatem seu malitiam, ita ut in renatis Deus illam non possit odisse. Hoc Lector bene notet. Præstruxerat autem Andradius antea, concupiscentiam per se, etiam ante Baptismum, propriè non habere rationem peccati, nisi abesset iustitia originalis qua cohiberetur. Cum igitur in Baptismo reddatur iustitia reprimens concupiscentiam, idem illam per se non esse peccatum. Hoc autem non statim proponit, sed prius colores aliquos quærit ex Scriptura. Rhetoricè igitur & prolixè declamitat Andradius: An gratiæ Dei, meriti Christi, & efficaciam Sacramentorum tanta sit imbecillitas, ut non possit in Baptismo subito & penitus tollere quicquid habet peccati rationem? Num igitur, inquit, tantæ sunt peccati vires, ut nec gratiæ Dei, nec meriti Christi, nec Baptismi vi atque virtute superari possint in Baptismo. Plus ne ergo Adæ malitia obfuit, quam Christi meritum renatis profuit? &c. Breuiter autem & simpliciter respondet: A possibili ad inesse, non esse firmam argumentationem. Possit sine dubio gratia Dei, propter meritum Christi, per efficaciam Baptismi, subito tollere ex baptisato, totum originale malum, ipsum etiam fomitem concupiscentiæ, & mortem corporis: quæ

Andradium.

Augustinus.

tamen Pontificij concedit manere in renatis. Quid si hoc loco ab Andradio mutuarer exclamationes? Tanta ne igitur imbecillitas est sanguinis Christi, quod mala illa subito & penitus non potest tollere in Baptismo? Quid si exclamem, blasphemum esse Andradium in virtutem & efficaciam mortis & sanguinis Christi qui concedit mala illa, fomitem scilicet mortem corporis, &c. per Baptismum nec subito nec penitus in hac vita tolli? Quicquid responderit, agnoscat oportet, incisum esse neruum illorum argumentorum de possibilitate, quæ grandiloquentia sua speciose exornauit. Simplex enim & vera regula est: Quid gratia Dei, meritum Christi, & efficaciam Baptismi, in renatis operetur, quomodo & quo ordine, statuendum esse ex verbo Dei, non ex argumentationibus à possibili. Tradit autem verbum Dei, sicut supra testimoniis Scripturæ probatum est, gratiam Dei in Baptismo dare plenam & perfectam indulgentiam omnium peccatorum: mortificationem vero & renouationem in hac vita inchoari, & quotidie augeri in renatis: sed absolutionem & perfectionem in altera demum vita fore. Nullum autem est dubium, gratiam Dei subito, & vno momento hoc perficere & absoluere posse. Sed Scriptura testatur, Deum certo consilio hoc non facere in hac vita: neque tamen hoc quicquam derogat efficaciam gratiæ Dei, & meriti Christi. Virtus enim Dei, in infirmitate perficitur. Et etiam si nulla nobis constaret ratio, cur Deus inchoatum renouationis beneficium, in hac vita non velit subito perfectum & consummatum reddere: sed in magna infirmitate conseruare, augere, & tandem ad perfectionem deducere, quæ in altera vita futura est: sufficere tamen nobis deberet, quod Scriptura testatur, Deum hoc modo & ordine in renatis operari. Et tamen certum est, posse ipsum vno momento hoc absoluere. Quod vero illud non facit, bona eius est voluntas: cuius certas ipsum habere rationes, non est dubium, Rhetoricationes igitur Andradij de possibilitate, opposita hac simplici responsione, per se concidunt & euanescent.

Quomodo quo ordine Deum per Baptismum in renatis operetur.

Addam illustrem Augustini locum, qui contra Iulianum lib. 4. cap. 3. plane eandem tradit solutionem: Quasi, inquit, nos negemus, adiutorium Dei tantum valere, ut hodie nullas concupiscentias malas habere possimus, contra quas vel inuictissime dimicemus. Et tamen non fieri, nec tu negas: cur autem non fiat, quis cognouit sensum Domini? Non tamen parum scio, cum scio, quæcunque illa causa sit, quod nec iusti Dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in eius abdito altoque consilio, cur quamdiu viuimus in hac carne mortali, est in nobis contra quod mens dimicet nostra. Est etiam propter quod dicamus: Dimitte nobis debita nostra. Et paulo infra: Ideo factum est in loco infirmitatis huius, ne superbe viueremus, & sub quotidiana peccatorum remissione viuamus. Sed siue ista causa sit, siue alia quæ multo amplius me latet: tamen quod dubitare non possum quantumlibet proficiamus sub hoc onere corruptibilis corporis, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, &c. Propter quod & sancta Ecclesia, etiam in talibus suis membris, ubi maculam criminis & rugam non habet falsitatis, licet contradicente superbia vestra, non desinit Deo dicere: Dimitte nobis debita nostra.

Augustinus.

Sed Scripturæ etiam testimoniis pugnat Andradius: quibus quomodo utatur, videbimus.

Alia argum. Pontificiorum.

1. Cor. 6.

1. Cor. 6. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis. Ergo nihil restat in renatis cōtaminatum. Respondeo: Quod attinet ad remissionem peccatorum & ad imputationem iustitiæ, baptizati, quia Christum qui est iustitia nostra, induerunt, habent in ipso mundiciem perfectissimam. Mundicies vero renouationis seu satisfactionis, tantum inchoata est: quæ quotidie crescere debet, donec perficiatur, quod in altera vita futurum est. Et hæc est ipsius Pauli explicatio. Ita enim eos, quos 1. Cor. 6. dicit ablutos & sanctificatos, postea 2. Cor. 7. alloquitur: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficient. s. sanctificationem. Ita igitur abluti & mundati sunt baptizati, vt opus sit ipsis hac exhortatione. Mundemus nos ab omni inquinamento. Sed inquis: Forte intelligit Paulus inquinamenta sordium, quæ post Baptismum peccatis actualibus, communicatione cum idolis, cōtraxerant? Non nego & hoc Paulum comprehendere: sed in ipsis etiam renatis hære quod quotidie expurgandum sit, Paulus ostendit 1. Cor. 5. vbi renatos dicit esse azymos, & tamen debere expurgare vetus fermentum. Nec intelligi hoc poterit reliquos Corinthios esse sine omni vetustate, tantum vt incestuosum expurgent. Nam Ephes. 4. Coloss. 3. ipsos renatos alloquitur, cum iubet deponere & exuere veterem hominem. In ipsis igitur renatis reliqua est vetustas, quotidie expurganda. Ita Iohan. 15. de palmitate iam ferente fructum, Christus inquit: Pater meus purgat ipsum, vt plus fructus afferat. Et Epistola Iudæ, vocat tunicam à carne inquinatam. Quod autem mundum & purum est, non potest alterum maculare. Sunt igitur baptizati, mundati: & tamen quotidie opus habent purgatione. Vos, dicit Christus Apostolis, mundi iam estis propter sermonem meum: & tamen pater meus quotidie purgat vos. Ita sanctificati sunt in Baptismo. Sed Paulus hortatur, vt perficiat sanctificationem. Inchoata igitur, non perfecta est in hac vita sanctificatio. Et plane eodem modo Augustinus dictum illud Pauli explicat, contra Iulianum lib. 6. cap. 5. quod Paulus ait: & hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis. Mutatos eos dixit in melius: non vt concupiscentia carerent, quod in hac vita fieri non potest: sed vt ei non obedirent, quod in bona vita fieri potest: vtq; ab eo quo erant vinculo eius obnoxij, liberatos se esse agnoscerent.

Augustinus.

Argument.
ex 1. ca. Epist.
ad Hebræos.

Ita quod Hebræorum primo scriptum est: Purgatione peccatorum per seipsum facta, consedit in excelsis. Ibi Andradius vrget (præteritum) quod facta iam sit purgatio peccatorum. Sed si hoc modo libeat aoristum vrgeri, dicemus peccata nostra priusquam baptizaremur, imo priusquam nasceremur, purgata fuisse. Dicit enim hoc factum, priusquam in cælos Christus ascenderet. Et de sacrificio quidem Christi, quo pro omnibus peccatis in cruce satisfecit, hoc verum est. Sed nostra quæstio est, quomodo & quando in nobis fiat peccatorum purgatio? Dicimus autem eam fieri, primo remissione, solutione reatus, seu non imputatione. Deinde mortificatione & renouatione, quæ in hac vita inchoatur, crescit & augetur, absoluta autem erit in altera demum vita. Ita prima Ioan. primo: Si in luce ambulamus, communionem habemus cum Deo: & sanguis filij eius emundat nos ab omni peccato. Et addit Ioannes: Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos seducimus, quod si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt dimittat nobis pecca-

ta, & emundet nos ab omni iniquitate. Complectere iam integram Ioan. sententiam: Nemo potest communionem habere cum Deo, nisi prius habeat purgationem peccatorum. Sed etiam quando iam habent communionem cum Deo, & ambulat in luce, tamen adhuc emundantur à peccato. Et ita emundati, quotidie confitemur peccata, vt mundet nos ab omni iniquitate. Continua ergo est emundatio peccati. Ita Hilarius apud Augustinum lib. 2. contra Iulianum dicit, nos in hoc terreni & mortificini corporis habitaculo, mundos esse non posse: nisi per ablutionem cælestis misericordiae, emundationem consequamur: post demutationem resurrectionis, terreni corporis nostri effecta gloriosiore natura. Quibus verbis Augustinus addit hanc explicationem: Vides quod Hilarius nec in hac vita mundationem nostram neget, & tamen humanam perfectionem speret: id est, perfectioris mundationis in vltima resurrectione naturam. Ibidem etiam Hilarius explicat, quomodo in renatis per totam vitam fiat purgatio peccati, colluctantium aduersus nos passionum concertatione: conuertente scilicet diuina misericordia malitiam Diaboli ad purgationem nostram. Cum enim per infirmitatem animi surreptentia incontinentia reprimuntur, emundamur à peccato per huius v.ctoriæ gloriam. Et tandem concludit: Conscij igitur illa ipsa corpora nostra, omnium vitiorum esse materiam, per quæ polluti & sordidi, nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus: gaudeamus nobis esse hostem, in cuius concertatione bello quodam dimicemus, &c. Augustinus etiam de perfectione iustitiæ, mundiciem renatorum in hac vita ita describit: Ingressi sine macula, non absurdè etiam ille dicitur, nō qui iam perfectus est: sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carēs criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare elemosynis. Ingressum quippe hoc iter nostrum, quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio, vbi veraciter dicitur: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. Vt dum reprehenditur quod non imputatur, sine macula noster ad perfectionem habeatur cursus: in qua perfectione cum ad eam peruenerimus, iam non sit omnino, quod ignoscendo munderetur. Has veterum sententias ideo adscripsi, vt Lector videat, non nostras esse explicationes, quod renati mundi sint in hac vita, imputatione & inchoatione. Andradius vero hoc vrget, non tantum baptisatum mundari, sed ipsa peccata purgari in Baptismo. Et quia in peccato duo insunt, peccati turpitudine, & reatus: sentit Andradius, non tantum reatum, verum etiam turpitudinē ex concupiscentia, quæ in renatis manet, in Baptismo tolli. Erit igitur id quod Iuliano Augustinus tribuit, concupiscentia ita per Baptismum sanctificata, vt iam sit bona, iusta, & sancta Dei filia. Sic perge Andradi.

Hilarius.

Augustinus.

Augustinus
de mundicie
renatorum in
hac vita,

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis esse aliquid.

Ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde. Nihil igitur restat peccati, in illis, in quos Spiritus sanctus abunde effunditur. Respondeo: Paulus non dicit, Spiritum sanctum renouationem in illo momento, quado homo baptizatur, perficere & absoluere: sed effunditur in Baptismo super renatos, vt interior homo de die in

Argumentū
Pontificiorū,
ex Epist. Pauli
ad Titum
cap. 3.

diem renouetur, Cor. 24. Et in quantum non est renouatus, in tantum adhuc in vetustate est, inquit Augustinus. Baptismi igitur efficacia, per totam vitam renatorum se extendit, & morte demum absoluitur: donec mortale hoc induat immortale, & corruptibile induat incorruptionem, 1. Cor. 15.

Argum. ex 2.
Epist. Cor. 6.

2. Cor. 6. Quæ societas luci ad tenebras? quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Ergo in baptisatis nihil reliquum est peccati. Respondeo: Paulus hoc agit, peccatum mortale non stare cum iustitia fidei, sicut vulgo loquimur. Sed Andradius ita intelligit, quasi non posset in vno homine simul esse vetustas & nouitas, caro & spiritus, lex mentis & lex peccati. Expostulet igitur cum Paulo, qui hoc disertè affirmare, & crebris repetitionibus inculcare non veretur.

Argum. ex 5.
cap. Epist. ad
Ephesios.

Ephesios 5. Sanctificauit Ecclesiam, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipsam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam. Hanc Pauli sententiam Pontificij semper ita citant, quasi Paulus scripserit: Christus mundauit Ecclesiam: & sistit eam, in hac scilicet vita, statim post baptismum, sine macula & ruga, cum Paulus dicat: Mandauit Ecclesiam, vt sistat eam sine macula & ruga. Sed quando? tunc inquit, quando futura est gloriosa. Coniunguntur enim gloriosa, sine macula & ruga. Tunc autem futura est gloriosa, sicut inquit Paulus ad Colossenses 3. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria. Et Rom. 5. Gloriamur spe gloriæ Dei. Christus ergo nunc Ecclesiam mundat lauacro aquæ in verbo abluens peccata præterita, & pellens ab ea dominationem malorum angelorum. Deinde perficiens eius sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam sine macula & ruga. Hæc Augustini explicatio, de perfectione iustitiæ. Et contra Iulianum libro 2. citat hanc Hilarii sententiam: Ipsi, inquit, Apostolis, verbo licet iam fidei emundatis atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis, docuit dicens: Si vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris. Operæ præcium vero est considerare, quod Pelagiani illam Pauli sententiam, Ephesios 5. plane eodem modo, sicut nunc Pontificij opposuerunt Augustino. Ita enim inquit de bono perseverantiæ libro 2. cap. 5. etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem iustum in hac vita nullum habere omnino peccatum: & in talibus hominibus esse iam in præsentem tempore, Ecclesiam non habentem maculam neque rugam: tanquam sponsa Christi nõ sit, quæ per vniuersam terram quod ab eo didicit, dicit: Dimitte nobis debita nostra. Et ad Bonifacium lib. 4. ca. 7. Dicunt Pelagiani, Baptismo perfectè homines innovari: atque ad hoc Apostoli adhibent testimonium ad Ephesios quinto. Sed si dixerint se non habere peccatum, respondet eis Iohannes, quod si ipsos decipiant, & veritas in eis non sit. Si autem confitentur peccata sua, cum se velint esse Christi corporis membra, quomodo erit illud corpus, id est, Ecclesia in isto adhuc tempore perfecta, sicut ipsi sapiunt, sine macula & ruga: cuius membra non mendaciter consentant se habere peccata? Quia propter & in baptisate cuncta dimittuntur peccata, & per ipsum lauacrum aquæ in verbo exhibetur Christo Ecclesia sine macula & ruga. Quia nisi esset baptisata, infructuose diceret: Dimitte nobis debita nostra: donec perducatur ad gloriam, ubi ei perfectius, nulla insit macula & ruga.

Heb. 9. Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata. Sed quorum vel tenues reliquæ manent, exhausta dici nullo modo possunt. Renati igitur nullas vel tenues peccati reliquias habent. Ita Andradius. Primo autem consideret Lector, quomodo Andradius abutatur verbo exhauriendi, quod in vulgata editione extat: cum textus habeat verbum ἀνεπέχον, quod significat vel offerre, vel portare. 1. Petri. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Et textus Hebræorum nono, opponit duo illa: Semel oblatus est, vt multorum peccata tolleretur, in secundo vero aduentu, apparebit sine peccato. Plena igitur abolitio peccati tunc demum futura est.

Argum. ex
ca. 9. Epist. ad
Hebræos.

Et si quæ aliæ similes sententiæ ex Scriptura opponuntur, generalis explicatio & solutio consistit in tribus hisce capitibus. Primo, sicut Paulus inquit Roman. 8. Liberati sumus à lege peccati & mortis: quia licet in nostra carne habitet peccatum, carne seruiamus legi peccati: nihil tamen damnationis est in iis, qui in Christo Iesu sunt. Secundo, Mortui sumus peccato. Roman. 6. Et vetus noster homo cum Christo crucifixus est, vt destruat corpus peccati, vt non amplius seruiamus peccato. Tertio, Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Vbi est mors stimulus tuus: Stimulus autem mortis, est peccatum, 1. Cor. 15. Ita generalis est Augustini responsio, contra Iulianum, lib. 6. cap. 5. Ad illam quoque perfectionem quæ speratur, eodem baptismate quod hic accipitur, peruenitur. Et lib. 2. sanat viciatum, à reatu statim, ab infirmitate paulatim. Et tractatu 41. in Iohannem: Post regenerationem baptismi, inquit, precemur medicum, faucii portemur in stabulum curandi. Et illustris est Augustini sententia, quæ omnibus obiectionibus opponi potest, libro 2. de meritis peccatorum, cap. 27. Tractans enim quæstionem, quomodo peccatum quod parenti remissum est, filio nisi renascatur, oblit, responderet: Quia renouati parentes, non ex primitiis nouitatis, sed ex reliquiis vetustatis, carnaliter gererant. Et addit: Illud præcipue propter quæstiones, quæ hac de re motæ sunt, vel moueri adhuc possunt, attendere & meminisse debemus: antummodo peccatorum omnium plenam perfectamque remissionem Baptismo fieri, hominis vero ipsius qualitatem non totam continuo commutari, sed spirituales primitias in bene proficientibus, de die in diem, nouitate crescente, commutare in se quod carnaliter vetus est: donec totum ita renouetur, vt animalis etiam infirmitas corporis, ad firmitatem spiritualem incorruptionemque perueniat. Ita Augustinus. Andradius vero contendit, non tantum reatum solui, verum etiam quicquid in concupiscentia habet rationem peccati, aboleri. Parentes igitur renouati, transmutent ad filios talem concupiscentiam ex qua quicquid peccati rationem habet, extirpatum est. Conciliet Andradius, qua est grandiloquentia, hanc suam sententiam cum Augustino.

Si vero baptizatus statim moriatur, dicimus cum Augustino libro secundo, de peccatorum meritis, capite 28. Si continuo consequatur ab hac vita migratio: non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant.

Hæc de sententiis, quæ ex Scriptura opponi solent, dicta sint. Quod enim Andradius ex Hieronymo citat, in Baptismo veterem Adamum prorsus inter-

interiisse: item baptismum ex toto nouum hominem facere, nihilq; veteris relinqui: ostendit, quales sint tortores Patrum Pontificij. Cum enim Paulus vbique clamitet, veterem hominem, licet cum Christo in Baptismo crucifixum, manere tamen in renatis, ita vt in hac vita semper sit mortificandus, deponendus & exuendus, Rom. 8. Gal. 5. Ephes. 4. Col. 3. Andradius Hieronymum honorifica afficit contumelia: quasi contra Pau. sentiat, veterem hominem in Baptismo prorsus interiisse, ita vt prorsus nihil vetustatis relinquatur in renatis in hac vita. Et hæcenus Andradius prætextu qualicunq; ex scriptura reliquias concupiscentiæ circumuestitas in theatro circumduxit, vt specie aliqua spectatorum oculos falleret. Audiamus iam porro, quomodo in Concilij penetralibus, de concupiscentia, quæ in renatis est reliqua, didicerit philosophari. Multis astruit politicum illud axioma: Nil habere rationem peccati, nisi sit voluntarium, Sed Rom. 7. Paulus inquit: Non quod volo, sed quod odi, facio. Galat. 5. ait: Vt non quæcunq; vultis, eadem & faciatis. Ergo concupiscentia in renatis, quæ non accedit consensus, nullam prorsus habet rationem peccati. Quia verò obiicitur, concupiscentiam etiam in renatis esse *ἀνομιαν*, propterea quia dissidet à norma legis, & cum illa pugnet: & quia lex est norma iustitiæ in Deo: quicquid igitur ab illa norma dissidet, & cum ea pugnat, habet rationem peccati. Argumenti huius mole, premi se omnes Pontificij sentiunt, ideo varias quærunt rimas vt elabuntur. Colonienfes. Colonienfes contra librum reformationis intelligunt, si concedatur concupiscentiã esse *ἀνομιαν*, continuo sequi, quod habet in se veram rationem peccati. Tergiuersantur itaq; legem non accusare & arguere ipsam cõcupiscentiam: sed hoc tantum, si perficiatur cõcupiscentia. Pighius vult hoc esse absurdum, si dicatur concupiscentiã ante Baptismum in nõ renatis habere veram rationem peccati, propterea quia à lege Dei dissidet, & cum ea pugnat: illam verò post Baptismum in renatis, licet repugnet legi mentis, ab omni culpa peccati, & iniquitatis ratione, ita absoluere, nõ tantum vt personam baptisatam non faciat ream, sed vt ipsa concupiscentia amplius non habeat vllam rationem peccati. Hoc Pighius existimat, valde absurdum esse. Ipse igitur contendit concupiscentiam etiam ante Baptismum, non esse vllam *ἀνομιαν*, sed cõditionem naturæ bonam, sanctam & iustam. Andradius verò cum Iesuitis concedit cõcupiscentiam in renatis esse *ἀνομιαν*, hoc est, dissidere à lege Dei, & cum ea pugnare: & tamen fortissime contēdit, nullam prorsus habere rationem peccati. Sed quo, inquis, artificio potest cõtra euentissima principia disputare? Audi quæso perfricat frontem, & superba voce detonat: non omnem *ἀνομιαν* esse peccatũ, sed *ἀνομιαν* esse genus peccati, sicut animal hominis. Sicut ergo quoddam animal est rationale, quoddã irrationabile: ita forsã quædam *ἀνομιã* erit mala, quædam bona: quædam iusta, quædam iniusta: quædam iniqua, quædam sancta: quædam displicens Deo, quædam placens: quædam erit peccatum: quædam bonũ opus, vel saltem indifferens. Sed cum diuina voluntas sit certa & immota norma & virtutis & vitij, quæ norma in lege patefacta est, vnde Paulus dicit: Per legem agnitio peccati. Item: Peccatum non agnouissem, nisi lex diceret: Non cõcupisces: Quomodo quæso Andradius firmissimum illud axioma potest infringere? Respondeo: Eludit tantum puerili & frigidissimo

hoc sophismate: Diaboli & homines scelerati repugnant legi Dei: & tamen Diabolus non est peccatum, & impius homo non appellatur peccatũ, sed peccator. Ergo non omne quod legi Dei repugnat, est peccatũ. De re grauissima agitur, quomodo scilicet lex Dei doceat agnitioẽ peccati, quæ rationi ignota est. Andradius verò quasi cũ pueris de talis luderet, obiecto sophismate, ridet, nõ soluit argumentum. Peccator & peccatum sunt coniugata, & peccator sane non est ipsum peccatum. Hoc tamen certissimum est, sine peccato nullum esse peccatorem: sed peccatorem & esse & dici, ratione peccati, seu propter peccatum. Ita homo impius repugnat legi Dei: sed quomodo? an ratione substantiæ, an vero ratione peccati, quo vitata est substantia? Certum est autem, nullam substantiam posse legi Dei repugnare, nisi per peccatum, vel ratione peccati. Vsq; adeo certũ, firmũ & fixum est, quicquid à norma iustitiæ in Deo quæ in lege patefacta est, dissidet, & cum ea pugnat, habere rationem peccati.

In Græcis vocib. plane nullus est locus Iesuitarũ sophismati. Si enim dicam: Impij homines sunt *ἀνομοι*, sed non sunt ipsa *ἀνομία*: ergo non omnis *ἀνομία* est peccatum. Quam ridiculum est argumētum, omnes intelligunt. Quando vero Ioan. dicit: Peccatum est *ἀνομία*: Latine non potest commodius reddi, quam si dicamus: Peccatum est, quod à lege Dei dissidet, siue quod legi Dei repugnat. Ex illis Latinis vocib. sumit Andradius post Iesuitas, occasionem cauillandi, cum non ignoret, cauillũ illud in Græcis vocib. prorsus nullũ habere locum, sicut ex hoc exemplo intelligi potest. 1. Ioa. 5. scriptum est: *πᾶσα ἀδίκημα*, hoc est, omne q̄ iustitiæ repugnat, est peccatum. Iam ex Iesuitarũ logica possem tale argumentum texere: Diabolus & impij pugnant cum iustitia, & tamen non sunt ipsum peccatum: ergo falsum est quod Iohannes dicit, *πᾶσα ἀδίκημα*, hoc est, omne quod cum iustitia pugnat, esse peccatum. Sed quis talem sophisticam cauillandi libidinem non detestetur, in re præsertim tam seria? Eadem certe ratione peccatum vocatur *ἀδίκημα*, sicut *ἀνομία*, quia lex est regula iustitiæ. Sicut igitur omnis *ἀδίκημα* est peccatum, ita & omnis *ἀνομία* est peccatum.

Sed Lectorem oro, vt hoc attente consideret, quod Andradius Tridenti in ipso Concilio, cum tragicis vociferationib. diu multumq; contendisset, nõ omnem *ἀνομιαν*, hoc est, nõ omne quod à lege diuina dissidet, & cum ea pugnat, peccatum esse: postea in 5. lib. Iesuitarum axioma fortiter defendens, pronũciat: Quicquid à Prælatorum Ecclesiæ, ac maximè à Romani Pontificis iussis dissidet, & cũ illis pugnat, immane esse peccatum: & maiori scelerè inuolui illum qui Pontificias, quam qui diuinas leges perfrigerit: si præsertim Prælatorum despicientia, & legum Pontificiarum contemptione feratur. Hæc enim sunt Andradij verba. Et quidem tam strictè hoc vrget, vt ideo cum Iesuitis pronũciare non vereatur, illos esse velut Ethnicos & publicanos habendos, qui filij Dei præscriptum, & veteris Ecclesiæ consuetudinem sequentes, Romani Pontificis & Prælatorum eius præscriptione, ab vtraque Christi Eucharistiæ specie sumenda non retardantur. Huc scilicet tendit operosa illa disputatio, non omnem *ἀνομιαν* esse peccatum, vt hominum mandata diuinis præferantur. Et quidem Tridenti in ipso Concilio Andradius illa disputat.

Profecto necesse est, Andradiũ habere nos Germanos non aliter, quam bestias, & pecora campi quibus

*Axioma fir-
missimum.*

quibus manifestissimum & firmissimum hoc axioma, per tam puerile sophisma arbitratur se ridendo posse extorquere. Sed stat contra omnes portas inferorum inuictum axioma: Quicquid in natura rationali dissidet à norma legis, & cum ea pugnat: siue sit defectus, siue *ἀρετή*, siue inclinatio, siue actio, siue amissio, est peccatum. Non enim per Philosophiam, quæ de voluntariis tantum actionibus loquitur, agnitio peccati, sed per legem. Lex verò accusat & arguit, nō tantum consentire concupiscentiæ, vel ire post concupiscentias, sed ipsum etiam concupiscere. Et hoc peccatum Paulus dicit se non potuisse cognoscere, nisi per legem quæ dicit: Non concupisces. Hæc firmissima fundamenta, Andradius labiis suis magniloquis cōspurare quidem conatur, sed infringere nō potest: nisi forsan aliam voluerit fingere normam iustitiæ & peccati in Ecclesia, quam quæ est in mente diuina, quæ in lege ipsius nobis patefacta est. Et sane disputans de loco Iacobi. Qui in vno delinquit, reus est omnium: nō obscure significat, charitatem qualis & quanta in renatis in hac vita est, esse normam iustitiæ: & quicquid mensuræ huius charitatis non aduersatur, licet ad legem Dei nō congruit, non esse peccatum. Et talia censet esse peccata venialia, & ipsam concupiscentiam. Et alibi magis probat, quod scholastici dicunt, peccatū esse contra naturam hominis, qualis nunc est, quam esse *ἀνομιαν*. Sed quid multis disputo? colligere hinc promptum est, Pontificios non curare magnopere *ἀνομιαν* contra legem diuinam, modo nō repugnetur iis, quæ Pontifex in scrinio pectoris sui gerit. Vitale autem est, Lectores scire, ex traditionibus Concilij Tridentini non scriptis, esse hanc vnam, non omnem *ἀνομιαν* esse peccatum: Et quid est, si hoc nō est legem Dei conculcare? pleno scilicet ore fateri, aliquid esse *ἀνομιαν*: & tamen ridere illos, qui propterea coram Deo se humiliant, & petūt peccatum illud non imputari? Sed Lector ipse prophanā hanc Andradij philosophationem de peccato cōsideret. Eiusdem generis est, quod Andradius in hac disputatione affirmat, tegere peccata, occultare, non imputare, remittere, Rom. 4. Ps. 32. nihil aliud significare, quam omnes peccati fibras penitus extirpare, ita vt ne vestigium quidem vllū reliquum sit. Noua plane est hæc Tridēna Grammatica. Ineptissimus igitur est Paulus, qui tam muliebriter quiratur, Roman. 7. Si remissio peccati ipsas fibras peccati ita extirpat, vt ne vestigium quidem eius reliquū fiat. Manifestissime certe dicit Paulus, post remissionē, peccatum adhuc in carne sua habitare. Quanta igitur huius rhetoris impudentia est, fingere nouam plane Grammaticam, quod tegere, non imputare, remittere, sit malum ipsum penitus extirpare. Propiciatorium tegens tabulas legis, figura fuit quomodo tegantur peccata. Num verò illud operimentum arcæ, erat extirpatio tabularum legis. Ps. 32. est verbum *כִּסָּה*, quod etiam vsurpatur Proverb. 12. Homo astutus tegit sententiam, hoc est, iuxta Andradium, extirpat. Ezech. 18. Nudum operiet vestimento. Ionæ 3. Operient se faccis. Accōmodet huc quæso Lector nouam Andradij Grammaticam, & mirabilis erit metamorphosis. Ezech. 13. verbum illud vsurpatur de Pseudoprophetis, fouentibus peccata vano prætextu. Nunquid ibi, bone Andradi, significat peccatum extirpare? Sed Andradius inquit: In Psalmo mox sequitur, in cuius spiritu non est dolus. Maximus autem esset dolus, fingere peccata esse remissa, quæ in carne adhuc hæreāt? Nihil

autem aliud respondebo, quam quod Augustin. dicit lib. 2. contra Iulianum, de hac Davidis sententia: Confitetur etiam peccata iustorum, magis asserens eos in Dei misericordia spem ponere, quam de iustitiæ sua fidere. Et ideo nō est in ore eius dolus: imò in ore illorū omnium, quibus huius veracis humilitatis, vel humilis veritatis perhibet testimonium. Opponat hæc Lector. Augustin. dicit confiteri etiam iustorū peccata, est quod David inquit: In spiritu eius non est dolus. Andradius verò inquit: In illius spiritu non est dolus, qui nullum in se peccati vestigium agnoscit. Et huc accommodat, quod Ps. 51. petit deleri iniquitatem. Verbum enim *כִּסָּה* significat talem deletionem, sicut cum patinam quis inuertit & abstergit, 4. Reg. 21. Sed titulus Psalmi testatur, quod loquatur de peccato actuali: quod iuxta Augustinum, actu transit, & reatu manet, quem hoc modo deleri Propheta petit. Sed illo reatu ita deleto, vide quid porro petat David: Multiplicetur ablutio mea, amplius iterum atque laua me ab iniquitate mea. Sed quid opus est continuo repetita mūdatione, si iam deleta est iniquitas adulteri? sicut verbū *כִּסָּה* significat. Id verò David ipse ostendit, cū inquit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, &c. Et hoc dicit 50. ferme annis post acceptam circumcisionem. Hoc igitur est peccatū illud, quod Ps. 52. petit tegi: pro quo omnē sanctū orare nec esse sit.

Sed nō dubito, pium Lectorem iam dudum pertractum Andradianæ impudentiæ, quæ digna prope diem erit galero Cardinalitio. Vnum igitur tantum adhuc addam, vere magistrale Andradij artificium. Sententiam Ioannis: Si dixerimus nos peccatū non habere, &c. ita conspurcat, vt cōtendat intelligendam esse, de actualibus solum peccatis, & de adultis hominibus, qui propria se actione possunt commaculare: quando scilicet flammæ concupiscentiæ, subitum aliquem voluntatis assensum secum rapiūt. Et Lectorem oro, vt attente consideret, quorsum disputationes Pontificiorum de reliqua in renatis concupiscentia tendant, Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, disputat, excepto vno homine Iesu Christo, neminem vel fuisse, vel esse in hac vita sine peccato. Et alibi dicit: Si omnes sancti & sanctæ in vnum congregentur & rogentur, omnium vnā fore vocem: Si dixerimus, nos peccatum non habere, &c. Sed Andradius nuper in Tridentino Concilio didicit: 1. Infantes baptizatos, & qui ad adultam ætatem non peruenerunt, nō comprehendi illa sententia. 2. Quando homo est sine peccatis actualibus, sicut est in somno: tunc iuxta Andradium, non comprehenditur in illo dicto Iohan. 3. Quando concupiscentia quiescit, aut etiam quando mouetur: si non rapiat secum voluntatis aliquem assensum, tunc adultus non habet peccatum. Sit igitur & hæc vna ex traditionibus Tridentini Concilij non scriptis: Inter renatos in hac vita valde multos esse, qui contra Iohannis testimonium vere dicere possent, se peccatum non habere: quia multi sunt baptisati, qui ad ætatem adultam nondum peruenerunt. Et Andradius Tridenti in Concilio dicit, Iohannis sententiam de adultis tantum intelligendam, ipsos etiam adultos renatos, in hac vita valde sæpe esse sine peccato: nam quando dormiunt, non maculant se actuali aliquo peccato. Et quando concupiscentia quiescit, aut quando ita ipsi resistitur, vt nullum voluntatis assensum secum rapiat, tunc iuxta Pontificios nō est peccatum. Renati igitur adulti, in maiori vitæ huius parte, poterunt

terunt cōtra Ioannem testimonium dicere, se peccatum non habere. Corrigenda igitur erit Ioannis sententia, vt tantum de quibusdam renatis in hac vita, & non semper, sed aliquando tantum verū sit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est. Si cum truncis & stipitibus, qui nihil intelligunt, Andradius negotium haberet, non posset maiori libidine, quæcunque ipsi libent, sine probatione dictitare. Nam ne mentionem quidem dignatur facere, quod Paulus Roman. 7. tam tristi querela peccatum inhabitans deplorat: quod ideo vocat peccatum inhabitans, vt recte intelligi possit, quod Ioannes dicit: Si dixerimus nos peccatum non habere, &c.

Imò ex illa sua sententia Andradius affirmat, renatos nec omnes, nec semper in hac vita opus habere illa precatione: Dimitte nobis debita, &c. quia nec ipsa concupiscentia, nec motus eius, si non accedat cōsensio, sint peccata vel debita. Atqui Christus ideo vocat debita: quia quæ lex flagitat, nec habere, nec præstare possumus in hac vita, ea perfectione sicut lex postulat. Illa igitur, quæ etiam in inchoata nouitate, legi flagitanti adhuc debemus, recte petimus dimitti: sicut Dauid facit, Psalm. 51. Non ignoro Augustinum aliquando dicere, propter concupiscentiam reliquam renatos non dicere: Dimitte, &c. sed propter actualia peccata. Sed idem Augustinus Epist. 29. inquit: Quam diu caritas augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet, propter quod vitium si dixerimus, quod peccatum non habemus, &c. (aduerte hoc Andradi) propter quod etiam quātumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra, cum iam omnia dicta, facta, cogitata dimissa sunt. Idem de verbis Apostoli, Serm. 2. Sed sufficit, inquis mihi, quod in Baptismo accepi remissionem omnium peccatorum. Nunquid quia delata est iniquitas, finita est infirmitas? Adhuc carnem fragilem portas, adhuc corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, adhuc utique dicis, donec sanentur languores tui: Dimitte nobis debita nostra. Hæ sententiæ, quia cum scriptura congruunt, essent producendæ. Sed hoc est artificium Pontificiorum, vt ex Patrib. sententiam aliquam arripiant, quam cōtra scripturam torquere possint, etiam cum non ignorent, Patres alibi rectius sentire & loqui.

Sed satis sit de hoc loco, in quo Andradij nimis insolens impudentia, longius quam constitueram, me prouexit: Lectorem autem oro, vt secum reputet, quid in reliquis fidei articulis existimet sibi à Concilio Tridentino expectandum: in cuius penetralibus, de peccato tam frigide, tam leuiter & prophane philosophantur, vt totam religionem ridere non obscure videantur: id quod ex sequentibus magis adhuc manifestum euadet.

AN BEATA MARIA VIRGO SINE PECCATO originali concepta sit.

APPENDIX DECRETI V. SESSIO- nis Tridentini Concilij.

D Eclarat tamen hac ipsa sancta Synodus, non esse suæ in-
renitionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de pecca-
to originali agitur, beatam & immaculatam Virgi-

nem Mariam Dei genetricem: sed obseruandas esse constitu-
tiones felicis recordationis Sixti Papa IIII. sub pænæ in suis
constitutionibus contentis, quas innouat.

E X A M E N.

Scriptura vbi de peccato originali loquitur, vni-
cum tantum hominem Iesum Christum, qui à Spi-
ritu S. conceptus, peccatum non nouit, excipit. Ta-
lis enim decebat nos Pontifex sanctus, innocēs, im-
maculatus, segregatus à peccatoribus, quæ Græce
significantius dicuntur: ἀμαρτία, ἀμάρτιον, κληρο-
νομία ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν. Hebr. 7. De reliquis verò
hominibus omnibus, qui ex cōmixtione viri & fœ-
minæ nascuntur, sine exceptione vniuersalem pro-
fert sententiam, Rom. 5. Per vnum hominem pec-
catum intrauit in hunc mundum, & per peccatum
mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in
quo omnes peccauerunt. 1. Cor. 15. Sicut in Adam
omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuifica-
buntur. Ephes. 2. Erasmus & nos natura filij iræ, sic-
ut & cæteri. Eodem etiam modo vetus Ecclesia, &
sensit, & docuit. Augustinus quidem de natura &
gratia c. 36. dicit: De sancta virgine Maria, propter
honorem Domini, nullam prorsus cum de pecca-
tis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim sci-
mus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincē-
dum omni ex parte peccatum, quæ cōcipere ac pa-
rere meruit, quem constat nullum habuisse pecca-
tum, &c. Et hoc quidem eo trahunt, quasi sentiat,
Mariam non comprehendi in sententiis scripturæ,
quæ de peccato originali loquuntur. Sed quia diser-
te dicit: Mariæ gratiam collatam ad vincendū pec-
catum: manifestissimum est, quod non sentiat Ma-
riam sine peccato conceptam fuisse, alias enim non
opus fuisset conferri ipsi gratiam ad vincendū pec-
catum. Ideo etiam vbiq; de peccato originali gene-
raliter loquitur, & tantum Christum excipit. De fi-
de ad Petrum, c. 23. Firmissime tene, & nullatenus
dubites, omnem hominem, qui per concubitū viri
& mulieris concipitur, cum peccato originali na-
sci, impietati subditum, mortiq; subiectum, & ob
hoc natura filium iræ nasci. De nuptiis & concupi-
scentia: Ideo Christus non de concubitu nasci vo-
luit, vt hinc etiam doceret, omnem qui de concu-
bitu nascitur, carnem esse peccati: quando quidem
sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.
Ambrosius in Lucam: Solus enim per omnia ex na-
tis de fœmina, sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ
contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate
nō sensit. Idem in Isaiam: Omnis homo mendax, &
nemo sine peccato, nisi vnus Deus. Seruatum est er-
go, vt ex viro & muliere, id est, per illam corporum
cōmixtionem, nemo videatur esse expers delicti.
Qui autem expers delicti, expers est etiā huius con-
ceptionis. Et quidem Augustinus dicit, eū qui con-
trarium sentiat, repugnare scripturæ. De perfectione
iustitiæ: Quisquis esse vel fuisse in hac vita ali-
quem hominem, vel aliquos homines putat ex-
cepto vno Mediatore Dei & hominum, quibus ne-
cessaria non fuisset remissio peccatorum, contra-
rius est diuinæ scripturæ, vbi Apostolus ait: Per v-
num hominem peccatum intrauit in mundum, &
per peccatum mors, & ita in omnes homines per-
transit, in quo omnes peccauerunt. Et contra Iu-
lianum lib. 5. c. 9. pronunciat esse hæresin, vbi enim
dixisset: Si absq; dubio caro Christi nō est caro pec-
cati, sed similis carni peccati, quid restat vt intelli-
gamus, nisi ea excepta, omnem reliquā humanam
carnem

carnem esse peccati? Et paulò post subiicit: Quisquis hoc negat, detestandus hæreticus inuenitur. Et ibi manifeste affirmat, Mariam in concupiscentia originali conceptam, inquit enim: Hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi voluit, fecisse in genere humano propaginem mali. Quia Mariæ corpus, quamuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod nõ inde concepit.

Bernhardus.

Bernhardus etiam dicit: Excepto homine Christo, vniuersos respicit, quod vnus humiliter confiteretur: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Hæc fuit veteris veræ & purioris Ecclesiæ sententia, ex scripturæ clarissimis testimoniis extracta. Et quidem Longobardus etiam lib. 3. dist. 3. inquit: Sane dici potest & credi, iuxta sanctorum attestaciones conuenientiam, ipsam verbi carnem prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua virginis caro, sed Spiritus sancti operatione mundatam, ita vt ab omni contagione immunis, vniretur verbo. Fuit igitur Longobardi adhuc tempore ignota opinio, Mariam sine peccato originali conceptam. Sed cõsideret Lector, quando primum absque verbo, specie aliqua bonæ intentionis à scripturæ testimoniis paululum disceditur, quid tandem consequatur. Longobardus enim arrepta occasione ex Augustini verbis, incipit sine verbo Dei disputare, fieri potuisse, cū Maria ex Spiritu sancto conciperet Christum, quod & ipsa simul tota ab omni peccato, etiam ab ipso fomite mūdāta, & penitus liberata fuerit. Sed qui Longobardum secuti sunt, non cõtenti fuerunt illa opinione: sed longius progressi, cœperunt disputare, Mariam cum primum in peccato originali concepta fuisset, postea in vtero sanctificatam, sine peccato natam fuisse. Et cum nullo scripturæ testimonio hoc probari posset, Apocrypha historia natiuitatis Mariæ, quæ nunc in proteuangelio Iacobi extat, primo tanquam opinio non omnino improbanda propõsita, postea verò tãquam Canonica veritas approbata fuit. Cumque iam in duabus de Maria virgine quæstionibus, extra scripturæ limites excessum fuisset, in scholis quidã disputare cœperunt, Mariam virginem etiam conceptam fuisse sine peccato originali. Cuius opinionis patronus Scotus postea factus est. Nullo verò verbi Dei testimonio, hoc ostendere potuerunt, imò ne conati quidem sunt, sed ratiocinabantur à possibili, Christum potuisse matrem suam in ipsa conceptione, ab omni originalis peccati contagio præseruare: & hoc conuenire dignitati & honori maris Domini. Huic verò opinioni, quia non tantum sine verbo Dei, & testimoniis antiquitatis proponebatur, verum etiam pugnabat cum manifestis scripturæ testimoniis, multi tunc contradixerunt: vt Thomas, Bonauentura, Gregorius de Ariminio, &c. Paulatim tamen festum conceptionis Mariæ, in quibusdam locis institui cœpit. Sed erant tamen multi, qui contradicerent, sicut testatur etiã glossa de consecrat. distinct. 3. c. prouocandum. Et magnis contentionibus res acta fuit, nõ in scholis tantum, verum etiam præ concione, coram populo, cum vna pars scripturæ testimoniis, & antiquitatis suffragiis pugnaret, altera verò pars, ex dignitate & excellentia prærogatiuarum Mariæ ratiocinaretur, & probationis loco afferret reuelaciones, miracula & similia. Tandem verò anno Domini 1483. Sixtus Pontifex Romanus autoritatem suam interposuit. Sed quomodo? Num ex scriptura quæstionem il-

lam diiudicari voluit? Nequaquam. Sed quia nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica sede decisum, ideo vtramque opinionem liberam esse, ita vt neutra accusanda aut damnanda sit hæreseos: & tamen quam sententiam ipse magis probet, non obscure indicat. Quia enim Romana Ecclesia tunc celebrabat festum conceptionis Mariæ, edicit ne quis reprehendat illam opinionem, propter quam festum institutum erat, quod scilicet Maria sine peccato originali concepta esset. Iam enim antea anno Domini 1466. constituerat, propõsita prolixa indulgentiarum mundatione, festum de mira conceptione Mariæ virginis, cum peculiari officio, in quo asseritur sine peccato originali concepta, ab omnibus fidelibus celebrandum. Et anno Domini 1439. Concilium Basiliense, Sessione 36. definit, opinionem illam, quod Maria nunquam subiacerit peccato originali, sed semper immunis fuerit ab omni originali & actuali culpa, ab omnibus catholicis tenendam & amplectendam, nulliq; de cætero licitum esse in contrariũ prædicare vel docere. Hæc recensui, vt rectius intelligatur, quid appendix Tridentini Decreti velit: vbi obiter dicit, de conceptione Mariæ virginis obseruandas constitutiones Sixti III. vt scilicet primò liberum sit, extra, præter, aut etiam contra verbum Dei opinari, an beata Maria virgo concepta fuerit sine peccato originali. Secundò, ne ex scriptura reprehendatur opinio illa, asserens ipsam in conceptione & animatione, ab omni penitus originalis peccati cõtagio præseruatam fuisse. Tertiò, ne quis ausit significare, sibi non per omnia probari reuelaciones, miracula, &c. quibus opinio illa, præter & contra scripturam stabilitur. Quartò, vt festum conceptionis Mariæ cum indulgentiis Papalibus, respectu illarum causatum, propter quas institutum est, religiose seruetur. Sed hæc quia valde crassa sunt, Tridentini Patres retineri quidẽ volunt, sed nudare verentur. Inuoluunt igitur generalitate quadam, quæ tamen non ita obscura est, quin animaduerti possit. Illã igitur generalitatem lectori paucis euoluam, & explicabo. Sixtus causas cur festum cõceptionis Mariæ celebrandum sit, has recitat: Quia Maria est via misericordiæ, mater gratiæ, pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere grauãtur, sedula oratrix, & peruigil ad regem, quem genuit, intercedit, ideo debitum reputamus, vniuersos fideles celebrare festum de mira eius cõceptione, vt exinde fiant eiusdem virginis meritis, & intercessione diuinæ gratiæ aptiores. Et ordinamus, vt qui celebrationi interfuerint, eandẽ indulgentiam & remissionem peccatorum cõsequantur, quam consequuntur in festo corporis Christi.

Anselmus originem festi de conceptione Mariæ, ita describit, quod Abbati cuidam in periculo naufragij, Mariam miserorum, & desperatorum spem deuote inuocanti, vir quidam à Maria missus apparuerit, qui reuelaret, si periculum illud euadere vellet, vt promitteret, se diem conceptionis Mariæ, sexto Idus Decembris velle celebrare, & celebrandum prædicare. Et concludit Anselmus: Nos ergo fratres, si portam salutis volumus apprehendere, Dei genitricis conceptionem dignis officiis celebremus, vt ab eius filio digna mercede remuneremur. Alia legenda narrat, Mariam clerico cuidam apparuisse, & dixisse: Si conceptionis meæ festa annuatim sexto Idus Decembris sollemniter celebraueris, & colenda prædiqueris, mecum in

regno

Regno vnigeniti mei laureatus eris. Et ratio ibi red-
ditur, quare Mariæ & Christi, non verò aliorum et-
iam sanctorum, conceptiones celebrentur. Digne
enim hanc dominationem super ceteros sanctos
illa debet habere, per quam omnes sancti sanctifi-
cantur & beatificantur. Dicitur enim Christus,
Sanctus sanctorum, & hæc, Sancta sanctorum. Ce-
lebremus igitur dignis officiis eius conceptionem:
vt ipsius meritis & precibus, à secularibus curis, &
à cunctis vitiis mereamur eripi, & ad gaudia Para-
disi perducì. Subiunguntur etiam in legenda, varia
miracula, quibus ipsa Maria peculiaribus appari-
tionibus approbarit illam sententiam, quod sine om-
ni penitus originali peccato concepta fuerit, &
quod per multa prodigia punierit illos, qui exce-
pto vno homine Iesu Christo, vniuersalè scripturæ
definitionem sequantur: In peccatis concepit me
mater mea.

Hæc omnia, & his similia, complectitur appen-
dix decreti Tridentini, quod iubet obseruare con-
stitutiones Sixti IIII. Et arbitror, quosdam inter
ipso pudore retractos, noluisse vt nominatim &
expresse talia recenserentur. Quia tamen nihilo-
minus retinenda & stabilienda fuerunt, visum fuit
illa generalitate quadam inuoluere, quam Lectori
iudicauì paucis explicandam esse.

Si quis verò scire cupit, quæ sit Tridentini Con-
cilij de conceptione Mariæ sententia, videri sane
posset, quia mentio fit constitutionum Sixti, quod
disputationem illam relinquat sub libera opinandi
licentia, sed verba diuersum omnino ostendunt.
Cum enim dixissent, Adamum transfudisse pecca-
tum in omne genus humanum, mox adiciunt appen-
dicem: Declarat tamen hæc ipsa Synodus, non
esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decre-
to, vbi de peccato originali agitur, beatam virgi-
nem Mariam. Quibus autem documentis ostendunt,
ab expressis generalibus scripturæ sententiis
de peccato originali, Mariam virginem esse exci-
piendam? Num sacra scriptura ita docet? Non do-
cet. Num forsan fit mentio apud veteres huiusmo-
di alicuius traditionis, quasi ab Apostolis acceptæ?
Non fit. Num forsan vetus Ecclesia ita sensit? Num
Patres ita docuerunt? Neque hoc ostendi potest.
Sed allegantur reuelationes, finguntur miracula.
Supra autem ostendimus, quomodo Augustinus
contra Petilianum ex scriptura probet: In rebus fi-
dei, post constitutum scripturæ Canonem, nec re-
uelationibus, nec miraculis, præter aut contra scri-
pturam credendum esse, multa enim talia fingi ab
hominibus, & si non fingantur, scripturam tamen
præmonere, ne illis cõtra verbum credamus. Deu-
teron. 13. Matth. 24. 2. Theff. 2. Nec scripturam igitur,
nec traditiones curant Pontificij, quando vo-
lunt novos fidei articulos condere, sed solum fun-
damentum est, quod Persius inquit:

Quod volumus, sanctum est.

Vel sicut Canonistæ loquuntur: voluntas Papæ
est ipsi pro lege, in his quæ vult.

Nihil autem hac disputatione detractum volo
dignitati beatæ Mariæ virginis. Amplector enim
summa animi reuerentia, quod ipsa canit: Ex hoc
beatam me dicent omnes generationes, quia ma-
gna mihi fecit, qui potens est. Sentio autem ita re-
cte beatam prædicari Mariam virginem, si ea ipsi
tribuantur, quæ & scripturæ consentanea sunt, &
inde probari possunt, vt sanctum sit nomen Domi-
ni. Nec vlla alia celebratio ipsi grata esse potest.

DE OPERIBVS INFI- DELIVM, SEV NON renatorum.

SEXTAE SESSIONIS TRIDENTINI
Concilij capitulum, de imbecillitate naturæ & legis,
ad iustificandos homines.

Primum declarat sancta Synodus, ad iustificationis do-
ctrinam probe & sincere intelligendam, oportere vt
nusquisque agnoscat & fateatur: quod cum omnes ho-
mines in prauaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti
immundi, & (vt Apostolus inquit) naturæ filij iræ (quemad-
modum in Decreto de peccato originali exposuit) & que adeo
seruus erant peccati, & sub potestate Diaboli ac mortis, vt non
modo gentes per vim naturæ, sed ne Iudæi quidem, per ipsam
etiam literam legis Moyfi inde liberari aut surgere possent,
tamen in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, &
vrius licet attenuatum & inclinatum.

CANON I.

Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanam
naturam vires, & vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per
Christum Iesum gratia posse iustificari coram Deo, anathe-
ma sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt,
quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei
mereri: aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad
gratiam, tanto eum grauius peccare, anathema sit.

EXAMEN.

Dixi aliquoties, Andradij scriptionem, quam in
Concilio, iussu Patrum instituit, ad hoc prodesse,
vt Decreta Concilij rectius intelligere, & penitius
introspicere possimus. Conclusiones enim saltem,
seu (vt vocant) nudas decisiones, Decreta nobis
proponunt: Andradij verò beneficio iam incipi-
mus in singulis ferme decretis, arcana quædam co-
gnoscere, quæ scilicet fuerint in Concilio disputa-
ta & deliberata, quo artificio decreta condita, &
quo sensu Patres voluerint illa accipi. Cuius valde
luculentum exemplum, hic locus nobis præbebit.
Neque enim facile quis diuinaret, quid sibi vellent
duo illa contraria decreta.

1. Omnes homines propter peccatum originale,
vsque adeo esse seruos peccati, & sub potestate Dia-
boli ac mortis, vt non modo gentes per vim natu-
ræ, sed nec Iudæi quidem, per ipsam etiam literam
legis Moyfi inde liberari ac surgere possent.

2. Quod iubent anathema esse, si quis dixerit, o-
pera quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ra-
tione facta sint, vere esse peccata. Sed hæc mysteria
Andradij reuelationes nobis pandent. Eius igitur
explicationem, remoto grandiloquæ ipsius stre-
pitu simpliciter recitabo.

ANDRADII SENTENTIA, DE OPE- ribus infidelium.

I. Narrat Canonem 7. conditum propter illos,
qui naturæ deprauationem ita amplificat, vt di-
cunt, nihil ab ea, quamdiu iustitiæ expers fuerit,
emanare, peccati turpitudine & culpa non conta-
minatum, nisi prius iustitia fuerit informata, &
per Spiritum renouata. Sententia igitur illius Ca-
nonis, iuxta Andradij declarationem, hæc est, ab
impiis, in quibus nec persona Deo est reconciliata,
nec

Sententia
Canonis 7.

nec naturæ renouatio per spiritum inchoata, imò qui iustitiæ de qua Paulus disputat, expertes sunt, multa operæ emanare, quæ omni peccati turpitudine & culpa careant. Recito enim Andradij verba, qui addit: Sed quid in huiusmodi operibus desideretur, non tam iustitiæ, quam diuinæ cognitionis defectui adscribendum esse.

II. Quia non potest negare, Augustinum & Prosperum ex scripturæ sententia longe aliter, quam scholasticos doctores, de hac quæstione disputare; dicit, ab Ecclesia & Conciliis iròndum esse definitum, quo genere infidelium opera censenda sunt, ideo cuiq; liberum esse opinari. Illam verò opinandi libertatem, Lector ita intelligat. Scholastici disputant, hominem non renatum, sine fide & Spiritu sancto, ex puris naturalibus posse præcepti Dei implere, quoad substantiam actus, & infidelem, qui hoc modo facit opera præceptorum, non peccare: hominem etiam existentem in peccato mortali, posse ex puris naturalibus vitare, & cauere quoduis peccatum mortale, ne de nouo illud committat, & infidelem hoc modo, faciendo quod in se est, remouendo scilicet obicem peccati mortalis, & eliciendo bonum actum ex libero arbitrio, mereri de cõgruo, vt Deus ipsi det gratiam. Quod si quis quærat, quid Tridentinum Concilium de his scholasticorum opinionibus sentiat, non facile hoc in decretis deprehendere poterit, & posset sane aliquis existimare, propter improbandas illas opiniones, posita esse hæc verba in decreto, homines vsq; adeo esse seruos peccati, vt Gentes per vim naturæ inde liberari ac surgere non possent. Sed Andradius, iussu Concilij in ipso Concilio scribens, dicit liberum esse in hac disputatione cuique opinari. Et quidem inter liberas illas opiniones, recitat etiam hæc: Infidelium virtutes licet non sint perfectæ, & æternis præmiis dignæ, posset tamen aliquando humanas vires generalibus tantum auxiliis fultas, & sustentatas, omnem peccati turpitudinem vitare.

Augustinus certe de Pelagianis dicit: Sunt quidem ita præsumpti de libero arbitrio, vt ad non peccandum, nec adiuuandos nos diuinitus opinentur, semel ipsi naturæ concessio libero voluntatis arbitrio. Et semper opponit illam Pauli sententiã, secunda Corinth. 13. Oramus Deum, vt nihil mali faciatis.

De peccatorum meritis lib. 2. c. 5. inquit: Repellamus ab auribus & mentibus nostris, eos, qui dicunt, accepto semel liberæ voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, vt Deus nos adiuuet, ne peccemus. Sed vt video, quæ olim fuerunt Pelagiana, iam in Tridentino Concilio facta sunt liberæ opiniones.

III. Andradius narrat, sapientissimis viris hæc sententiã maxime probari, infidelibus non generali tantum influentia, sed peculiaribus diuini auxiliij subsidiis opus esse, vt opera faciant, omnis culpæ vacua. Et quis non hoc vt sane dictum acciperet? sed sicut ipse Andradius se explicat, intelligit peculiaris subsidia, non gratiam regenerationis & renouationis per Spiritum sanctum, sed motus seu impetus peculiates in non renatis, quos vulgo vocamus heroicis, quales fuerunt in excellentibus Ethnicis. Et illis subsidiis affirmat, infideles qui spiritu regenerationis & renouationis destituti sunt, posse opera efficere, quæ omni turpitudine careant, omnis culpæ sint vacua, & nulla culpa contaminata. Et vt forsitan infideles actiones illas in Deum, quem ignorat, referre non possit, in maximam ta-

men Dei gloriam illas cedere, quæ nulla sunt turpitudine contaminata.

Addit verò: Etiam si desint peculiaris illa subsidia, non tamen arbitramur, omnes illorum actiones consulto, & cum deliberatione susceptas, peccata esse. Et vt aliquando sint peccata, non tamen ideo hoc esse, quod ab impio & infideli animo profiscantur: sed tantum ideo, quia non referantur ad verum finem, vt Deo seruiant.

III. In libello contra Iesuitas notaueram, quædam Iustini, Clementis & Epiphaniij valde incommode de hac quæstione dicta, quæ cum scriptura manifestissime pugnant. Vt quod Iustinus disputat, Socratem & Heraclitum, quia secundum rectam rationem vixerint, fuisse Christianos: Clemens dicit Philosophiam per se iustificasse Græcos, Epiphanius dicit, sine lege Mosaica & Evangelica, sola lege naturæ, multos fuisse iustificatos & saluatos. In illis dictis Andradius non querit mitigationem, quæ sit analogia fidei, sed sicut sonant, suscipit illa defendenda: nihil enim tam absurdum est, & impium, quod non speret sua se grandiloquentia posse defendere. In initio autem quasi cæstro percitus debacchatur, inferri cœlitibus bellum, cœlestia iura perfringi, &c. si non quæcunque & quomodocunque dicta Patrum, etiam contra manifestissimas scripturæ sententias amplectamur. Sed quæso te mihi Lector, patienter ausculta, quæ portenta Andradij, inter has debacchationes exciderint. Videbis enim prophanas & contumeliosas Thammerti opiniones, de fide, & de salute Philosophica sine verbo Dei, & sine Spiritu sancto, quorum ipsos hæcenus in Germania Pontificios puduit, iam non tantum in ipso Concilio Tridentino sinu clanculum foneri, sed publice omnibus amplexandas & excolendas proponi.

Et huius quidem generis multa legi disputata, cum apud veteres, tum apud recentiores. Sed vere possum Lectori confirmare, apud neminem me legisse, quæ tam impudenter sint prophana, tam contumeliosa in verbum Dei, & tam blasphemata in incomprehensibilia iudicia Dei, quam hi Cerberet sunt Andradij latratus. Cur enim non rem suo nomine appellem? Agnoscat autem hinc Lector, fucum tantum esse, quod iactant Pontificij, se pro Apostolicis traditionibus pugnare. Idem enim ipsis est, quæcunque quis religionem amplectatur, siue sit Philosophica, siue forsitan Turcica: modo ipsis status regni sui saluus maneat. Illis enim qui verbo Dei profus caruerunt, salutem liberaliter promittunt. In hæc autem sententiã scribit Andradius, idq; in ipso Concilio Tridentino: Nullum, inquit, dubium est, fidem necessariam esse ad iustitiã & vitam æternam. Iustus enim ex fide viuunt. Illa verò fides, & vera Dei cognitio ad iustitiã & salutem æternam, non ex sacris tantum literis, diuinisque oraculis, sed ex rebus etiam iis, quæ sensibus subiiciuntur, haberi potest.

Et ita interpretatur primum caput ad Romanos. Et mox suo more addit exclamationem: Philosophi, qui ab inani Deorum multitudine abhorruerunt, vnicum verò Deum, quem totis viribus inquisuerunt, mente complexi, & religiose venerati sunt, illi perpetuo placere studentes, illos tu Chemnici, illa fide, Deique cognitione destitutos dices, per quam scilicet impius iustificatur, & ex qua iustus viuunt? Summa autem est, quod probare cõtendit, non posse Deum, vel ab iustitiã,

Verba Andradij.

Augustinus.

Virtutes infidelium.

Thammerti de salute philosophica.

Andradij sententiã de Philosophis, quibus Verbum Dei non est patet factum.

iustitia, vel à crudelitate defendi, si non arbitremur ad salutem satis fuisse illam Dei notitiam, quæ & naturaliter hominum mentibus insita est, & cōsideratione creaturarum acquiri potuit. Quid autem, quæso, Andrado significat, quod Paulus dicit: Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt sine fide? fides vero ex auditu, auditus per verbum Dei, Roman. decimo: Ideo certe Deus, ab initio mundi, dato certo verbo, se & voluntatem suam generi humano patefecit. Illud enim solum est ordinarium Dei organon, per quod Spiritus sanctus operatur & accendit fidem, quæ ad salutem est necessaria. Sed siste paulisper lector, nondum enim habes totum mysterium iniquitatis, quod in priuatis Concilij Tridentini congressibus, de hac disputatione agitatum fuisse, ex Andrado discimus: Sentit enim Andradius vim huius obiectionis: Non sufficere ad salutem, generalem & confusam illam notitiam, qualis fuit in Ethnicis: quia cognitio & fides redemptionis per Christum, omnibus seculis ad salutem necessaria fuit.

Sed arripe aures, quomodo Andradius in Concilio Tridentino, hanc obiectionem soluere didicerit. Ita enim inquit: In ipsa diuina prouidentia gubernatur res creata, implicate & abscondite continetur humani generis per Christum redemptio. Philosophi igitur, qui generalem illam Dei prouidentiam perspectam habebant, simul sane intelligebant: nihil Deum prætermisurum, vt homines sempiterna felicitate perfruerentur. Atq; ita non prorsus ignorasse Christum Iesum crucifixum dicendi sunt, etsi rationem quam Deus esset initurus humanæ salutis curandæ, comper tam minime habuerint. Hæc vere sunt non humana, sed diabolica ludibria fidei iustificantis, & verbi diuinitus patefacti. Quam modeste, & quam pie Augustinus loquitur, quando incidit in quæstionem prædestinationis de iudiciis Dei, de corruptione & gratia, c. 8.

Si à me quærat, ignorare me respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo, tu quis es qui responsas Deo? &: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius. Quantum igitur nobis iudicia sua manifestare dignatur, gratias agamus, quantum vero abscondere, non aduersus eius consilium murmuremus, &c.

Libro tertio Hypognost. cur hoc illi operetur, illi non operetur, metuentem me, & trementem iudicia eius inscrutabilia & incomprehensibilia, nolo interrogas. Quia quod lego, credo, non autem discuto. Quis enim est homo, qui respondeat Deo? &c.

Andradius vero disputans de philosophis, quibus Deus verbum suum non patefecit, inquit: Neque enim duritas atque immanitas terrior vlla esse potest, quam sempiternis cruciatibus mancipare homines, propter illius fidei inopiam, quam consequi nulla ratione poterant. Et postea de fide philosophica: Cum aliam agnitionem naturæ non poterunt habere, impossibilia in obligationem cadere, ferus solum, teter, humanitatiq; hostis quispiam poterit existimare. Deum immortalem, quam plena hæc sunt horrendæ blasphemix, contra tremenda & incomprehensibilia iudicia Dei! Et hæc in medio Concilio Tridenti scripsit Andradius, quæ conuenientius in Turcica barbarie disputaretur. Et quid

est, si hoc non est verbum Dei proculcare, fidem iustificantem ludificare, & iudicia Dei blasphemare? Quid ergo miramur, Pontificios Scripturæ tam parum tribuere, cum non vereantur & fidem & Ecclesiam fingere, quæ prorsus nullum habeat verbum Dei vel scriptum, vel patefactum? Olim Appelles Marcionita, apud Eusebium, li. 5. ca. 13. dicebat, Quemq; in eo quod crederet relinquendum esse, saluandos enim omnes, modo in crucifixum credant, & in bonis operibus inueniantur. Rhetorius postea apud Philastrium docebat, omnes religiones, modo haberent intentionem & conatum colendi Deum, recte ambulare. Nunc vero (ô flagitiosam postremi seculi labem) Tridenti in medio Concilio Andradius Philosophis qui nec sacras literas, nec diuina oracula habuerunt, tribuit veram fidem, iustitiam fidei, salutem æternam. Fabricet ergo nouam Ecclesiam, aliud cœlum, & peculiarem beatitudinem, vbi membra, ciues & participes sint, quicunque ignari fuerunt verbi Dei, si tantum iuxta rationem vixerunt. Eradatur itaq; & conculcetur sententia Pauli, 1. Corinth. 1. Cum in Dei sapientia, mundus per sapientiam non cognosceret Deum, placuit Deo, per stultam prædicationem saluos facere credentes. Frustra ergo clamitat Esaias, ad legem & ad testimonium: Si non dixerint vobis iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

Nec constabit, quod Christus dicit Ioannis 17. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Illam vero sententiam, quam Andradius in Concilio Tridentino publicè profiteri non veretur, Augustinus diserte refutat & damnat vt Pelagianam, saluatos scilicet fuisse aliquos, sine agnitione, & fide Evangelij, sola lege naturæ. De Natura & gratia, ca. 2 De peccato Originali, li. 2. ca. 26. Ad Bonifacium, li. 1. ca. 21. Et contra Iulianum, li. 4. ca. 3. ita alloquitur Pelagianos. An forte Fabricius, Regulis, Fabiis, Scipionibus, Camillis, cæterisq; talibus prouisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumq; cœlorum: vbi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide impossibile est placere, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt. Non opinor perditionem vestram, ad istam posse impudentiam profluere, &c. Sed quid dicis bone Lector? quod Augustinus ne hæreticos quidem ausuros arbitratus est, illud libere iam non tantum disputatur, sed publice scribitur & editur, idque non in Philosophica aliqua palæstra, sed in sacrosancta, si dis placet, & œcumenica Tridentina Synodo. Sleidanus scribit, anno 1552. Franciscanum quendam, Tridenti feruente Concilio, pro concione publice, cum 2. caput ad Romanos explicaret, docuisse, eos, qui Christi cognitionem non habuissent, si modo honeste vixissent, salutem esse consecutos. Et ille quidem tunc docere desit, quasi Patribus dogma illud non probaretur. Sed iam Andradius publico scripto, quod in ipso Concilio composuit, sententiam illam probat & defendit. Et ego sane æquius iam fero, quod tumida Andradij acerbitate tam contumeliose proscindat & flageller: cum hoc modo prodantur talia Concilij mysteria, ex quibus lectores euidentius, quam ex scriptis decretis intelligere possunt, quæ opiniones in intimis Concilij penetralibus, de religione agitata fuerint, qualem doctrinæ reformationem quæsiuerint, & quam insidiosè plurima in decretis suis posuerint & occultarint. Non facile quis animaduertet, prophanam illam opinionem in decretis

*Apellis Marcionita
apud Eusebium.*

*Philosophi ab
Andradio as-
scribitur san-
ctum æterna.*

*Franciscano
cuiusdam cō-
silio referens
Sleidano.*

illis latere, & vt maxime quis tale quid suspicaretur, multi clamitarent, inuidiæ conciliandæ gratia, decretis hoc affingi. Sed habemus iam aduocatum & interpretem Concilij Andradium, explicantem primum capitulum sextæ Sessionis, quomodo homo, suis operibus, quæ per humanæ naturæ vires fiunt, iustificari non possit. Quod enim ex Clemente notaueram quosdã Philosophia iustificatos, hoc Andradius ita explicat ipsam quidẽ Philosophiam nunquam habuisse vim ad iustificandum, sed ad iustitiam comparandam fuisse olim Græcis necessariam. Diuinum enim numen, philosophiæ ministerio vsum fuisse, vt homines excellentissimæ illi disciplinæ deditos, clarissimis iustitiæ ornamentis illustraret. Intelligit autem non Ethnicam iustitiam, sed Christianam quæ ad vitam æternam perducit.

Quid item 7. Canon de eo, qui nititur se disponere ad gratiã, verbis obscurioribus velit, Andradius aperte explicat, declarans illud Clementis, quod Philosophia sit pædagogia ad Christum, hæc enim sunt eius verba: Philosophiæ meditatio, quia mētem Dei cognitione illustrat, pietate informat, virtutumq; institutis & amore exornat, ad Euangelium quodammodo viam munit. Animus enim, qui ex philosophia (de illa enim Andradius loquitur) vera Dei cognitione, virtutumq; luminib. est illustratus, atque in diuinarum rerum contemplatione latis versatus, facilius quidem ad reliqua fidei mysteria adduceretur, &c. Et philosophiæ sane, si intra suos terminos se contineat, suus, & quidem honestus in vita humana locus tribuendus est, sed nullo modo est cōmiscenda cum doctrina Ecclesiæ in iis, quæ sunt spiritus. Paulus enim dicit, 1. Cor. 1. Græcis doctrinam Euangelij esse stultitiam. Et ca. 2. Homo *ψυχικός* nō capit ea, quæ sunt spiritus, stultitia enim sunt illi, & non potest agnoscere. 2. Cor. 10. dicit: Omnem intellectum captiuandum esse in obsequium Christi, quia *φρόνημα* carnis, inimicitia est aduersus Deum. Rom. 8. Et ideo Coloss. 2. vocat *σπλαγχνίαν*: quando etiam vera Philosophia extra suos terminos, possessionem doctrinæ Ecclesiæ inuadit. Et de veris Philosophis dicit Tertullianus, philosophos esse Patriarchas hereticorum, qui Ecclesiæ puritatem doctrina sua commacularunt.

SCRIPTURAE SENTENTIAE
de operibus infidelium.

Sed redeamus ad disputationem de operibus infidelium. Desinet autem iam lector mirari, quod Pontificij renatorum operibus, perfectionem & meritum vitæ æternæ ex condigno tribuāt, quodq; de peccatis fidelium tam leuiter sentiant. Nam & infidelium opera, docent posse omnis culpæ esse vacua: non solum vt non peccent, sed vt per illa saluentur Ethnici. Vt autem doctrina hæc de operibus infidelium recte explicari possit, accurate distinguenda sunt ea, quæ sunt opera creationis Dei in homine adhuc reliqua, ab illis, quæ per peccatum ingressa sunt, sicut monet Augustinus contra Iulianum, li. 4. cap. 3.

Primo igitur quæ sunt opera Dei reliqua in homine, discernenda sunt à per se vitiosis. Augustinus ita dicit: Anima & corpus, & quæcunq; bona anime & corporis naturaliter insita, etiam in peccatorib., dona Dei sunt: quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. Ita notitia numerorum, notitia legis naturæ, & omnes veræ notitiæ, in homine sunt per se, & suo

ordine res bonæ, artes etiam & leges veræ, inde extractæ, sunt res bonæ. Ita alij affectus in homine, sunt lege Dei prohibiti, alij lege Dei præcepti.

Secundo, huic distinctioni addendum est, quod Augustinus inquit, De natura & gratia, cap. 3. Omnia bona quæ natura habet, in formatione, vita, sensibus, mente, &c. à summo Deo creatore & artifice suo habet. Vitium vero quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, vt illuminatione & curatione opus habeat, ex originali peccato contractum est. Naturalia igitur bona, quæ adhuc in homine reliqua sunt, varie & horribiliter per peccatum vitiosa, læsa & cōtaminata sunt. Spoliati enim sumus donis naturæ integræ, in super tristis sauciatio & prauitas, contaminauit etiam illa, quæ per se in natura bona sunt. Et propterea Scriptura non tantum figmentum cordis dicit malum esse, sed Ieremias pronunciat ipsum cor esse prauum.

Vocatur mens carnis, Coloss. 2. Mens polluta, Titum 1. Vanitas mentis, obduratio cordis, obscuratio mentis, Ephes. 4. Sapientia terrena: *ψυχική*, dæmoniaca, Iacob. 3. Ideo etiam Paulus dicit, 1. Cor. 15. Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Et propterea vocatur renouatio mentis, Roman. 12. Imo renouatio totius hominis. Coloss. 3. 2. Corinth. 4. &c. Et tamen manet discrimen inter ipsam naturam, & inter vitium, quo per peccatum deprauata est natura. Nam quæ per se vitiosa sunt, in renouatione mortificanda & extinguenda sunt. Ipsa vero natura per gratiam non extinguitur aut aboletur, sed illuminatur, sanatur, purificatur & reparatur.

Tertia quæstio est de ipsis actionibus non renatorum. Et hoc discrimē manifestum est. Quædam actiones sunt genere suo vitiosæ, & lege Dei prohibitæ. Quædam suo genere non sunt vitiosæ, vt inuentiones & tractationes artium, constitutiones honestarum legum, virtutes politicæ, ethicæ, æconomicæ, &c. Nam etiam non renatos aliquo modo posse externam disciplinam præstare, & externa flagitia pugnãtia cum externa disciplina cauere, in loco de libero arbitrio ostendemus. De illis igitur actionibus, quæ suo genere honestæ & bonæ sunt, est quæstio. Et magnam habent virtutes illæ, etiam in Ethnicis speciem, sicut Aristoteles dicit, nec hesperum, nec luciferum formosiorum esse iustitia. Certum est etiam, Deum velle coerceri externa disciplina omnes homines, etiam non renatos, & propter disciplinæ conseruationem, Deus Magistratus præfecit generi humano, vult legibus homines regi, vult suppliciis puniri violatores disciplinæ. Et quia imperia nec constitui, nec conseruari possunt, sine excellentibus politicis virtutibus, Deus propter imperia reprimit tyrannidem Diaboli, miscens omnia libidinibus & sceleribus, & excitat peculiare heroicis motus & impetus, in quibusdam etiam non renatis, ad excellentes politicas virtutes. Quomocunque autem illa actio Dei in non renatis appelletur, non pugno, modo id quod certum & necessarium est, retineatur, vt scilicet distinguatur à gratia iustificationis, regenerationis, renouationis, sanctificationis in credentibus per Spiritum sanctum. Ita Augustinus Episto. 130. Polemonis continentiam disputat esse donum Dei. Et contra Iulianum, lib. quarto, capite tertio inquit: Quanto tolerabilius, illas quas dicis, in impiis esse virtutes, diuino muneri potius, quam eorum tribueris tantummodo voluntarij

*Philosophia
hanc quæquã
cōmiscenda
cum doctrina
Euangelij.*

Augustinus.

*actiones non
renatorum.*

Augustinus.

voluntati licet ipsi hoc nesciant. Et de Ciuitate Dei libro quinto, disputat Romanos per viam virtutis contendisse ad gloriam, honorem & imperium. Et dicit capite decimoquinto. Si Deus neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, vt glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Actiones igitur virtutum in non renatis, suo genere & per se non sunt vitiosæ, hoc est, ipsa materia seu substantia actionum non est mala, aut quibuscunq; aliis verbis hoc exprimitur. Heroicos etiam illos motus excellentium virtutum in Ethnicis, à Deo excitari, Augustinus sentit: quibus etiam vtatur ad constitutionem imperiorum, & ad conseruandam seculi creaturam.

Sed iam quarta quæ principalis est quæstio, restat. Ex his enim quæ diximus, videtur cõsequi, virtutes illas in non renatis, non esse peccata, sed bona opera. Sed facilis est declaratio, ex iis, quæ supra dicta sunt. Quæ natura adhuc reliqua habet ex prima creatione, in formatione, vita, sensibus, mente, &c. per se sunt bona, sed per peccatum sunt fauciata, vitiosa & contaminata. Ita Augustinus erudite respondet, ad bonum opus requirit, nõ tantum vt aliquid fiat, quod suo genere bonũ sit, sed præcipue vt bene fiat. Possunt enim, inquit, aliqua bona fieri non bene faciẽtibus, à quibus fiunt. Vt, bonum est subuenire periclitanti, sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit. Et ex hoc fundamento, quæstio illa de operibus non renatorum clarissime explicari potest, si eam ex sententijs verbi Dei diiudicare volumus. Duobus enim modis infidelium virtutes erunt non bona opera, sed peccata coram iudicio Dei.

Primum, ratione finis. Eleganter enim dictum est ab Augustino, Non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes, item non actibus, sed finibus pensari officia. Et addit: Cum itaq; facit homo aliquid, vbi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur. Veræ autem virtutes Deo seruiunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Quicquid igitur boni fit ab homine, & nõ propter hoc fit propter quod fieri debere, vera sapientia præcipit, & si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Probat autem Ethnicos virtutes suas nõ retulisse in Deum, sed vel ad voluptatem, vel ad auaritiam, vel ad ambitionem. Iniustum autem & sacrilegum est, virtutes debere vitiis, vt sunt voluptas, auaritia, ambitio, seruire.

Secundo, Infidelium opera non inter vere bona opera, sed inter peccata recensenda esse, inde probatur. Vere enim bona opera debent seruire Deo, nõ in vetustate literæ, sed in nouitate spiritus, quando is legem scribit in corda credentium. Opera igitur, quæ vetus homo, qui spiritu sanctificationis non est renouatus, facit, nõ sunt vere bona opera. Neque enim fructus bonus est, qui de charitatis radice non surgit, sicut copiose illud disputat Augustinus in libro de Spiritu & litera. Vbi concedit quidem, gentes naturaliter aliqua legis vel facere,

vel sapere, sed inter vere bona opera numeranda esse, constanter negat. Conditiones enim boni operis à Paulo describuntur: charitas ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, prima Timoth. 1. Charitas autem est fructus spiritus, Galatas 5. Fide purificantur corda, Actorum decimoquinto. Sanguis Christi emundat conscientiam, Hebræorum nono. Item Ephes. 4. Dei factura sumus, creati in Christo Iesu, ad bona opera quæ præparauit, vt in illis ambulemus, 1. Pet. 2. Offerentes hostias spirituales, acceptabiles Deo, per Iesum Christum: Roman. duodecimo. Reformemini renouatione mentis, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Hæ vero conditiones cum in non renatis non sint, virtutes illorum nullo modo possunt inter bona opera numerari. Augustinus verò longius adhuc progreditur, & contendit, impiorum virtutes non tantum non esse vere bona opera, sed probat numerandas esse inter peccata: idq; ex his fundamentis: Mala arbor non potest facere, nisi fructus malos, id est, sola peccata. Hæc sunt Augustini verba. Item, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quam sententiam ostendit Augustinus, non de cibis tantum loqui, sed esse generalem. Item, Sine fide impossibile est Deo placere, Matth. duodecimo. Aut facite arborem bonam, & fructus bonos, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Priusquam autem inseramur Christo, sumus oleastri, hoc est, malæ arbores. Romanorum vndecimo. Et in prophetis Deus vbique etiam speciosissima opera reicit, quæ fiunt à persona non reconciliata, ex corde impio, quod est sine timore Dei, sine fide & dilectione Dei. Esa. primo. Incensum, abominatio est mihi: solennitates vestras odit anima mea. Capite sexagesimo sexto. Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum. Prouerborum decimoquinto, Sacrificium impiorum, abominatio. Et hæc dicuntur de operibus sacrificiorum à Deo institutis, quando vel sine non recto, vel ex corde impio fiebant. Omnium autem non renatorum corda, sine Spiritu sancto, sunt sine timore Dei, sine fiducia erga Deum, & sine dilectione Dei. Igitur sunt impia. Origenes explicans illam Pauli sententiam: Quicquid non est ex fide, peccatum est: dicit hæreticorum opera veriti in peccata, eo quod illorum fides non sit vera. Et citat illud Psal. Fiat oratio eius in peccatum. Huc pertinet etiam quod Paulus inquit, Tit. primo. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed coinquinata est ipsorum mens & conscientia. Et Iohannis decimo sexto. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me. Hæc scripturæ sententiæ nec obscure, nec ambiguae sunt, quæ ostendunt, infidelium opera, quantumuis speciosa, coram iudicio Dei peccata censei, non tantum propter aberrationem in causa finali, sed potissimum propter causam efficientem & formalem. Quod vero clarissimas illas Scripturæ sententias, in iudicando non libenter sequimur, inde fit, quia cum Pharisaico rationis nostræ iudicio non consentiunt. Et sicut Augustinus inquit, Epistol. 99. Quadam indole animi delectant illæ ethnicorum virtutes, vt nõ libenter illas damnemus. Sed profecto quid coram iudicio Dei sit peccatum, non aliunde, nisi ex ipsius verbo discendum est. Nec leue est flagitium, docere, infidelium opera esse omnis culpæ vacua, aut nulla culpa contaminata. Quod enim nulla

Augustinus
de impiorum
virtutibus.

Augustinus.

Infidelium virtutes duplici nomine sunt peccata.

1. Ratione causa finalis.

2. Ratione causa efficiens & formalis.

Origenes.

culpa contaminatum est, non potest non Deo placere. Et Augustinus Iuliano inquit: Introducis hominum genus, quod placere Deo possit, sine fide Christi, lege natura. Hoc est, unde vos maxime Christiana detestatur Ecclesia. Hęc Augustini verba lector diligenter expendat: agnoscat enim inde, quam sit detestabilis illa opinio, quam Andradus in ipso Concilio defendere non veretur.

ARGUMENTA AD
uersum.

1. Obiectio.

Ex his fundamentis & res ipsa intelligi, & obiectiones recte explicari possunt. Actiones per se & suo genere non sunt vitiosæ aut malæ. Quomodo igitur fiunt peccata? Respondeo. Sicut cordis substantia, quatenus est Dei creatura, bona est, sed propter vitium peccati, prauum vocatur. Ierem. 17. ita actiones quæ suo genere non sunt vitiosæ, in impiis polluuntur & contaminantur, quia fiunt à persona, nec reconciliata, nec renouata, sed vitiosa & rea. Et Deus iudicat non iuxta externum opus, sed correspondit. Officia etiam non actibus sed finibus pensantur. Hęc doctrina retinenda est, vt cognoscamus, quanta sit humana natura per peccatum deprauatio, quæ opera etiam per se bona contaminat, & in peccatum vertit in non renatis. Ita Augustino obiicit Iulianus: Si gentilis nudum operuerit, nunquid, quia non est ex fide, peccatum est. Respondet Augustinus. Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est: non quia factum per se ipsum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Item, Quod si ipsa misericordia per se ipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono male vitur, qui infideliter vitur: & hoc bonum male facit, qui infideliter facit: qui autem male facit aliquid, profecto peccat. Ipsorum igitur sunt peccata, quibus & bona male faciunt: quia ea non fideliter, sed infideliter, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate, qualis voluntas, nullo Christiano dubitante, arbor est mala, quæ facere non potest, nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est. Hęc Augustinus.

2. Obiectio.

Altera obiectio est: Si excellentes virtutes in Ethnicis, sunt peculiaria dona & opera Dei, ergo non sunt peccata.

Respondet Augustinus. Quatenus sunt bona, à Deo sunt, qui etiam impiorum malis bene vitur à quo etiam per malos sit bonum. Fiunt autem in infidelibus peccata, quia ea, quæ sunt insignia dona Dei, polluunt & contaminant, & illis abutuntur.

3. Obiectio.

Tertia obiectio est Erasmi: Num igitur, inquit, quando Socrates mores honesta disciplina gubernat, idem est coram Deo, ac si vel sororem stuprasset, vel matrem veneno sustulisset? Respondeo: Certissimum est, non omnia peccata, etiam in non renatis, esse paria. Tolerabilius enim erit Sodomæ in die iudicij, quam Corazin: Matth. vndecimo. Sed inde non sequitur, opera moralia non renatorum esse bona, vel non peccata. Nam sicut Augustinus dicit: Qui boni non sunt, possunt esse alij minus alij magis mali. Item: Ad hoc eos in die iudicij cogitationes defendēt, vt tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ legis sunt vtcunque fecerunt. Minus enim Fabricius, quam Catilina punietur:

non quia iste bonus, sed quia ille magis malus: & minus impius, quam Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimum deuiando. Hęc Augustini sententia de operibus non renatorum, manifestissima est, ex certis & firmis Scripturæ testimoniis extracta: quam alibi etiam sæpe repetit, vt de Ciuita. Dei, lib. 5. per aliquot capita, libro decimonono, capite vigesimo quinto, in Psalm. 31. Et libro tertio ad Bonifacium, cap. 5. Catholica fides iustos ab iniustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit: sine qua quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Et Epistola 99. inquit: Virtutes gentilium quadam indole animi ita delectant, vt eos, in quibus hæc fuerunt, vellemus præcipue ab inferni cruciatibus liberari: nisi aliter se haberet sensus humanus, aliter iustitia creatoris.

Ambrosius de vocatione gentium libro primo, capite tertio. Sine cultu veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est: nec placere vllus Deo sine Deo potest. Prosper de vita contemplatiua, libro 3. cap. 1. Apostolus non dixit: Omne quod non est ex fide, nihil est, sed dicendo, Peccatum est, declarauit, quod si non fuerunt ex fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia quæ non iuuant suos operarios, sed condemnant, inflatosque præcipitant, atque à finibus æternæ salutis eliminant.

Anselmus in decimum quartum cap. Rom. Omnis vita infidelium, peccatum est, & nihil bonum sine summo bono. Hanc sententiam à Longobardo citatam, Scholastici scriptores dicunt nimis duram esse. Postillator quidam dicit esse crudellem.

Et hæc cum ita se habeant, cogitet Lector, quo nomine appellandum sit, quod Concilium Tridentinum non veretur in statuere Canone 7. Si quis dixerit, omnia opera ante iustificationem, facta, peccata esse, anathema sit. Anathema igitur dicunt Augustino, Ambrosio, Prospero, Anselmo, imo ipsi Scripturæ, quæ affirmat, quicquid non est ex fide peccatum esse. Andradus Augustini sententiam ita deprauat, quasi sentiat, illa solum infidelium opera peccata esse, quæ sine heroicis motibus diuinitus excitatis fiunt. Sed hoc impudens est mendacium. Tota enim Augustini disputatio, in singulis ferme versibus diuertim clamitat. Frustra vero hoc quis miretur, cum Andradus philosophis veram fidem, Paulinam iustitiam, & vitam æternam tribuere non vereatur. Fructus enim sua grandiloquentia transfert in se illud Psalmi, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra nobiscum sunt: quis noster Dominus est? Cui ego adiungo alterum versum qui in eodem Psalmo extat: Disperdat Dominus omnia labia dolosa, & linguam magniloquam: Amen, Amen.

Et ne quis in hac disputatione, illud Pauli cogitet: Quid ad nos, de iis qui foris sunt, iudicare? Certe animaduertit Lector, agi in hac disputatione de puritate vel de deprauatione doctrinæ, de peccato, de fide, de iustificatione, de renouatione per Spiritum sanctum, de bonis operibus, &c. Et breuiter. Meritum congrui est Helena illa, de qua Canon iste Tridentini Concilij, contra Scripturæ & antiquitatis sententiam dimicat.

DE LIBERO AR-
BITRIO.Ex Decretis sexta sessionis Triden-
tini Concilij.

CAPVT II

De dispensatione & mysterio aduen-
tus Christi.

Quo factum est, ut cælestis pater, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, Christum Iesum filium suum & ante legem, & legis tempore multis sanctis patribus declaratum ac promissum, cum venit beati illa plenitudo temporis, ad homines miseris, ut & Iudæos qui sub lege erant, redimeret: & Gentes, qua non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem in filios reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem, in sanguine ipsius, pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

CAPVT VI.

Modus præparationis.

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuui, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum: credentes vera esse, qua diuinitus reuelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem qua est in Christo Iesu, & tamen peccatores se esse intelligentes, à diuina iustitia timore, quo uulter concutuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumq; tanquam omnis iustitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata, per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. Denique proponunt suscipere Baptismum, inchoare nouam uitam, & seruare diuina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit, & Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et: Timor Domini expellit peccatum. Et: Penitentiam agite, & baptisetur unusquisque & strum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Et: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quaecumque mandaui uobis. Denique: Preparate corda uestra Domino.

CANON II.

Si quis dixerit, ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, ut facilius homo iuste uiuere, ac uitam æternam promereri possit: quasi per liberum arbitrium sine gratia, & uerumque sed agere tamen & difficulter possit, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.

CANON IIII.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque uocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, nec posse dissentire, se uelut, sed uelut inane quoddam nihil omnino agere, merez, passus se habere, anathema sit.

CANON V.

Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo: imo titulum sine re, figmentum denique à Satana inuentum in Ecclesiam, anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, non esse in potestate hominis uias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari: non permissiue solum, sed etiam proprie & perse, adeo ut sit eius proprium opus, non minus proditio Iudæ, quam uocatio Pauli, anathema sit.

EXAMEN.

Omnino multum refert, ut doctrina de libero arbitrio, in Ecclesia contra omnes corruptelas extet, recte, proprie & perspicue, ex ueris Scripturæ fundamentis exposita. Neque enim recte intelligi aut pie usurpari poterit, quod Scriptura tradit de tota hominis conuersione, de poenitentia, de fide, de noua obedientia, de spiritu gratiæ & precum, de corruptione humanæ naturæ per peccatum, & de beneficiis Filij Dei per Spiritum sanctum, quomodo dona Dei accipiantur, quomodo conseruentur, vel amittantur, quomodo crescant vel deficiant, &c. nisi pro puritate doctrinæ huius loci, sicut extat in fontibus Prophetis & Apostolicis, contra quascumque corruptelas, in Ecclesia dimicemus. Et sicut proposito fine, necessaria est deliberatio de iis, quæ ad finem perducunt: at, quomodo, unde & quibus auxiliis ea effici possint, ut finem ostentatum assequamur: ita quia Scriptura monstrat doctrinam de reconciliatione cum Deo, de remissione peccatorum, de salute & uita æterna, de poenitentia, fide, oratione, noua obedientia, &c. omnino necessarium est scire, an & quomodo illa possint præstari & effici. Et historia omnium temporum ostendit, tristissimam ruina in præcipuis doctrinæ cælestis articulis secutam in Ecclesia, quando in hoc loco admissa est perodidασκαλία, à forma sanctorum uerborum Scripturæ discessum fuit. Recte uero explicatus hic locus, hominem in seriâ agnitionem sui, & ad ueram humilitatem deducit, ut agnitis morbis & infirmitatibus, intelligat quare, quomodo & quantum opus sibi semper sit medico Filio Dei.

Et propter has causas inimicus ille, superseminans zizania, huic loco præ cæteris infestus est, unde etiam variis artificiis & sophismatis, omnibus temporibus illum deprauare tentauit. Ipsa sane doctrina, perspicue, uerbis non ambiguis, in Scriptura tradita est, sed misera natura, stulta sui admiratione fascinata, non facile patitur se ita deiici, ut in rebus & actionibus spiritualibus, omnia gratiæ Dei accepta ferantur. Recte uero Augustinus inquit, de natura & gratia, capite 53. Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? uulnerata, fauciat, vexata, perdita est. Vera confessione, non falsa defensione opus habet.

VARIÆ COGNATÆ QUÆSTIONES, de Libero arbitrio.

Et quidem Decreta Tridentina meris æquiuocationibus in uocabulo liberi arbitrij ludunt: ut lectorem perturbent, res ipsas inuoluant & obruant. Quando enim sine ordine & distinctione miscentur disputationes, de ipsa substantia uoluntatis, de qualicumque eius libertate in externis, de uitiis

tiosas actionib., & de renouata volūtatis libertate, quomodo controuersia tam grauis recte explicari potest? illa igitur æquiocationū sophismata, prius remouenda sunt, vt ad verum controuersie huius statum, sine ambiguitate peruenire possimus, ita enim postea facilis & perspicua erit explicatio. Et primo non est in hoc loco disputatio, de potentia animæ vegetatiua, sensitiua & locomotiua, sed de parte cognoscente & appetente, hoc est, de mente seu intellectu, & de voluntate hominis. Secundo, Si liberum arbitriū, sicut Gabriel disputat, accipiatur pro ipsa substantia voluntatis, connotata etiam essentia mentis seu intellectus, ne euidentissimum est, ipsam substantiam mentis & voluntatis, per peccatum originale licet misere deprauatam, vitiatam, & inquinatam, non tamen prorsus amissam, extinctam & abolitā esse. In hac igitur significatione negare hominem habere liberum arbitrium, idē est, ac si quis disputare vellet, hominē esse animal inanimē, brutum & irrationale, quod vere esset cum ratione insanire. Tertio, Liberum arbitrium proprie significat δύναμις, potentiā, vim, & facultatem mentis & volūtatis, qua discernitur ab iis, quæ sine mentis cogitatione seu deliberatione, sine voluntatis aliqua electione & expetitione, vel naturaliter agunt, vel violēter impelluntur. Et in hac etiam liberi arbitrij significatione, nō difficilis est explicatio. Peccatum enim originale, substantiam humanæ mentis & voluntatis nō ita deprauauit, vt in homine non reuato mens & voluntas, nullos prorsus habeant motus vel actiones. Nec talis est deprauatio, quod mens & voluntas nō renata, sine cogitatione, deliberatione, iudicio, electione, expetitione seu auersione moueantur & agāt, sicut ea, quæ vel naturaliter agunt, vel violēter impelluntur. Hæc enim proprietates ex prima creatione aliquo modo adhuc reliqua est, quod in iis, quæ mente & voluntate aguntur, homo iudicat, discernit, eligit, expetit, auersatur, reiicit, & actionem aliquam externis membris, vel imperat, vel prohibet, vel suspendit. In hanc sententiam multa disputat Ambrosius, siue is Prosper est, de vocatione gentium, li. 1. ca. 3. vbi dicit: Iudicium voluntatis deprauatum, non ablatum est. Item, Homo à Diabolo, non voluntate spoliatus est, sed voluntatis sanitate priuatus est. Et nihil aliud vult Bernhardi disputatio de libertate à necessitate, hoc est, à coactione.

Iustinus Apologia 2. ponit hanc distinctionem: Quædam mouentur sine iudicio, sicut lapis mouetur deorsum: quædam mouentur iudicio, sed non libero: vt ouis videns lupum, iudicat eum fugiendum, ex naturali instinctu, non ex deliberatione, nec potest eligere, an velit non fugere: Homo vero per potentiam intelligentem iudicat aliquid fugiendum vel prosequendum: Et quia ex collatione, quadam ratione eligit actiones, non vt ouis, ideo liberi dicitur arbitrij. Sed hæc prudenter sunt discernenda, in quibus obiectis, rebus seu actionib. mens & volūtas facultates illas ex se, aut natura sua habeant, & quatenus illas habeant. Quartum igitur est, q̄ in iis reb. quæ in hac naturæ corruptione sensibus & rationi adhuc subiectæ sunt, mens aliquo modo potest cogitare, instituire deliberationē, iudicare, discernere, probare vel improbare. Voluntas aliquo modo potest ea, quæ à sensu vel ratione monstrata sunt, velle aut non velle, eligere aut non eligere, expetere vel auersari, certas actiones imperare, vel prohibere externis membris, a-

ctionem vel suspēdere vel mutare. Et hoc est quod vulgo dicimus: Homines non renatos posse aliquo modo externam disciplinam præstare: hoc est, externa honesta opera cum lege Dei congruentia facere, & vitare contraria scelera.

In hisce autem obiectis, tales facultates aliquo modo adhuc reliquas esse in hac deprauata natura, testantur multa præclara exempla Ethnicorū. Testatur hoc tota gubernatio politica, & experientia in singulis hoc euidenter ostendit. Et ex ipsa Scriptura idem probatur, Rom. 2. Gentes quæ non habent legem, natura ea quæ legis sunt, faciunt.

Rom. 10. Qui Dei iustitiam ignorant, suam conantur stabilire, Philip. 3. Paulus ante conuersionem dicit, se secundum iustitiam quæ in lege est, conuersatum fuisse sine querela.

Huius vero libertati, multa varia & magna obiciuntur impedimenta. Dona enim illa naturalia, quæ reliqua sunt in natura corrupta, sauciata, & variis modis, etiam quod ad externam disciplinam deprauata sunt.

Aristoteles 7. Ethic. ca. 3. disputat, qui fiat, quod homines sæpe faciant ea, quæ sciunt esse vitiosa. Vt, illam generalem notitiā mens non negat: Nō occides: sed per πάθος, hoc est, per contumaciam affectuum, eripitur menti particularis notitia: vt inimicū, in tali casu, hac occasione occidere: Ibi mens querit excusationem & prætextus. Affectus igitur sæpe ruunt contra iudicium rationis, & rapiunt in suas partes etiam ipsam voluntatem, licet reclamante primum iudicio mentis, tandem vero etiam ipsa mens ad affectus aliquo modo se inflectit, quærens excusationes & prætextus.

Ad hoc impedimentum accedit tyrannis diabolici, qui efficax est in impiis, accendēs & augens flammam cupiditatum, obiectis variis laqueis, quibus homines implicat, vt tandem sequatur mens reproba, Rom. 1. Et fiant ἀπληγνότες, Ephe. 4. In tantis etiam vitæ huius confusionibus, moles ipsa negociorum & periculorum, turbat & impedit gubernationem disciplinæ. Hæc necessario addenda sunt, quando de facultatibus mentis & voluntatis, quæ ex prima creatione in hac etiam corruptione reliquæ sunt, disputatur.

Quod si hoc modo, hoc sensu, & in hac significatione dicatur, hominem esse agens liberum, seu libere agere, habere aliquam libertatem, siue liberum arbitrium, cum res sunt veræ, de vocabulis non serendæ sunt λογισμαχίαι. Sed tamen necessarium est, ad remouendas æquiocationes, vt addatur declaratio, quæ libertas, quib. in rebus, & quomodo sit intelligenda, quod scilicet in externis, aliquam, qualemcunque habeat libertatem homo non renatus, qua externam disciplinam aliquo modo præstare potest.

Quinto, De malis seu vitiosis actionibus, Augustinus recte sentit & loquitur, De peccatorum meritis, libro secundo, capite 5. Ad peccandum non adiuuamur à Deo, sed quod à Deo nos auertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala, capite 18. Et contra duas Epistolas Pelagianorum, lib. 1. ca. 2. recitat Iuliani obiectionem: Ergone primi hominis peccato liberum arbitriū periit, vt omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur? Respondet autem: Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano. Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradyso fuit, habendi plenam cum

Augustin. de vitiosis actionibus.

Liberū arbitrium quid.

Mens & Volūtas qualiter per peccatum originale deprauata.

Mentis Volūtas, quæ conditio, quod ad externam disciplinam.

cum immortalitate iustitiam. Liberum arbitrium verò vsque ad eum in peccatore non perit, ut per illud peccent, maxime omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet, quod libet. Vnde & Apostolus: Cum essetis serui peccati, liberi factis iustitiæ. Ecce ostenditur etiam peccato minime potuisse, nisi alia libertate seruire. Et cap. 3. Non itaque sicut dicunt nos dicere, omnes in peccatum, veluti inuiti carnis suæ necessitate coguntur. Sed si iam in eætate sunt, ut propriæ mentis vtantur arbitrio, & in peccato sua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur. Neque enim aliud agit in eis, qui suadet & decipit, nisi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo, & cæcitatibus & infirmitatibus. Sed hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, idè libera in bonis non est, quia liberata non est.

Item in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ, vel occultus, vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit. De Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 21. Vt labamur potestatis nostræ est, & ignauia.

Verè autem misera est libertas, delectari peccatis. Et licet posse peccare, non sit sine libero arbitrio: nihil enim carens libero arbitrio, potest peccare. Anselmus tamen dicit, nec libertatem, nec partem esse libertatis, peccandi potestatem. Et Augustinus in Enchiridio, capit. 30. Qualis quæso potest serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim seruit, qui sui Domini voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccatum liber est, qui peccati seruus est. Et ad Bonifacium, lib. 3. cap. 8. Liberum arbitrium captiuatum, non nisi ad peccatum valet. De verbis Apostoli sermone 13. Agis quidem Deo non adiuuante, libera voluntate: sed malè. Ad hoc idonea est voluntas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. Cum dico tibi, Sine adiutorio Dei nihil agis: nihil boni dico. Nam ad malè agendum, habes sine adiutorio Dei, liberam voluntatem: quanquam illa non est libera: à quo quis enim deuctus est, huic & seruus additus est: & omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.

Et de Ciuitate, lib. 14. cap. 11. inquit: Arbitrium voluntatis, tunc est verè liberum, cum vitis peccatisque non seruit.

Disputatum igitur est à quibusdam, an arbitrium hominis non renati, propriè possit dici liberum ad peccandum, vel in peccando? 1. Quia sicut iam dictum est, non est vera libertas, posse peccare. 2. Quia captiuitati & tyrannidi diaboli, subiecti sunt non renati. 3. Quia non æqua inter bonum & malum facultate versantur. 4. Quia opposita sunt, seruus & liber: sunt autem non renati, serui peccati, sed de vocabulis, præsertim ἀπαγοίς, non est temerè litigandum, quando de rebus ipsis constat & cõuenit. Omnino tamen necesse est, quando dicitur, homines libero arbitrio peccare: addere doctrinam de tyrannide diaboli, & potestate tenebrarum, cui non renati subiecti sunt. Et illa explicanda est, sicut describitur, Ephes. 2. efficax est in filiis diffidentia, 2. Timot. 2. captiui tenentur laqueis diaboli, ad ipsius voluntatem, 2. Corin. 4. excæcat mentes ne, &c. Actor. 5. Implet cor. Ioan. 13. immittit in cor. 1. Par. 1. commouet cor. Explicandum est & hoc, Arbitrium hominis non renati in peccando liberum

esse: non ita, quasi homo non renatus æquam habeat potestatem, sicut ad peccandum, ita etiam ad non peccandum. Aliquo modo sanè potest, sicut externam disciplinam præstare, ita etiam externa scelera, cum disciplina pugnantiã vitare. De interiori verò immundicie & corruptione rectè dicitur: Mala arbor non potest, nisi malos fructus facere. Item: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Et huc pertinet distinctio, quæ apud Damascenum & Bernhardum extat, inter necessitatem coactionis & immutabilitatis: quæ latius explicare, non est huius loci.

Illud verò vtiliter explicari potest, quare Augustinus disputet, hominem in malis habere liberum arbitrium: ne quis scilicet (sicut inquit Augustinus de Gratia & libe. arbitr. cap. 2.) Deum causetur in corde suo: sed sibi quisque imputet cum peccat, Deus enim licet naturam humanam, qualis est in hac corruptione, conseruet, præbens & sustentans vitam & motum: non tamen est causa peccati: hoc est, nec vult, nec efficit, nec adiuuat peccatum in homine: sed causa peccati, est voluntas in diabolo & hominibus. Tyrannis etiam diaboli in impiis efficax est: non ita ut coactitia necessitate, per extraneum & violentum impulsu, sine rationali aliquo metu mentis, voluntatis & cordis, ad peccandum, quasi obtorto collo rapiantur: sed (sicut Augustinus inquit) hoc agit diaboli tyrannis, ut congenitam delectationem iniquitatis, vel in sensibus, vel in affectibus moueat & excitet: ut ita ab homine peccatum voluntate committatur.

Tota igitur hæc disputatio de libero arbitrio in malo, huc referenda est: ne extra mentem, voluntatem & cor hominis, quærat & ponatur causa & ratio peccati in impiis, in violenta quadã coactione extra hominẽ. Sed retinendum est, quod Iacobus inquit: Nemo cum tẽtatur, dicat se à Deo tentari. Vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Illa etiam valde difficilis & perplexa est disputatio: quod etiam illa quæ sunt contra Dei voluntatem, non tamen præter eius voluntatem, (sicut Augustinus loquitur) fieri possunt. Si enim nollet illa fieri, nullo modo possent fieri. Sed quia Deus non est efficax causa peccati, mouens, impellens, cogens, vel adiuuans homines ad peccata: Augustinus piè & modestè loquitur, talia fieri Deo sinente, permittente, siue deferente. Et tamen addit contra Iulianum, lib. 5. cap. 3. siue alio quocunque modo, vel explicabili, vel inexplicabili: modò maneat, Deum esse bonum & iustum: hoc est, non esse causam peccati. Quod verò de illa permissione Dei, quædam disputata sunt, ideo factum esse iudico: non enim ita intelligenda est, quales sunt tyrannorum permissiones, quæ coniunctam habent voluntatẽ, vel adiuuantẽ, vel approbantem scelera. Nec ita intelligenda est, quasi Deus planè non curet, quando homines perpetrant scelera. Nec permissio illa ita est libera & soluta, ut planè nõ sit subiecta prouidentia Dei. Deus enim licet nec velit, nec adiuuet, nec efficiat peccatũ: determinat tamen metas, quousque & quãdiu sit permissurus, quando & vbi sit repressurus impios. Multas impiorũ cogitationes, consilia & conatus impedit, inuertit, reprimit, vel propter Ecclesiam, vel ut ipsi sibi exitium accersant.

Sæpe etiam malitia illa quæ ab ipsa hominum voluntate oritur, & à diabolo inflammatur, Deus

An omnia
tam bona
quam mala
fiant volente
Deo.
Augustinus.

Arbitrium
hominis non
renati situm
liberum ad
peccandum.

vitur ad irrogandas meritas pœnas, illis quos iusto suo iudicio vult visitare.

Pessima etiam impiorum consilia, & perniciosissimos conatus, Deus Ecclesiæ & piis sæpe vertit in bonum: & sæpe etiam peccata, sunt pœnæ peccatorum.

Hæc certè sunt explicanda, quando de permissione Dei disputatur. Et tamen fixum & immotum manet discrimen, quod in bonis operibus renatorum, non tantum natura à Deo sustentatur, sed per Spiritum sanctum mens illuminatur, cor renouatur: & summa, Deus operatur, ut velint & faciant Deo grata: siue (quod idem est) Deus vult, approbat, efficit & adiuuat bona opera in renatis. Hæc de peccatis dici nec possunt, nec debent.

Sed hæc peculiarem requirunt tractationem, quam Deo volente aliàs dabimus. Nunc pauca quædam dicenda fuerunt, & propter sextum Tridentinum canonem, utq; commodius perueniremus ad constitutionem status, in controuersia de libero arbitrio. Non ignoro autem, quid à quibusdam de voluntate & operatione Dei in actionibus hominum vitiosis disputetur. Sed quæ sit nostrarum Ecclesiarum sententia, 19. articulus confessionis manifestè ostendit. Nihil igitur ad nos aculei illi pertinent.

Hactenus diximus de quæstionibus quibusdam, quæ valdè cognatæ sunt illi quæstioni, quæ principalis & præcipua est in controuersia de libero arbitrio. Illas verò principio, peculiari explicatione breuiter absoluerè & discernere volui. Video enim Tridentinum Concilium, mixtione & confusione illarum disputationum abuti: ut principalis status huius controuersia transponatur, perturbetur & obruatur: sicut postea ostendemus. Illis igitur separatim & sepositis, simpliciter & perspicuè constituemus, quis sit verus status, de quo principaliter in hoc loco disputatur & quæritur. Et ut explicatio eò sit simplicior, planior & breuior: in aliquot capita distribuam ea, quæ ad constituendum statum pertinere videbuntur.

PRINCIPALIS STATUS CONTROVER- sia de libero arbitrio.

Principalis igitur quæstio, in controuersia de libero arbitrio, est de motibus & actionibus spiritualibus: siue de rebus diuinis, de operibus, quæ ad Deum pertinent: ut cogitemus, velimus & faciamus aliqua Deo grata, & animæ nostræ salutaria, de iustitia spirituali, de cultibus interioribus: siue aliis quibuscunque vocabulis hæc explicentur. Spiritualia verò intelliguntur hoc loco, quæ ad conuersionem hominis, fidem & pietatem pertinent: sicut illa in verbo Dei, hoc est, in lege & Euangelio proponuntur: ut agnitio & detestatio peccati, contritio, timor Dei, fide agnoscere, meditari, assentiri, desiderare, quærere, velle & accipere promissionem Euangelij, orare, consolatione se sustentare, &c. nouam obedientiam, dilectionem, spem, patientiam, & alias virtutes, iuxta mandata Dei inchoare & præstare: luctari cum securitate, diffidentia & contumacia: veteris hominis passiones & desideria crucifigere, actiones carnis mortificare, novos motus & actiones, interiores & exteriores, congruentes verbo Dei, inchoare & præstare: & ut in summa omnia comprehen-

dantur, spiritualia hoc loco intelligimus, ea quæ lex & Euangelium nobis proponunt, in mente, voluntate, corde, & reliquis viribus, inchoare, præstare, retinere & conseruare: & quidem eo modo, sicut verbum Dei illa requirit: quantum quidem in huius vitæ infirmitate, per Spiritus sancti gratiã fieri potest. Nam & Pharisaica iustitia in hominibus non renatis, simile quid vel fingit, vel exterius præstat. Ideò expressè dicitur, quæstionem esse: Quomodo ea, quæ Lex & Euangelium nobis proponunt, rectè, verè, seridè, & breuiter, eo modo, sicut verbum Dei præscribit, inchoari & præstari possint. Hæc aliquantò simplicius & crassius enumeravi: ut sine ambiguitate certum & manifestum sit, de quibus rebus siue obiectis in hac controuersia de libero arbitrio, principaliter disputetur.

Non enim quæstio est, an per lapsum extincta sit substantia animæ in homine, an in anima profus amissa sit potentia intelligens & appetens: nec quæstio est de disciplina rationis, nec de vitiosis actionibus: de quibus tamen quæstionibus, necessariae sunt declarationes: Sed principalis quæstio est, quomodo inchoari & præstari possint spiritualia illa, de quibus iam diximus. Misceri autem in hac disputatione sæpe alias quæstiones, ad turbandam doctrinæ simplicitatem notum est.

Valla disputat, num sit in hominis arbitrio, mouere pedem, vel dextrum, vel sinistrum. In Dialogis Hieronymi, Pelagianus dicit: Si voluero curuare digitum, an semper mihi necessarium erit speciale Dei auxilium?

Apud Augustinum de perfectione iustitiæ, Cælestinus obiicit locum Pauli, 1. Cor. 7. de libertate nubendi, Faciat quod vult. Augustinus verò respondet, Quasi pro magno habendum sit, velle nubere: vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosius disputatur. Ita multi disputant, hominem non esse truncum, saxum, aut brutum aliquod.

Alij liberum arbitrium hominis inde probant, quia Christus dicit: Volui te congregare, & noluiisti. Quæ quæstiones suo quidem loco declarandæ sunt: sed à principali statu huius controuersia, ne is vel turberetur vel obruatur, separanda sunt.

Secundò. Ut status controuersia adhuc planius, remotis omnibus sophisticis cauillationibus cognoscatur, disertè constituendum est & hoc: nouos motus in conuersione non imprimi menti, voluntati & cordi, sicut caræ imprimitur sigillū, ita ut nulli sequantur noui motus in mente, voluntate & corde. Gratia enim operatur, non ut conuersio sit brutum aliquid in homine, siue motu & actione aliqua mentis, voluntatis & cordis: sicut cum asina Bileam loquitur, nec est violentū aliquid: sicut cum saxum impellitur & protruditur, quod motum illum nec sentit, nec vult, nec intelligit: nec est enthusiasticum aliquid: sicut arreptij olim reddebant oracula, quæ nec intelligebant, nec meminerant, vel sicut in obsessis diabolus sæpe allegat motus & actiones mentis, voluntatis, & cordis ipsorum: & ipse per eos multa loquitur & agit, ad quæ in obsessis nulla fit applicatio mentis, voluntatis, vel cordis. Sed quia conuersio est motus quidam, & mutatio in mente, voluntate, corde, &c. necessarium est, ut in vera conuersione fiant & sint motus aliqui: ut notitia & cogitatio de lege & Euangelio, desiderium, voluntas & conatus assentiendi: vnde oritur lucta cum securitate, diffidentia & contumacia veteris homi-

hominis. Et in summa, in conuersione oportet fieri & esse motus aliquos, & actiones, quibus incipiat fieri applicatio quædam mentis intelligendo, voluntatis assentiendo, desiderando, volendo, &c. & applicatio cordis seriis affectibus ad ea quæ in lege & Euangelio nobis pronunciantur. Vbi enim nulla prorsus fit & est mutatio in mente, voluntate & corde, ibi nulla noua sequitur notitia, cogitatio, nullus assensus, nullum desiderium, nullus conatus, nulla lucta, &c. sed totus homo in vniuersum repugnat, & opponit contrarium actum: & breuiter vbi nullo qualicumque motu notitiæ, cogitationis, desiderij, affectuum, &c. inchoatur applicatio mentis, voluntatis & cordis, ad ea quæ in lege & Euangelio proponuntur: ibi certum est, nullam vel fieri, vel esse conuersionem. Aliter enim faber vitæ instrumentum inanimatum: aliter verò Spiritus sanctus operatur conuersionem in mente, voluntate & corde. Facit enim vt velimus & possimus intelligere, cogitare, desiderare, assentiri, accipere, operari, &c. Status igitur disputationis non est, an tales motus & actiones in conuersione fieri & esse debeant: sed hic est status quæstionis, vnde homo in mente, voluntate & corde habeat & accipiat, quod tales motus & vult & possit inchoare & præstare. Augustin. enim in hac disputatione eleganter coniungit hæc tria, velle, posse & facere. Et illam quæstionem mox explicabimus: sed prius alia quædam adhuc declaranda sunt, ne quid explicationem postea vel turbet, vel remoretur.

Tertio igitur & hoc declarandum est, non esse expectandos Enthusiasticos raptus, extra & præter ministerium verbi & Sacramentorum. Verbum enim Dei prædicatum, lectum, auditum, cogitatum, est medium seu organon, per quod Spiritus sanctus efficax est, & operatur in mente, voluntate & corde hominum. Et sicut Deus vult vocem verbi sui audiri, legi, & cogitari: ita externo ministerio verbi hominem vti posse, vt audiat, legat, & aliquo modo cogitet, & experientia, & Scripturæ exempla testantur. Licet longè aliter verbum audiant & meditentur, in quibus iam inchoata est renouatio per Spiritum sanctum. Ioan. 8. Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Ioan. 6. Qui audit à patre venit ad me, Lucæ octauo, Videte quomodo audiat. Aliter etiam describitur, quomodo per se meditentur in verbo Dei, Psalm. 1. & 119. Aliud præterea est auditus verbi: & ex auditu concipere non nos motus penitentia, fidei, nouæ obedientia, &c. quod proprium est Spiritus. Et tamen per illud organon, per verbum scilicet lectum, auditum, cogitatum, & non aliter, Spiritus sanctus efficax est, & operatur.

Ita Augustinus inquit, de Fide ad Petrum, capite trigesimo secundo, Firmissimè tene, posse quidem homines, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel aduersitas, verba legis & Euangelij siue legerè, siue ex ore cuiusque prædicatoris audire, sed diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præuenerit: vt quod audit corpore, corde etiam percipiat: & accepta diuinitus bona voluntate atque virtute, mandata Dei facere & velit, & possit, &c. Omnino igitur à verbo ordiendum est, vt legatur, audiat, & cogitetur.

Quarto, Obseruanda est etiam in hac controuersia Longobardi distinctio de quatuor statibus liberi arbitrij. 1. Qualis fuit in natura integra

ante lapsum. 2. Quid sit post lapsum, priusquam cœperit sanari & renouari. 3. Quando iam cœpit sanari & renouari, quæ renouatio, per totam vitam crescit & augetur. 4. Quid sit futurum in glorificatione, seu post glorificationem. Ibi enim omnino plena & perfecta erit libertas. Et quidem de primo & de ultimo statu non est controuersia: sed secundi & tertij diligens est habenda ratio, ne confundantur, sed accuratè distinguantur.

Longè enim aliud est, loqui de viribus seu facultatibus mentis, voluntatis & cordis hominis ante conuersionem, priusquam cœperit per Spiritum sanctum sanari & renouari: & aliud est quando iam cœpit sanari & renouari: Tunc enim ex donatione & operatione Spiritus sancti, adsunt & sequuntur noui motus in mente, voluntate & corde. Ipsa etiam sanatio & renouatio, non est talis mutatio, quæ vno momento statim absoluitur & perficitur: sed habet sua initia & certos progressus, quibus in magna infirmitate crescit, augetur & conseruatur: non autem ita, sicut lilia agri crescunt, quæ nec laborant, nec curant: sed in exercitiis penitentia, fidei & obedientia, quærendo, petendo, pulsando, conando, luctando, &c. initia donorum spiritualium retinentur, crescunt & augetur, sicut Lucæ 19. de traditis talentis Dominus mandat, ne in terram defodiantur, sed inquit: Negociumini, donec veniam. Et in hanc sententiam Paulus vitæ pulcherrimo verbo, ἀναζωοποιεῖν. Exuscita donum quod in te est, secunda Timoth. primo. Et quia à verbo ordiendum est, & ex verbo, de voluntate Dei, & de efficacia Spiritus statuendum est: non est dubium, quando verbo lecto, audito & cogitato, homo concipit propositum, desiderium, conatum applicationis, quando luctatur cum securitate, diffidentia & contumacia, &c. has esse veras effectiones & operationes Spiritus sancti: licet magna infirmitate sæpe ita abscondantur, vt presentia & efficacia Spiritus, non percipiatur ardentia aliquo sensu. Ibi certè non ex sensu, sed ex verbo iudicandum est.

Breuiter hæc tantum noto: neque enim iustam & integram institui huius controuersia explicationem. Hæc verò per distributionem aliquantò forsitan ruditer & crassiorè præmittere volui: vt disputationibus siue peregrinis, siue cognatis in suum locum reiectis, & commoda explicatione declaratis, planius ostendi possit, quid propriè & principaliter in hac disputatione de libero arbitrio, in controuersia positum sit. Quàm sophisticis enim æquiuocationibus Decreta Tridentini Concilij statum huius controuersia inuoluant, perturbent & obruant, postea monstrabimus: prius enim reliqua quæ ad explicationem necessaria sunt, paucis absoluemus.

Vt igitur tandem statum huius controuersia simpliciter & planè constituamus, non est quæstio de ipsa substantia mentis, voluntatis & cordis, neque hæc est quæstio, quod illæ animæ potest alium habere modum agendi, quàm quæ vel naturaliter agunt, vel violento & bruto motu agitantur & impelluntur, sicut sup à explicauimus: nec etiam de disciplina rationis, nec de vitiosis actionibus, principalis est quæstio (suprà enim hæc declarata sunt:) sed de motibus seu actionibus spiritualibus in contritione, fide, & noua obedientia, sicut in verbo Dei illa nobis proponuntur, sicut sup à declarauimus, quæstio est.

Statum disputationis

Quæstio.

Et certum est ordiendum esse à verbo: quod iuxta mandatum Dei, homo debet, & aliquo modo etiam potest audire, legere & cogitare. Certum est & hoc, conuersionem & renouationem non fieri sine aliquo motu & actione mentis, voluntatis & cordis, sicut supra diximus. Sed quæstio est, unde homo habeat & accipiat potentiam, vires seu facultates inchoandi, & efficiendi tales motus & actiones. Et collatione hæc quæstio rectius intelligitur. In iis quæ sensibus & rationi subiecta sunt, homo in mente & voluntate habet *quoniam dicitur*: hoc est, facultates in natura, ex prima natiuitate herentes & insitas: quibus homo potest propositis & admotis obiectis, concipere motus, & elicere actiones proprietas mentis & voluntatis congruetes.

Quæstio igitur est, an eodem modo mens & voluntas ex prima natiuitate insitam habeant talem potentiam, tales vires & facultates: vt quando homo verbum Dei legit, audit & cogitat, possit sine Spiritu sancto, ex puris (sicut Scholastici loquuntur) naturalibus, concipere tales motus, & elicere tales actiones in mente, voluntate & corde, quales ad contritionem, fidem & nouam obedientiam Scriptura requirit.

Pelagianis.

Et ita quidem olim Pelagius & sensit, & docuit. Sed ab hac sententia Pontificij affirmant se prorsus alienos esse. Et idem etiam Andradius meus prolixè contestatur: sed eius memoriam oportet valde esse labilem. In principio enim 4. libri, prorsus oblitus est eius, quod per multas paginas prolixa oratione in fine 3. libri disputat: Philosophos sine verbo Dei, & sine Spiritu regenerationis, naturalibus notitijs & viribus peruenisse ad veram fidem & iustitiam, qua saluati sint: adiuncto illo tantum auxilio Dei, de quo Cicero etiam dicit, nullam excellentem virtutem in Ethnicis fuisse sine afflatu diuino. Quantum enim hæc absint ab ipsissimo Pelagianismo, vel cæci vident: neque enim heroicis impetus, & tales afflatus, quales Philosophi intelligunt, Pelagius exclusit. Illam verò Andradianam disputationem, ideo memori mente reponemus, vt nouerimus, non seridè, sed pro forma tantum (quod dicitur) fieri, quando Pelagianismum damnant Pontificij. Non enim, vt arbitror, audebunt damnare Andradij sententiam, quod sine verbo Dei, & sine spiritu regenerationis Philosophi habuerint veram fidem Paulinam iustitiam, & vitam æternam. In ipso enim Concilio Tridenti Andradius illud scripsit.

Sed audiamus sanè, quàm speciosus, & ad fallendum comparatis verbis, se à Pelagianis separari conentur. Dicunt se nullo modo sentire, quòd liberum arbitrium sufficiat ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales: sed gratiæ Dei & diuini auxilij necessitatem tantoperè extollunt, vt ne optare quidem & velle vllum perfectum bonum, sine illo possimus.

Dicunt naturam humanam peccati contagio ita eneruatam & debilitatam, vt ne cogitare quidem quicquam eorum bonorum possit, quæ ad sempiternam felicitatem ducunt, nisi diuini spiritus vi atque virtute erigatur atque confirmetur. Hæc sunt Iesuitarum & Andradij verba.

Tertius etiam Canon sextæ sessionis, anathema dicit illis qui sentiunt, sine præueniente Spiritu sancti inspiratione & adiutorio, hominem posse pœnitere, credere, diligere, sperare, sicut oportet, &c. Verba sanè sunt speciosa, & satis magnifica,

quæ videntur totum tribuere gratiæ Dei: quod si ita esset, iam nulla inter nos de hoc loco esset controuersia. Sed ipsi contestantur & clamitant, se nullo modo probare sententiam & doctrinam Augustinæ confessionis de libero arbitrio: sed ad damnandam illam, emissos esse crepitus istos anathematum, in Tridentina Synodo.

Vides amice Lector, quanto studio, quot modis, & quàm insidiosè hæc controuersia inuoluatur, ne verus eius status animaduertatur. Et fit hoc verbis tam speciosis, vt controuersiarum imperiti, si non admoneantur, existiment nihil esse periculi.

CONCILII TRIDENTINI SENTENTIA DE libero arbitrio, ex interpretatione Andradij.

Quis igitur iam erit status controuersiæ, inter nos & Pontificios: aut in quo consistit discrimen nostræ sententiæ, & Tridentini Concilij, de libero arbitrio?

Respondeo, Ex Decretis Concilij, posset sanè illud non obscurè colligi. Sed ne clamitent, nos vim facere verbis, & per calumniam ea aliter interpretari, quàm Synodus forsan senserit: audiamus sanè Andradij interpretationem, quam sicut absque dubio, in ipso Concilio Tridenti didicimus, ita liberè sine vlla dissimulatione, in scripto suo nobis comunicat. Ita autem & Synodi, & suam sententiam explicat: Liberum arbitrium, sine inspiratione & auxilio spiritus non posse sanè efficere spirituales actiones: sed illud non idèdè fieri, quasi mens & voluntas, qualis est in homine ex prima natiuitate, ante conuersionem, prorsus non habeat vllam potentiam, vllas vires aut facultates, quæ ad inchoandas & efficiendas spirituales actiones necessariæ sunt: sed ideo, quia naturales illæ vires & facultates, licet nec deletæ, nec extinctæ, adeo tamen peccatorum laqueis implicatæ sint, vt homo non possit se propria virtute ab illis extricare. Vtque sententia planior sit, illustrat eam hac similitudine: Sicut ille qui ferreis soleis deuinctus est, habet quidem insitam & innatam incedendi *δύναμιν*, seu potentiam: sed licet habeat illam, non tamen potest ea vti, vt in actum prodeat, nisi prius vincula rumpantur, quæ motum reprimunt & retardant. Ex hac similitudine Lector, sine ambiguitate perspicuè intelligit, quæ sit Concilij Tridentini sententia, quando dicit, liberum arbitrium gratiæ Dei excitanti & adiuvanti liberè assentiri & cooperari. Sentiunt enim in mente & voluntate hominis non renati, ex prima natiuitate in hac corruptione, naturaliter adhuc insitas esse vires aliquas, seu facultates qualescunque ad res diuinas seu spirituales actiones: sed illarum facultatum & virium motum & usum, per peccatum reprimi & retardari in non renatis: gratiam verò Dei, & efficaciam spiritus, non simpliciter efficere, & operari in ijs, qui renascuntur nouam aliquam *δύναμιν*, vim, facultatem aut potentiam inchoandi & præstandi motus & actiones spirituales, quam ante conuersionem aut renouationem, ex naturæ viribus non haberint, sed tantum vincula rumpere, & laqueis liberari: vt facultas naturalis antea cõstricta, compressa & impedita, possit iam per gratiam excitata, vires suas in rebus spiritualibus exercere. Illas autem vires naturales, sicubi imbecilliores sunt, sentiunt adiuuari & confirmari per gratiam & auxiliu spiritus sancti. Et vbi non sufficiunt, dicunt nouum habitum infundi, qui respectum meriti afferat.

Decla-

*Pontificij im-
probant Au-
gustinam
confessionem
etiam quo ad
Articulum
de libero ar-
bitrio.*

*De libero ar-
bitrio.*

*Gratia Dei
quid tribuat
ant.*

Declarat enim Andradius suam illam sententiam similitudine ægroti, cuius vires morbo fractæ, debilitatæ & attenuatæ sunt, vbi medicus vires quæ adhuc reliquæ sunt, licet sint attenuatæ, confirmat & roborat: & si quæ sunt amissæ, restituit. Alij vtuntur similitudine auiculæ, quæ habet & retinet quidem potentiam & facultatem volandi: sed quando funiculo alligata est, non potest vsu & motum illius facultatis, quæ naturaliter ipsi insita est exercere: si quis autem rumpat funiculum, is non inserit auiculæ nouam & peculiarem volandi *δύναμιν*, quam antea non habuerit, sed tantum impedimentum aufert.

Et postea Andradius, vbi disputat, gratiam vnâ cum viribus liberi arbitrij habere rationem causæ efficientis eorum quæ ad conuersionem pertinent, vtitur hac similitudine: Si te rogem, cum ligneam materiam conflagrare cernis, quæ sit conflagrationis illius efficiens causa: ignem dicas necesse est, vnâ cum Deo naturæ autore & patrono, qui igni exurendi virtutem suppeditat, & ad operandum cum illo conspirat. Cum igitur liberi nostri arbitrij motio, non magis à Dei gratia pendeat, quàm à diuina virtute stipitis exustio: quid est, quod liberum arbitrium efficientis causæ dignitate & nomine spoliatur? Hanc Andradij similitudinem Lector benè consideret.

Est igitur Concilij sententia, in natura hominis per peccatum deprauata, priusquam per gratiâ & operationem Spiritus sancti reparatur, reliquam adhuc esse *δύναμιν* aliquam, vim, efficaciam, potentiam seu facultatem naturalem, ad motus seu actiones spirituales: sed illam *δύναμιν* per peccatū partim constrictam & alligatam, partim debilitatam & inclinamatam, vt per se sola, sine gratia spiritus, nō possit vllum perfectum bonum vel inchoare, vel præstare: gratiam verò vincula & laqueos rumpere, vt naturalis illa facultas stupescens antea, sed iam per gratiam excitata, possit in spiritualibus se exercere, illam verò vbi per peccatum attenuata & inclinata est, confirmari, roborari & adiuuari auxilio spiritus: vbi verò non sufficit, sentiunt infundi nouas qualitates, seu habitus: atq; ita in motibus & actionibus spiritualibus, ex gratia & ex naturalibus liberi arbitrij viribus, fieri vnâ causam efficientem, ita vt ad inchoandos & efficiendos motus spirituales, hæc duo simul concurrant, gratia scilicet & naturales vires liberi arbitrij, quales sunt ex prima nostra corrupta natiuitate. De bonis enim renouationis in voluntate renata, quod faciunt renatos *συμπεριεσθαι* Dei, alia est quæstio, de qua postea dicemus. Habemus igitur iam ex Andradij interpretatione, quæ sit Concilij sententia, in sexto capitulo, & in quarto Canone sextæ Sessionis. Et ego communi nomine gratias ago Andradij, quod reliquis mirabiliter tergiuersantibus, ipse sine ambiguitate & dissimulatione, tam aperte & perspicue ponit & explicat statum controuersie, quæ est inter Pontificios & inter nos, de libero arbitrio. Statu enim ita posito, plana est explicatio & refutatio: si modo nobis illam indulgentiam largiri dignati fuerint, vt ex Scripturæ testimonijs controuersia hæc diiudicetur & definiatur. Vt autem ratio habeatur breuitatis, testimonia in capita quædam distribuam.

SCRIPTURÆ SENTENTIA
de libero arbitrio.

Primo enim quædam Scripturæ testimonia lo-

quantur priuatiuè (vt sic dicam) quod scilicet per lapsum in natura corrupta prorsus amissa sit *δύναμις*, vis & efficacia, seu facultas, qua inchoandæ & efficiendæ sunt actiones spirituales, sicut oportet. Et distinctè loquuntur Scripturæ testimonia: quædam de mente quædam de volūtate seu corde hominis nō renati. Vocantur enim non renati, tenebræ. Ephes. 5. Iohan. 1. & 3. Actor. 26. vocantur in peccatis non tantum ægroti & infirmi, sed mortui. Ephes. 2. Colos. 2. Et hæc distinctè explicantur de priuatione seu carentia efficacis seu facultatis, ad motus & actiones spirituales, 1. Corint. 2. Animalis homo non capit ea quæ sunt spiritus, & non potest intelligere, quia spiritualiter diiudicantur, 2. Corinth. 3. Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis ipsis, tanquam ex nobis ipsis: sed *in uobis* nostra ex Deo est, 1. Corint. 1. Mundus per suam sapientiam Deum non cognouit. Matt. 11. Nemo nouit patrem, nisi cui filius uoluerit reuelare. Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi. Romanorum primo. Euanuerunt in cogitationibus suis. 1. Corinthiorum 1. Infatuauit sapientiam huius seculi. Romanor. 7. Scio quod in me, hoc est, in carne mea, non habet bonum. Romanorum octauo. Sapientia carnis non subiicitur legi Dei: neque enim potest. Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere, sicut palmes nisi in uite fuerit. Atqui nos natura sumus oleastri, Roman. 11. & propterea inferendi veræ uiti, extra quam nihil possumus. Et Augustini uerba diligenter expendit. Non enim dixit, Sine me diffculter potestis. nec dixit, Non potestis perficere aut magni aliquid præstare, Sed simpliciter dicit: Sine me nihil potestis facere: in actionibus scilicet spiritualibus, de quibus ibi, sicut manifestum est, loquitur, 1. Corinth. quarto. Quid habes quod non accepisti? Et Augustinus de Prædestinatione sanctorum, prolixè contra Pelagianos ostendit, hanc sententiam non loqui de reliquijs donorum naturalium, quæ in hac corrupta natura, adhuc reliqua sunt: sed de iis quæ donantur in renouatione per Spiritum sanctum, Ioan. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi pater traxerit illum. Hæc testimonia manifestissimè ostendunt, naturam non renatam, in se & ex se prorsus nullâ habere vim, efficaciam aut facultatem, quam ex se conferat, vt gratiæ proprijs viribus aliquid cooperetur, ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales. Detrahitur enim naturæ non renatæ cogitare, uelle, posse, & facere, quod ad spirituales actiones attinet. Secundo, Multa Scripturæ testimonia non tantum de defectu loquuntur, sed ostendunt in locum amissarum uirium successisse uitiosum habitum & tristissimam deprauationem in mente, uoluntate & corde, quod ad motus seu actiones spirituales attinet: vocatur enim ante conuersionem seu renouationem, cor durum, Romanorum 2. lapideum, Ezech. 11. & 36. ceruix ferrea, frons ænea, neruus ferreus, Esai. 48. cor prauum super omnia, Ierem. 17. Sicut Æthiops non potest mutare pellem suam, nec pardus maculas suas, Ier. 23. Lex est spiritualis, ego autem carnalis, uenditus sub peccato. Malum mihi adiacet. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati. Carne serui legi peccati, Rom. 7. Sapientia carnis, inimicitia est aduersus Deum, Rom. 8. Figmentum cordis humani tantum est malum ab adolescencia, Gen. 6. & 8. Progenies viperarum, quomodo potestis bona fa-

Non renati.

Habitu uero
spriuationis
successerunt.

Sententia
concilij de
tribus huma-
nis & libero
arbitrio.

na facere, cum sitis mali? Matth. 12. Spiritualia sunt & sulcicia homini animali, 1. Cor. 2. Qui facit peccatum, seruus est peccati, Iohan. 8.

Gratia omnia in totum noua facit.

Tertio, Testimonia Scripturæ, quæ describunt liberationem à seruitute peccati, sanationem, illuminationem, reparationem, renouationem mentis & voluntatis, non tam frigidè & perfunctoriè loquuntur: vt cum quis hominem habentem per se *δυναμιν* ambulandi, ex compedibus soluit. Sed Ezech. 11. & 36. Auferam cor lapideum, & dabo cor nouum. Ioan. 1. Tenebræ lucem non apprehenderunt, 2. Corint. 4. Deus qui dixit ex tenebris lucem splendescere, ipse illuxit cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, Deut. 29. Vos vidistis vniuersa, quæ fecit Dominus coram vobis in Ægypto: & non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, oculos ad videndum, & aures quæ possent audire vsq; in præsentem diem, Matt. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: reliqui videntes non vident. 1. Cor. 12. Nemo potest Iesum Dominum dicere, nisi per Spiritum sanctum, Psal. 51. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum re-ctum innoua in vlceribus meis, Matt. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater, &c. Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate viri aut carnis, sed ex Deo nati sunt. Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum, Ephes. 2. Ipsi factura sumus, creati in Christo Iesu, ad bona opera. Philip. 1. Qui incepit in vobis bonum opus perficiet. Phil. 2. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere, vt aliqua ipsi grata fiant, 2. Cor. 3. *in vobis* nostra ex Deo est, non ex nobis ipsis, Iac. 1. Omne datum bonum, & donum perfectum, est desursum à patre luminum. Luca 24. Aperuit ipsis mentem, vt intelligerent Scripturam. Acto. 16. Deus aperuit cor Lydiæ. Idem probant preces de donis spiritualibus, Psal. 118. Ephes. 1. Col. 1. Ita de fide Ephes. 2. Per fidem, & hoc non ex vobis: Dei donum est, ne quis gloriatur. Hanc sententiam Longobardus, lib. 2. dist. 27. dicit à sanctis ita exponi, quod fides non sit ex vi naturæ nostræ: quia Dei donum purè est. Hæc enim sunt enim verba.

Gratia quales nos innouat.

Ex his & aliis multis Scripturæ testimoniis manifestissimum est, gratiam Dei in non renatis ante conuersionem seu renouationem, non inuenire *δυναμιν*, aliquam vim, aut facultatem aliquam, siue ligatam siue attenuatam, quoad motus vel actiones spirituales pertinet: sed inuenire. 1. *ἀδυναμίαν*, priuationem defectus & carentiam. 2. Vitiosum habitum, & deprauationem in mente, voluntate & corde, quod attinet ad inchoandas & efficiendas verè spirituales actiones. 3. Gratiam in conuersione seu renouatione, nõ ita operari, quasi reliqua sit facultas quædam ad spiritualia in corrupta hac natura, ex prima natiuitate insita & inherens: quæ peccati quidem laqueis ita sit constricta & attenuata, vt nisi per gratiam Dei excitetur & confirmetur, non possit in actum prodire. Quando verò accedat gratia excitans & adiuuans, tunc naturalem illam *δυναμιν* progredi ad efficacem actum, vt possit concipere motus, & elicere actiones spirituales. Ita quidem Pontificij sentiunt & docent. Sed Scriptura non ita, sed longè aliter describit beneficium Filij Dei, ministerio verbi per Spiritum sanctum liberantis nos à seruitute peccati, sanantis & renouantis naturam hanc peccato deprauatam. Tradit enim, quod Spiritus sanctus in illis,

quos vult conuertere, primum incipiat præuultem illam, quam quoad motus & actiones spirituales, in mente & voluntate non renata inuenit, mortificare & auferre: deinde incipiat operari, & donare nouam vim, facultatem & efficaciam in mente, voluntate & corde, ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales.

Et expendantur pondera verborum, quibus Scriptura vitur in huiusmodi descriptionibus. Cor est tardum, Luca 24. vanum, Psal. 5. Ephes. 4. durum, Roman. 2. lapideum, Ezech. 36. illud cor Deus emollit, 2. Paralip. 34. aperit, Acto. 16. conuertit, Luca 1. circumcidit, Deut. 30. conterit, Esai. 57. Psal. 50. aufert cor lapideum, Ezech. 36. externus homo corrumpitur, 2. Cor. 4. vetus homo crucifigitur, Galat. 5. vt destruat corpus peccati, Rom. 6. sanat animam, Psal. 40. excitat à mortuis, Ephes. 5. mortuos peccatis viuificat, Ephes. 2. dat cor nouum, Ezech. 11. Renouemini spiritu mentis vestræ, Ephes. 4. interior homo renouatur, 2. Cor. 4. Vocatur regeneratio, Titum 3. renascentia, Ioan. 3. Creat cor mundum, Psalm. 50. Creati in Christo Iesu ad bona opera, Ephes. 2. Nouus homo creatur ad imaginem Dei, Ephes. 4.

Nascitur & creatur quod antea non est.

Hæc & similia Scripturæ testimonia, si conferantur ad similitudines, quibus Andradius & suam & Concilij sententiã explicat, videbit Lector luce meridiana clarius, controuersiam de libero arbitrio naturali, in rebus ad salutem pertinentibus, in Concilio Tridentino non renouatam ad fontes Propheticos & Apostolicos: sed traditam ibi esse sententiam dissentientem à Scriptura, imò ex professo pugnantem cum multis manifestissimis Scripturæ testimoniis: sicut ipsa collatio & inspectio ostendit. Sed Andradius, vt video, Tridentini Concilio didicit, de his grauissimis doctrinæ cælestis capitibus, magnificè quidem declamare: sed ita, vt ne semel quidem horum & similibus Scripturæ testimoniorum, quæ tam multa & illustria sunt, mentionem faciat. Non igitur ociosum, sed maximè necessarium est hoc certamen, vt vera Scripturæ sententia retineatur: quæ profectò clarissima est, si cæteris questionibus vel peregrinis, vel cognatis dextra explicatione in suum locum sepositis, status controuersia, sine ambiguitate, simpliciter & planè cõstituatur. Docet enim Scriptura naturam humanam, sicut per peccatum deprauata est, antequam per Spiritum sanctum renouetur, habere quidem in iis quæ sensibus & rationi subiecta sunt, in mente & voluntate aliquas *δυναμεις φυσικας*, naturales vires seu facultates, quibus aliquo modo potest concipere motus, & elicere actiones, proprietati mentis & voluntatis congruentes, sicut supra dictum est. sed quod attinet ad spirituales motus seu actiones inchoandas & efficiendas, eo modo sicut supra dictum est, affirmat Scriptura in mente & voluntate hominis non renati naturaliter ex prima natiuitate, non esse insitam vllam *δυναμιν*, vim, efficaciam aut facultatem: sed quia Adam per peccatum dona illa amisit, iam propagari *ἀδυναμίαν* in omnes homines, qui ex immundo semine nascuntur. Deinde huic defectui & *ἀδυναμία*, coniunctam iam esse in hac naturæ corruptione, contrariam prauitatem & inclinationem: Spiritum sanctum verò, naturam corruptam ita sanare & renouare, quod incipit prauitatem illam mortificare, & loco defectuum efficere in mente & voluntate, nouam *δυναμιν*, vim, efficaciam aut facultatem, vnde sequantur motus & actiones spirituales,

Concilij doctrina qualis.

Renouatio nostris, quomodo fiat.

nobis
d. il.
res
i.

De Libero arbitrio.

rituales, hoc est, operatur velle, posse, & facere. Hec vero dona, Spiritus sanctus operatur per medium seu organo verbi, si legatur, audiatur & cogitetur: quod homo & debet, & aliquo modo potest facere. Nec infundit illas qualitates, sicut liquor in dolum infunditur: sed ita ut sequatur motus & actiones in mente & voluntate. Quando igitur Spiritus sanctus per verbum coepit naturam sanare, accensa aliqua scintilla efficaciarum & facultatis spiritualis, licet renouatio non statim sit perfecta & absoluta, sed in magna infirmitate tantum inchoata: tunc tamen nec mens nec voluntas est ociosa, sed aliquos habent novos motus: quos etiam debet exercere meditando, orando, conando, luctando, &c. Sed illa spiritualis efficacia, spirituales illi motus, quantumvis tenues, non oriuntur, non nascuntur vel ex toto, vel ex parte, ex naturalibus potentiis, quas mens & voluntas ex prima natiuitate habet: sed sunt dona, operationes & effectiones Spiritus sancti, in nobis. Et ad primam effectione spiritualis efficaciarum & facultatis, ad spirituales actiones in nobis, mens & voluntas ex naturalibus suis viribus, effectiue nihil conferunt. Simpliciter enim retinenda sunt haec sententia: Non a nobis ipsis, tanquam ex nobis ipsis: sed a Deo est idoneitas nostra. Sine me nihil potestis. Quid habes, quod non accepisti? Quando vero scintilla aliqua illius efficaciarum per spiritum in nobis accensa est, tunc aliquid agit in spiritualibus rebus & mens & voluntas in homine. Sed quaestio est, vnde habeat, quod & vult & potest aliquid agere? Ex Spiritu sancto renouationis, qui operatur velle & facere, a quo est *in vobis* cogitandi salutaria.

Et ipsa lucta carnis & spiritus, veteris & noui hominis in renatis, illustre ostendit discrimen actionum, quae authorem & donatorem habent Spiritum sanctum, & quae oriuntur seu nascuntur ex naturalibus liberi arbitrij viribus, quod attinet ad res spirituales.

Omnino igitur in Ecclesia retinenda est vera & utilis Augustini distinctio, inter gratiam operantem & cooperantem. De gratia & libero arbitrio, ca. 17. inquit: Quis etsi parua dare coeperat caritatem, nisi ille qui praeparat voluntate, & cooperando perficit, quod operando incipit. Quonia ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus, cooperatur perficiens. Phil. 1. Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus. De correptione & gratia ca. 2. Non se itaque fallant qui dicunt: Ut quid nobis praedicatur & praecipitur, ut declinemus a malo, & faciamus bonum: si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis? sed potius intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi: ut quod agendum est agant, & cum egerint, illi a quo aguntur, gratias agant, aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant. De gratia & libero arbitrio ca. 16. Certum est, nos velle cum volumus: sed ille facit ut velimus, de quo dictum est: Deus est qui operatur in vobis velle. Certum est, nos facere cum facimus: sed ille facit ut faciamus, praebendo voluntati vires efficacissimas, qui dixit: Facia ut faciatis. Quid hoc aliud est, nisi: Auferam a vobis cor lapideum, vnde non faciebatis: & dabo carneum, vnde faciatis, &c.

De dogmatibus Eccles. ca. 32. Deus agit in nobis ut velimus & agamus: nec ociosa in nobis esse patitur, quae exercenda, non negligenda dedit, ut & nos

cooperatores simus gratiae Dei, ac si quid in ex nostra remissione languescere viderimus, alium sollicito recurramus, qui sanat omnes linguas nostros. De correptione ca. 12. Si in tanta infirmitate vestrae huius, in qua tamen virtutem perfici oportebat, renatis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei perseuerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet. Subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanae, ut diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur: & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. De bono perseuerantiae ca. 13. Nos ergo volumus: sed Deus in nobis operatur velle. Nos ergo operamur: sed Deus in nobis operatur & operari, pro bona sua voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus: quod autem attinet ad pietatis viam & verum Dei cultum, non sumus idonei ex nobis ipsis cogitare aliquid, tanquam ex nobis ipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Et ca. 6. inquit: Tutiores viuimus, si totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.

Has Augustini sententias ideo adscripsi: ut ostendam, nos hanc de libero arbitrio doctrinam, non ita tradere, ut alatur & confirmetur in hominibus desidia, securitas & contumacia. Inculcamus enim illud: Videte ne inuanum gratiam acceperitis.

Sed ideo illam retineri cupimus, ut filio Dei medico nostro, sua tribuatur gloria. Neque enim intelligi aut considerari potest magnitudo beneficiorum ipsius, nisi miseras nostras solis siccum paliatas, verbo autem Dei nudatas, agnoscere discamus. Et quando tale aliquod donum habemus, ne de nostris viribus gloriemur: sed illi gratias agamus, qui operatur velle & facere: & si quid deest, ut inuocatione ad ipsum confugiamus. Ne etiam securi excutiamus talia dona, quae scimus Spiritum sanctum in nobis operari: sed ut reuerenter illa conseruemus, & exerceamus. Et in nostra magna infirmitate, hanc habemus consolationem: quia non nostrae vires, sed Spiritus sanctus inchoauit in nobis bonum illud opus: perficiet ergo, Philippen. 1. Ita accendit haec doctrina in nobis fidem, spem, inuocationem, gratiarum actionem, timorem Dei, & diligentiam in tuendis illis donis diuinis: quae Augustinus ideo solet quasi per gradus enumerare, ut gratiam Dei rectius agnoscere & considerare possumus. Numerat posse, velle & facere, cogitare, desiderare, expetere, accipere. Inquit etiam de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 17. Sancta cogitatio, bonum propositum, pium consilium, omnisque motus bonae voluntatis, ex Deo est: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.

Eodem modo gratiae varias tribuit Augustinus appellationes, ut rem ipsam illustret, & quali gradus conuersionis ostendat. Vocat enim gratiam praeuientem, praeparantem, liberantem, operantem: deinde gratiam subsequenter, cooperantem, adiuuantem bonum perseuerantiae, &c.

AVGVSTINI SENTENTIA DE LIBE-
ro arbitrio: Et quomodo Andradius eam
deprauet.

Haec sunt simplicia, perspicua & vera, ex manifestis

Gratia operans
& cooperans.

Demandatis
Dea et bona
agamus.

Vires huius
doctrinae.

Gratia pra-
conia.

festis Scripturæ testimoniis extracta: & non est dubium, hæc etiam esse perpetuam Augustini sententiam. Sed huic luci Andradus conatur nebulas offundere. Augustinus enim scripto peculiari libello, copulat gratiam & liberum arbitrium. Et dicit: Vbi ad aliquid faciendū vel non faciendū, in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberū demonstratur arbitrium. Item: Ad gratiam Dei necesse est accedere consensum nostrum: vt bonum nostrum non sit ex necessitate, sed voluntarium. Ergo aliquid quantumcumq; sit facultatis ad res spirituales, tribuendum est libero arbitrio, quod ipsi naturaliter ex prima natiuitate insitum sit. Sed remotis æquiuocationibus, explicatio non est obscura, quid Augustin. velit. Quæ enim Deus in verbo suo nobis præscribit: vt agnitionem sui, contritionem, fidem, spem, charitatem, paciētiam, inuocationem, obediētiam, &c. talia sunt, quæ sine motu & actione mentis & voluntatis nec inchoari, nec effici possunt. Sine mente enim & intellectu, nemo aliquid intelligit, cogitat aut iudicat: sine voluntate nemo desiderat, expetit, petit, quærit, conatur. Luctatur, &c. Multa inquit Augustinus, homines nolentes agunt: sed credere nisi volens, nemo potest. Velle autem, proprium est voluntatis. Hoc igitur extra omnem controuersiam, ipsa rei euidētia manifestum est. Num vero Augustinus inde concludit, mentem & voluntatem hominis, per se & ex se, hoc posse præstare, quod verbū Dei præcipit? Nequaquam. Sed ex Scriptura prolixè probat, mentem & voluntatem hominis non renati, naturaliter ex prima natiuitate non habere virtutem, efficaciam & facultatem inchoandi & efficiendi spirituales motus & actiones, sicut in verbo Dei præcipiuntur. Quia tamen Deus verbum suum non frustra generi humano patet, addit Augustinus, gratia Dei hoc quod natura non potest, efficere & operari in homine. Operatur autem gratia conuersionē, non alibi quam in mente, voluntate, & corde hominis. Corde enim creditur, Roman. 10. ex animo obeditur, Rom. 6. Mente agnoscitur salus, Ephes. 1. Non autem ita operatur in voluntate hominis, sicut lapides voluuntur, & inanimata impelluntur: ita vt in spiritualibus, mens & voluntas renatorum gratia diuina rapiantur, sine motu aliquo mentis & voluntatis, intelligente & voluntario.

Scriptura enim disertè affirmat, renatos in rebus spiritualibus agnoscere, scire, credere, assentiri, desiderare, vel conari, luctari, &c. quæ extra controuersiam sunt actiones mentis & voluntatis. Sed illas actiones, mens & voluntas ex suis viribus nec inchoare, nec præstare potest. Propter hanc igitur causam, gratia mentem illuminat, voluntatem conuertit & mutat, præbendo nouam efficaciam & nouas facultates: vt ex ignorantibus fiant intelligentes, ex nolentibus fiant volentes: atq; ita in conuersione mens & voluntas, id quod ex viribus naturalibus antea non poterant, incipiunt iam ex dono, & per operationem spiritus renouationis, habere motus & actiones spirituales, intelligendo, cogitando, iudicando, desiderando, conando, luctando, volendo, faciendo, &c. Hanc esse Augustini sententiam, certum est. Ita enim inquit de peccatorū meritis li. 2. c. 5. Nō solis votis agendum est, vt nō subinferatur ad bene viuendum etiam nostræ efficaciam voluntatis: quia non sicut in lapidibus, in sensatis, aut sicut in iis, in quorū natura rationē voluntatemq; non condidit, salutem nostram Deus operatur in

nobis. Illud vero capite sequenti explicat: cōiungit enim gratiam & liberum arbitrium. Sed mox addit: Ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere nō ambigo: nec tantum vt sit, verum etiam vt bonum sit, id est, ad faciendā mandata Domini conuertatur. Videt Lector, Augustinum loqui non de voluntate non renata, sed quæ iam cōuersa est, & cœpit fieri bona. Et Hypognost. 3. inquit: Nemo sic de gratia confidat, tãquam Deus liberi arbitrij eius quod per mortē filij sui reparauit, opera non requirat: imo vigilet, quærat, petat, pulset, &c. Ita de gratia & libero arbitrio, cap. 2. Cum aliquid secundum Deum operatur, non alienet hoc à propria voluntate. Ne vero quis existimet ipsum loqui de propriis, hoc est, de naturalibus virtutibus voluntatis, ca. 16. inquit: Certū est nos velle & facere cum volumus & facimus: sed ille operatur velle & facere, præbendo voluntati vires efficacissimas, de quo scriptū est: Deus operatur in nobis & velle & facere. Et de prædestinatione sanctorum ca. 3. fatetur errorem esse, sicubi dixerit, vt prædicato Euangelio consentiamus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse. Et postea addit, quod dixerat, Nostrum est credere & velle: ita esse intelligendum, quod vtrumq; sit Dei qui præparat voluntatem, & vtrumque etiam sit nostrum: quia non sit nisi volentibus nobis. Illud vero ita explicat ad Bonifaciū li. 1. c. 19. Christus non dicit, Duxerit: vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem: sed dicit, Traxerit. Quis autē trahitur, si iam volebat: & tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo multis modis vt velit, ab illo qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari: non vt homines (quod fieri non potest) nolentes credāt, sed vt volentes ex nolentibus fiant. Et in Enchiridio cap. 32. Nolentem præuenit vt velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cōtra 2. epist. li. 4. ca. 6. Pelagius dicit, gratiam adiuuare bonum cuiusq; propositū: non tamen reluctanti studium virtutis immittere. Augustinus vero respondet: Possit bene intelligi, si non ab istis quorum sensus notus est, diceretur. Reluctanti enim, prius aditus diuinæ vocationis, ipsa Dei gratia procuratur: ac deinde in illo iā non reluctante, spiritus virtutis acceditur. Ita Ambrosius de Vocatione gentium, lib. 2. ca. 9. Quod gratia à multis refutatur, ipsorum est nequitia: quod autem à multis suscipitur, & gratia est diuina, & voluntatis humane. Nulla enim species cuiusq; virtutis occurreret, quæ vel sine dono diuinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur. Sed audi, quomodo hoc explicet. Ipsa enim gratia, hoc omni genere medendi & auxiliandi agit, vt in eo quæ vocat, optimam sibi recepticem & famulā donorum suorum præparet voluntatem. Et li. 1. c. 9. Licet inest homini nolle bonum, tantē nisi dona à non habet bonum velle: illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiā. Et hoc est quod Augustinus inquit: Per gratiam nō tollitur humana voluntas, sed mala mutatur in bonā: & cum bona facta fuerit, adiuuatur. Idem etiam vult Prosper sententia: Liberum arbitrium naturaliter homini inditum, manet in natura: sed qualitate & conditione mutatum, per mediatorem Christum, qui ipsam voluntatem, ab eo quod peruerse volebat auertit, & in id quod ei bonum esset, velle conuertit.

Hæc explanationes manifestissime ostendunt, quod Augustinus non tribuat voluntati efficaciam, aut facultatem aliquam ad actiones spirituales,

Augustinus.

Prospers sententia.

tuales, quam naturaliter ex prima natiuitate habeat: sed tantum illam, quam ex dono & operatione spiritus renouationis accepit.

Pontificij vero hoc ita inuertunt, quasi gratia tantum moueat & excitet, voluntas vero ex se habeat consentiendi facultatē. Sed Augustinum plane diuersum sensisse iam ostendimus. Et vtile est, Lectorem considerare, quam mala fide Patrū scripta tractentur à Pontificiis. Augustinus inquit, consentire & dissentire, proprie esse voluntatis: sicut dicimus intelligere proprium esse mētis, velle voluntatis. Illa sententia postea ita deprauata est: consentire in spiritualibus, esse propriæ volūtatis: hoc est, ex propriis viribus. Quantum vero inter hæc duo interfit: consentire est proprie voluntatis, & propriæ voluntatis: manifestum est.

Andradius
narrat solo
Augustino.

Nulla autem alia habet argumenta Andradius, pro sua sententia, quam hæc Augustini disputationem, cui Augustinus talem titulū facit. De gratia & libero arbitrio. Et si intelligeret Andradius, actiones voluntatis renatæ quas habet & accepit, nō naturaliter in prima natiuitate, sed in regeneratione ex dono & operatione Spiritus sancti, sicut Augustinus disputat: nulla esset inter nos controuersia. Certū enim est, Spiritum sanctū in conuersione nō abolere, destruere aut extinguere potētias animæ, quæ vulgo ita vocantur: sed sanat & renouat illas, & quidem ita, quod prauitatem adhærentē illis mortificat & aufert: vt illis organis renouatis & præparatis, vti possit ad motus & actiones noui hominis.

Nulla modo enim vel probamus vel sequimur Manicheorum deliria, qui finxerunt quosdam homines esse ἀλύτους hoc est, naturā in quibusdam per peccatum ita corruptam, vt ne quidē per gratiam & operationem Spiritus sancti conuerti, reformari, & renouari possit. Recte enim dicit Augustinus, ad articulos falso sibi impositos, articulo 6. Hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus miseretur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla seruata est conuersio. Recte & hoc contra Manichæos dicit, de Ciuit. Dei li. 14. ca. 11. conuersionem fieri nō detracta substantia animæ, vel vlla eius parte sublata, sed eā quæ vitiata ac deprauata fuerat, sanata atque correcta. Nam sicut dicit contra Iulianum li. 4. c. 3. Gratia Dei per Iesum Christum Dominū nostrum, non lapidibus aut lignis pecudibusq; præstatur. Carent enim subiectis, mente scilicet & voluntate: in quibus Deus ordinario modo, per verbum & Sacramenta agere solet, & in quibus necesse est fieri conuersionem: Hæc vero non ita intelligenda sunt, sicut Pelagius cōtendebat, quasi ante gratiam conuersionis seu renouationis, sit in natura corrupta, generositas aliqua, δύναμις, inclinatio, habilitas, dispositio, facultas, aut quomodocunq; appelletur, ad inchoandas & præstandas actiones spirituales. Ita enim dici posset. Habes aliquid, quod ex gratia renouationis seu conuersionis non accepisti. Quod Augustinus vt Pelagianum detestatur. Et de gratia Christi, li. 1. ca. 18. recitat, & refutat illa verba Pelagij: Habemus possibilitatem vtriusque partis à Deo insitam, velut quandam (vt ita dicam) radicem fructiferam atq; fœcundam: quæ ex volūtate hominis diuersa gignat & pariat, & quæ possit ad propriij cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum. Hæc Pelagius. Augustinus vero contra Iulianum lib. 2. de sententiā Ambrosij dicit: naturam humanam etiam

istam, quæ sub peccato nascitur, & cuius ortus in vitio est, esse iustificationis capacē: sed per gratiam Dei. & lib. 4. cap. 3. dicit humanam substantiam capacem esse diuinorum donorum. Non autem, sicut bonum ingenium dicitur capax esse omnium disciplinarum, propter insitam *φυσικὴν δύναμιν*: sed per gratiam Dei, inquit, quia est natura rationalis: in qua Deus per verbum & Sacramenta pro bona sua voluntate, potest operari velle, vt malā voluntas cōuertatur in bonam. Ita Lutherus etiā loquitur Tom. 1. pag. 236. Quando sancti Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis eius prædicant: quod scilicet verti potest ad bonum, per gratiam Dei: & fieri reuera liberum ad quod creatum est. Et alibi vocat capacitatem passiuam.

Irenæus lib. 5. dicit carnem humanam capacem esse donationis Dei, hoc est vitæ æternæ: quia nutriatur carne & sanguine Christi. Lib. 4. ca. 24. dicit hominem esse receptoriū bonitatis Dei: & in Deo intentus, semper proficit ad Deum. Neque enim Deus cessat beneficiendo & locupletando, nec homo cessat beneficium accipere, & ditari à Deo.

Irenæus.

Et pulchra est sententia, siue Ambrosij, siue Prosperij, de vocatione gentium li. 2. ca. 9. Ipsa gratia, omni genere medendi atque auxiliandi hoc agit, vt in eo quem vocat, optimam sibi recepticem & famulam donorum suorum præparet voluntatem. Hæc vero diligenter distinguenda & explicanda esse, Scriptura suo exemplo monet & ostendit. Vtitur enim verbo *δέχεσθαι*, quando dicit verbum & gratiā Dei accipi oportere. Acto. 8. Iac. 1. 2. Cor. 6. Vnde vero homo illam capacitatem habeat, ponit & negatiue & affirmatiue. Animalis enim homo, ea quæ spiritus sunt, *ὄχι δέχεται*. 1. Cor. 2. Deus vero est qui operatur & vt velimus, & vt possimus verbum & gratiam Dei capere. Alias manet quod Ioha. 8. Christus dicit: Verbum meum *ὄχι ἔχει*: nō inuenit aut habet locum in vobis, quo capiatur. Hæc diserte & accurate sunt explicanda. Pelagius enim sicut de possibilitate, ita & de capacitate abusus est equiuocatione vocabuli, De gratia & peccato originis, ca. 13.

Ambrosius.

Et Iustinus Apologia prima non satis circumspēcte loquitur, vbi sententiam illam, quod angelorum & hominum genus sit *δευκπιον* virtutis & vitij, ita explicat: Non enim laude dignum esset, nisi haberet *δύναμιν ἐπ' ἀμφοτέρα τρέπεσθαι*. Intelligit capacitatem, potentiam, vim, facultatem aut efficaciam naturalem: qua homo possit, sicut ad malum, ita etiam ad bonum se vertere. Sed quid de hac sententia Augustinus indicet, notum est.

Et hæc sunt potissima Andradij argumenta: quæ recte declarata, nihil iuuant illam cuius patrocinium suscepit, sententiam: sicut manifestum est, si omnes illæ disputationes referantur ad statum cōtrouersia, quem supra exposuimus. Reliqua vero, quæ agitari solent argumenta, obiter tantum attingit: quorum plana & expedita est explicatio, si adhibeatur illa quæ vera & necessaria est distinctio: quod scilicet primo quædam scripturæ sententiæ loquuntur de libertate naturæ integræ ante lapsum. Secundo, quædam de ipsa substantia mentis & voluntatis. Tertio, quædam loquuntur, de qualicunq; illa libertate, quam in illis rebus quæ sensibus aut rationi subiectæ sunt, voluntas adhuc habet. Quarto, quædam loquuntur de contingentia in actionibus vitiosis. Quinto, quædam loquuntur de voluntate, quæ cœpit renouari & liberari. Quando enim Deus operatur velle, tūc volumus.

Et renati habent potestatem ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales. Sed illa potestas ex libero arbitrio nulla est, nisi detur de super per spiritum renouationis: sicut Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum li. 1. c. 3. loquitur. Sexto, in multis Scripturę sententiis, menti & voluntati hominis aliquid præscribitur & iubetur: quod si non habeat potestatem obediendi, videri posset Deus illudere nostrę calamitati, ac si herus seruo, quę videat luxatis pedibus ingredi non posse, multa præcipiat, & extrema minuetur, nisi pareat. Aut si quis ad cœcū dicat: Si volueris videre, inuenies thesaurum. Sed Augustinus respondet de gratia & libero arbitrio, ca. 16. Magnū aliquid Pelagiani se scire putant, quādo dicunt: Nō iuberet Deus, quod sciret ab homine non posse fieri. Quis hoc nesciat: Sed ideo iubet aliqua quę non possumus, vt non nouerimus quid ab ipso petere debeamus. Ex lege enim præcipere & prohibere, non est agnitio virtutis & potentię nostrę: sed peccati agnitio, hoc est, *depravationis*. Et tamē nō frustra iubetur: pmittitur enim gratia, quę operatur vt velimus & faciamus. Ita Augustinus ibidē inquit: Meminerimus ipsum dicere, Facite vobis cor nouū, & spiritum nouū qui dicit, Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo vobis. Quomodo ergo quod dicit, Facite vobis: hoc dicit, Dabo vobis? Quare iubet, si ipse daturus est. Quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat quod iubet, & iuuat vt faciat cui iubet. Per gratiam enim fit, vt sit homo bonę volūtatis, qui prius fuit volūtatis malę: per hanc etiā fit, vt ipsa bona voluntas quę iam esse cœpit, augeatur, &c. Contra 2. epistol. Pelagia. li. 2. ca. 10. Nihil in Scripturis sanctis hominē à Deo video iuberi, propter probādum liberum arbitrium, quod non inueniatur vel dari ab eius bonitate, vel posci propter adiutorium gratię demonstrandum. Septimo obiicitur, quod in Scriptura multę sunt admonitiones, exhortationes, correptiones, &c. Illę vero videntur ociosę, inutiles, & non necessarię, si non est in homine facultas quędam naturalis, ad actiones spirituales inchoandas & efficiendas. Respondet Augustinus: O homo, in præceptione agnosce quid debeas habere: in correptione agnosce, tuo te vitio nō habere: in correptione agnosce, vt accipias quod vis habere. Et verbum admonens, exhortans, corripiens, est medum seu organon, per quod Spiritus sanctus volūtatem conuertit, renouat, &c. Correptiones igitur etiam non reatorum, non sunt ociosę. In renatis vero principia donorū quę à Spiritu sancto acceperunt, suscitantur, cōseruantur & augentur per admonitiones & correptiones, ne effundantur, sed crescāt & augeantur. Hęc explicationes verę, simplices & planę sunt: nec à nobis primum excogitatę sunt, sed à veteribus, ab Augustino præsertim traditę.

QVAM INSIDIOSE POSITA SINT

Tridentina Decreta de Libero arbitrio.

His ita explicatis, Lectori paucis iam ostendam, quam insidiosę Canones Concilij ludant meris æquiocationib. Vnde colligi poterit, quale ibi studium fuerit veritatis: cum ideo inuehant tenebras æquiocationū, ne veritas per se manifesta emergere possit, Canone quinto, dicunt anathema illis, qui sentiūt liberum hominis arbitrium, post Adę peccatum amissum & extinctum esse: nō autem explicant, quid vocabulo liberi arbitrij intelligant.

Nam si intelligatur ipsa substantia mentis & volūtatis, vel libertas in rebus externis, aut in actionib. vitiosis: manifestum est liberum arbitrium non esse omnino extinctum & amissum. Si autem intelligatur potentia, vis aut efficacia ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales: aut talis libertas, quę æquam habeat potestatem sicut ad mala, ita & ad bonā in præcedētib. ostendimus, quid ex Scripturę testimoniis recte responderi possit. Et cum tam varię sint æquiocationes: Postulant tamen reuerendi Patres, vt sine distinctione in genere, sub anathematis interminatione confiteamur, hominē post lapsum retinuisse liberum arbitrium: non autem vel de substantia mentis & volūtatis, nō de libertate disciplinę in rebus externis, nec de cōtingentia in actionibus vitiosis potissimum pugnant. Ita enim, quod ad nos attinet, nullam haberet causam fulminandi anathematis: sed de potentia, vi & efficacia naturali ad actiones spirituales, certamen est. Illam vero quæstionem expressis verbis venentur proponere, cum Scripturę testimonia nimium sint manifesta. Vtuntur itaque artificio æquiocationis: An liberum arbitrium per peccatum prorsus sit extinctum & amissum. Ita in ca. 2. vbi loquitur de vi nature in gentibus, addunt: Tameñ in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, licet viribus attenuatum & inclinatum. Hęc verba si de exteriora rationis disciplina intelligerent, nulla esset inter nos controuersia. Sed hoc volunt, liberi arbitrij naturales vires, ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales, licet sint attenuatę & inclinatę, minime tamen vel in Gentibus, vel in Iudæis non renatis extincas esse.

Nec nouus est. Hęc æquiocationum ludus in vocabulo Liberi arbitrij. Luserunt enim illum & olim Pelagiani. Et obseruet Lector, quomodo Augustinus ad illas æquiocationes respondeat. Ad Bonifacium lib. 1. ca. 3. Arbitrium in bono liberum non erit, quod liberator nō liberauerit: sed in malo liberum habet arbitrium. Ibidem: Hęc voluntas quę libera est, in malis quia delectatur malis: ideo libera in bonis non est, quia liberata nō est. De gratia lib. 1. ca. 15. Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando seruit iustitię & tunc est bona: sed per gratiam fit, vt sit homo bonę volūtatis, qui prius fuit volūtatis malę. De Correptione & gratia ca. 1. Liberum arbitrium, & ad malum & ad bonum faciendum, confitendum est nos habere. Sed in malo faciendo, liber est quisque iustitię & seruus peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus, Iohan. 8.

Et cum Pelagiani argumenta ex vocabulo liberi arbitrij non amissi vrgerent, Augustinus opposuit alias appellationes, ex Scriptura sumptas. Ad Bonifacium li. 3. ca. 8. Liberum arbitrium captiuatum, non nisi ad peccatum valet, ad iustitiam vero nisi diuinitus liberatum, adiutumq; non valet.

De verbis Apostoli, sermone 11. Ad male agendum habes sine adiutorio Dei liberam volūtatem, quanquam illa non est libera, à quo enim quis deuietus est, huic & seruus addictus est.

Contra Iulianum lib. 2. secundo, Hic vultis hominem perfici atque vitam Dei dono, & non libero, seu potius seruo proprię volūtatis arbitrio. Epistola 105. ad Vitalem: Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate per di-

perdidimus. In Enchiridio cap. 30. Libero arbitrio male utens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim qui se occidit, vique viuendo se occidit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium. A quo enim quis deuietus est, huic & seruus additus est. Quæ sententia cum vera sit, qualis quæso potest serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat?

De verbis Apostoli, sermone 2. Verum est, magnas liberi arbitrii vires homo cum conderetur accepit: sed peccando perdidit. Epistola 89. Libertas sine gratia, nihil est nisi contumacia, non libertas. Vere enim liberi eritis, si filius vos liberauerit.

Vocabula quidem infirmationis, attenuationis & inclinationis, scio extare in concilio Aurascano: sed ibi in iis, quæ ad salutem pertinent, omnia detrahuntur vigori naturæ, & tribuuntur gratiæ. Et Canone 13. dicitur: Liberum arbitrium amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi.

Tridentinum vero Concilium sub illis verbis suas occultat insidias, quod in homine nõ renato, reliquæ adhuc sint ad spirituales actiones aliquæ vires, licet valde attenuatæ & inclinatæ. Consideret igitur Lector, quam insidiose ludant æquiocatione vocabulorum.

Ita cum dicunt: quia necesse sit hominem assentiri, & recipere gratiam: ideo hominem ipsum, non omnino nihil agere, recte possumus eum Augustino respondere: Possit bene intelligi, si non ab istis, quorum sensus notus est, diceretur: Addatur enim, hominem ipsum velle & posse assentiri, recipere & agere in conuersione, siue in rebus spiritualibus: non ex suis naturalibus viribus, siue ex toto, siue ex parte habere: sed accipere ab illo, qui operatur velle & facere. Et nihil erit controuersæ. Certum enim est, nos velle assentiri, recipere, agere, &c. sed Deus operatur velle & facere. Quid enim habes, quod non accepisti. Quam sententiæ de donis naturalibus intelligere, Augustinus ostendit Pelagianum esse. Cum igitur paucis verbis has æquiocationes facile potuissent euoluere: quid existimamus causæ esse, quod maluerint illis generalitatibus ludere: nisi vt sub illis cothurnis vtrique pedis aptis, antiquam sententiariorum fabulam, spectatoriibus non animaduertentibus, in theatrum reducere possent?

Illud vero quod serio probare laborant, hominem posse dissentire, & gratiam quando offertur abicere: nimis pro dolor, verum est. Neque enim fingimus, gratiam in conuersione ita obrudi volutati, vt velit nolit cogatur eam habere: sicut cum stigma corpori inuritur: sed hoc dicimus, quod donum & operatio Spiritus sancti sit, vt gratia cum desiderio, delectatione & gaudio recipiatur. Vt autem repudietur, abiiciatur & effundatur, carnis nostræ prauitas & malitia est.

Illud etiam non satis explicite dictum est, liberum arbitrium hominis à Deo motum & excitatum, cooperari assentiendo, Deo excitante & vocante. Omnino enim Augustini distinctio inter gratiam operantem & cooperantem, diserte explicanda est: An scilicet liberum arbitrium, naturalibus suis viribus cooperetur Deo: ita vt cum Deus operatur in nobis velle & assentiri, naturalis quædam vis seu efficacia veteris hominis cooperetur, ad producendum illud velle seu assensum illum. Siue quando gratia mouet & excitat voluntatem, quod tunc ex naturalibus viribus voluntatis assensus emergat. Au-

gustinus certe dicit: Vt velimus, Deus operatur sine nobis; sicut supra explicatum est. Acceptis vero primitiis donorum spiritualium, voluntatem renatam esse *συνεργει* Dei, illis facultatibus quas à spiritu regenerationis accepit, nullum est dubium.

Obseruanda præterea est insidiosa æquiocatio in verbo adiuuandi. Augustinus præclare dicit de Correctione & gratia ca. 1. Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Non ita, vt cum quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat liberatoris sui auxilio: sed ita potius, vt ab illo audientis, Sine me nihil potestis facere: dicat ei & ipse, Adiutor meus esto.

Item in Enchiridio: Hominis voluntatem adiuuat præparatam, & præparat adiuuandam. Sed sub illo verbo adiuuandi, Pelagius venenũ suũ insidiosè occultabat. Dicit enim apud Augustinum li. 1. c. 19. ad Bonifacium: In omni opere bono hominem semper adiuuari à gratia. Et li. 4. ca. 6. gratiam adiuuare vniuscuiusque bonum propositum. Hoc sine scipulo, inquit Augustinus, acciperetur. Sed Pelagius inde texebat tale argumētum. Qui adiuuatur, ipse vna cum adiuuante aliquid agit & operatur. At qui voluntas non renata, adiuuatur à gratia. Ergo ex se aliquid confert, & viribus suis naturalibus, quas habet ex prima natiuitate, aliquid cooperatur ad conuersionem. Augustinus vero respondet li. 3. c. 4. ad Bonifacium: Tempore veteris Testamenti in iis, qui secundum promissionem filij erant, Spiritum sanctum non solum adiutorem (quod Pelagiani dogmati suo sufficere existimant) verũ etiam largitorem fuisse dicimus virtutis, quod isti negant. Et li. 2. ca. 9. Hominis bonum propositum adiuuat quidem subsequens gratia: sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia. Adiuuantem igitur gratiam Augustinus tunc primum ponit, quando sine veteris hominis cooperatione gratia præueniens operata est velle. Tunc enim adiuuat ne frustra velimus. Hac adhibita consideratione, inspiciat Lector decreta Tridentina, & agnoscat, quam generaliter & insidiosè, sine iusta & necessaria distinctione vtantur verbo adiuuandi. Nec calumniose verba torquemus. Ex Andradio enim interprete concilij didicimus, quam sententiã sub illis verbis inuolueris texerint. Nam & Cassiani manifestè Pelagianas sententias quas contra Iesuitas notaueram, quas Prosper iusto scripto grauius refutauit, quarum etiam quædam in Aurascano Concilio diserte damnatæ sunt, Andradius Tridentini in ipso concilio publice defendit, nempe: Deus cum in nobis ortum bonæ voluntatis viderit, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emeruisse, confestim illuminat, confortat, &c.

Item: Euidenter apparet etiam per naturæ bonum, quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia. Item: Dubium videtur, an quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, Deus misereatur nostri, an vero e contra. Vtrumque enim recipiendum est, vt in aliis voluntatem gratia præueniat, in aliis voluntas gratiam, &c. Hæc Cassianus. Vt autem imperitum Lectorem Andradius fallat, Paphnutij quasdam sententias, quæ extant in 3. collatione recitat: cum de illis quas ex 13. collatione Prosper refutauit, respondere deberet.

Exagitant etiam illud quod Lutherus dicit, hominem ad regenerationem, renouationem, seu conuersionem habere se mere passiuè. Et sane hæc

Argumentum Pelagij.

Responsio Augustini.

Deo eo quod Lutherus dicit hominem in conuersione habere se mere passiuè.

Augustini distinctio inter gratiam operantem & cooperantem.

phrafi offendi posset aliquis, qui non est assuetus modis loquendi, qui Scholasticis Scriptoribus vsitati sunt: quasi sensus sit, Spiritum sanctum ita operari conuersionem, vt in voluntate quæ renouari cœpit, nulli omnino sequantur noui motus: sed plane sit ociosa & iners, & tantum bruta agitatione percussatur & protrudatur. Quod Lutheri nunquam in mentem venit. Theologos vero, qui in Tridentino Concilio adhibiti fuerunt, quia & enutriti sunt, & consueuerunt in illo genere dicendi, quod Scholasticis Scriptoribus vsitatum est, non est dubium, bene intellexisse quid sit, mere passiuè se habere, sed cauillandi studium non potuerunt dissimulare: præsertim cum suam de naturalibus liberarum arbitrij viribus, quas si non ex toto, saltem ex parte aliqua, ad renouationem seu conuersionem conferat, hoc modo existimarent non incommode posse hominibus obrudi. Vsitata autem est apud Scholasticos disputatio: Quod subiectum recipiēs formam aliquam, qualitatem, habitum, actionem, &c. quatenus recipit, habeat se passiuè. Sunt vero quædam subiecta, quæ præterquam quod recipiendo se passiuè habent, etiam actiuitatem quædam in se habent, quam conferunt, & qua simul cooperantur, vt forma, qualitas, actio seu habitus in subiecto illo producat. Et talia subiecta habent se ad productionem formæ, non mere passiuè, sed partim passiuè, partim actiuè. Sunt vero alia quædam subiecta, quæ ad productionem formæ, nullam ex se habent actiuitatem, sed tantum recipiunt formam. Et illa dicuntur se mere passiuè habere. Illos modos loquendi Scholasticorum, Lutherus, vt tunc temporis in Scholis vsitatos & notos, accommodauit ad doctrinam de libero arbitrio.

Cum enim mens & voluntas sint subiectum, in quo Spiritus sanctus operatur conuersionem seu renouationem: hætenus habet se subiectum illud iuxta Scholasticorum phrasen, passiuè. Iam vero quæstio est: An mens & voluntas, qualis est ex prima natiuitate, in hac naturæ per peccatum corruptione, habeat actiuitatem aliquam, hoc est, *δύναμιν*, vim seu efficaciam aliquam quam conferat, & qua simul cum Spiritu sancto cooperetur, vt inchoetur conuersio, sancta cogitatio, bonum propositum, studium, conatus, lucta, &c. in motibus & actionibus spiritualibus, hoc est, (vt Scholastici loquuntur) an voluntas non renata, habeat se ad spiritualem conuersionem partim actiuè, partim passiuè? Quia vero Scriptura tradit *δύναμιν* illam ad spiritualia esse per peccatum amissam, ita vt nihil possit voluntas ex se: & Augustinus etiam, gratiam qua Deus operatur in nobis velle, non vult vocari cooperantem, sed operantem: Lutherus igitur, vsus Scholasticorum phrafi, sententiam illam ita explicauit, quod mere passiuè se habeat. Et tamen non docuit, sine cogitatione mentis, & cōsensu voluntatis fieri conuersionem, sed hoc voluit: Deum eos, quos conuertit, trahere voluntatibus eorum, quas ipse in illis per Spiritum sanctum operatus est, sicut Augustinus loquitur.

Nihil igitur incommodi habet illa phrafi, si recte intelligatur. Sed constituta de rebus ipsis vera sententia, de modis loquendi facilis potest iniri ratio, vt scilicet sine ambiguitate, re ipsam proprie, commode, & perspicue explicent.

Ecquid igitur in omnibus hisce decretis, quæ de libero arbitrio loquuntur, lector aliud deprehendit, quam ambiguos lusos multiplicium æquiuo-

cationum? Sed inquis: Certe non ad ludendum cōuocati fuerunt Patres Tridentum, sed res seria acta fuit. Ego vero respondeo, generalitatibus, ambiguitatibus & æquiuocationibus, veritatem citius amitti & obscurari, quam vel inueniri, vel illustrari. Quid igitur causæ esse putas, quod in re seria & graui, hoc artificio vti voluerunt? nisi hoc quod Scholasticorum opiniones de libero arbitrio nimium crassas, non ausi fuerunt denudatas in Theatrum producere, ne primo aspectu exploderentur: quia tamen omnino retinere illas voluerunt, inuoluendæ ita fuerunt ambiguis generalitatibus & æquiuocationibus, vt quoquo modo Ecclesiæ rursus obruderentur. Aut forsitan ideo factum hoc est, quia (sicut Ruardus Tapperus dicit) in concordantia gratiæ & liberarum arbitrij, esse liberum, vt suo quisque sensu abundet. Ergo, inquis, & Augustinæ confessioni sua sententia libera permittetur? Nihil vero minus. Sicut enim in loco de peccato originis diximus: In Papatu quiduis liberum est opinari, ea vero sola sententia damnatur & anathematizatur, quæ ex Scripturæ testimoniis extructa est.

Tridentini
volunt Sider
discessisse a
Scholasticorum
opinionibus.

EX DECRETO SEPTIMÆ SESSIONIS TRIDENTINÆ Concilij.

De dispensatione & ministerio aduentus Christi.

Quo factum est, vt cælestis pater, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, Christum Iesum filium suum, & ante legem, & legis tempore multis sanctis patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miseris, & Iudeos, qui sub lege erant redimeret: & gentes quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorum, per fidem in sanguine ipsius, pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Qui per Christum iustificantur.

Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ij duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur. Nam sicut reuera homines, nisi ex semine Ada propagati nascerentur, non nascerentur iniusti: cum ea propagatione per ipsam dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant, ita nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur: cum ea renascentia per meritum passionis eius gratia, qua iusti fiunt, illis attribuat. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos semper agere hortatur patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, et transtulit, in regnum filij dilectionis sue, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.

Insinuatur descriptio iustificationis impij, & modus eius in statu gratiæ.

Quibus verbis iustificationis impij descriptio insinuatur, vt sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Ada, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Iesum Christum Saluatorem nostrum. Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptura est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Modus

Voluntas homini non renata, non habeat se partim actiuè, partim passiuè.

Modus præparationis.

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & ad iustitiam fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes Veram esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & tamen peccatores se esse intelligentes, à diuina iustitia timore, quo vtiliter concutuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tanquam omnis iustitie fontem, diligere incipiunt: ac propterea moventur aduersus peccata, per odium aliquod & detestationem. hoc est, per eam penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet, denique proponunt suscipere Baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et: Timor Domini expellit peccatum. Et: Penitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Et: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quaecunque mandauimus vobis. Denique preparate corda vestra Domino.

Quid sit iustificatio impij, & quæ eius causæ.

Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, vnde homo ex inimico fit iustus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt: finalis quidem gloria Dei & Christi, ac vitæ æternæ: efficiens verò, misericors Deus, qui gratuito abluat & sanctificet, signans & vngens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ: meritoria autem, dilectissimus & vngentissimus filius, Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici: propter nimiam charitatem, quæ dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit: instrumentalis item Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam iustificatio contingit: demum vniuersa formalis causa est, iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, quia videlicet ab eo donati, renouamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sensus, iustitiam in nobis recipere vides unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus pariter singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cuius meritum a passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificuntur, atque ipsis inhaeret. Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur per fidem, spem & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque vnit perfecte cum Christo, neque corporis eius virtutum membrum efficit. Quæ ratio verissime dicitur, fidem sine operibus mortuam & ociosam esse, & in Christo Iesu neque circumcissionem aliquid valere, neque praputium, sed fidem quæ charitatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum, ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt, dum petunt fidem vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides prestare non potest. Vnde & statim Verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Itaque Veram & Christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam, pro illa quam Adam sua inobediencia sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur statim renatis conseruare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam.

Quomodo intelligatur, impium per fidem & gratis iustificari.

Cum verò Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesia catholica consensus tenuit & expressit, ut sci-

liches per fidem ideo iustificari dicantur, quia fides est humana salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius confortium peruenire: gratis autem iustificari ideo dicantur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, iam non ex operibus, alioquin (ut idem Apostolus inquit) gratia non est gratia.

De acceptæ iustificationis incremento.

Si ergo iustificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renouantur (ut Apostolus inquit) de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem, per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ: In ipsa iustitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescat, atque magis iustificantur, sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et iterum: Ne Verearis usque ad mortem iustificari. Et rursus: Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc verò iustitiæ sacramentum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis Domine fides, spes & charitatis augmentum.

CANON IX.

Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, cum sua voluntaria motu preparari atque disponi, anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse, anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, hominem iustificari, vel sola impetratiue iustitia Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam quæ iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam diuine misericordie, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, quæ iustificamur, anathema sit.

CANON XXIV.

Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augenda causam, anathema sit.

EXAMEN.

Hic locus est præcipuus in doctrina Christiana. Anxiæ enim & perterrefactæ mentes, quæ cum peccato & ira Dei luctantur, vnicum hunc portum quærunt, quomodo Deum possint habere placatum & propitium. Et fides in tentatione de vnica hac consolatione sollicitè circumspicit, quid debeat apprehendere, quo niti: ne iusto Dei iudicio ob peccata damnetur, sed ut ira Dei placata, miser peccator in gratiam recipiatur, & acceptetur ad vitam. Finis enim fidei, est vita æterna. I. Pet. I. Ibi verò vnicus locus iustificationis rectè explicatus, & ita intellectus, sicut in doctrina Euangelij patefactus est, affert necessariam & vberissimam consolationem.

L 4 latio-

lationem piis conscientis, illustrat & amplificat gloriam filij Dei, redemptoris & mediatoris nostri. Contra verò si locus hic peregrinis opinionibus adulteretur, obscurat gloriã & beneficia Christi, & eripit afflictis conscientis necessarias consolationes, quæ in Christo nobis propositæ sunt. Nôdum autem planè inter mortua est memoria, qualis fuerit sub Papatu carnificina conscientiarû, luctantium in tentatione cum peccato & ira Dei, & anxie querentium firmam & certam aliquam consolationem, dum præterito Christo, qui vnus ad omnem iustitiam nobis sufficit, iam ad sanctitatè operum debitorû, iam ad proprias satisfactiones operum indebitorum, iam ad supererogationes, mox ad superflua merita ordinum, ad varias fraternitates, ad patrocina sanctorum, ad peregrinationes, ad nûdinationes indulgentiarum, & à quo nô miseras conscientias abduxerunt, & circumegerunt. Et tandem peractis illis omnibus, in tristissima dubitatione illas reliquerunt proposita (si displicet) consolatione ignis purgatorij. Pighius etiam quantumuis nobis iniquus & acerbus, tamen de articulo iustificationis inquit: Dissimulare non possumus, à nostris hanc vel primã doctrinã Christianã partem, obscuratam quam illustratam magis, à Scholasticis spinosis plerisque quæstionibus & definitionibus. Et tales extant multorum querelæ inter ipsos Pontificios etiam. Iam verò in Concilio Tridentino, grauissima hæc quæstio in deliberationem deducta fuit, & quidem sicut ipsi narrant, per 7. menses agitata. Et quis non speraret, cum doctrina hæc ex multis manifestissimis Scripturæ testimoniis, hoc tempore clarissimè sit illustrata, fore vt desertis philosophicis Scholasticorum lacunis, ad fontes Propheticos & Apostolicos, si non omnino, propius saltem accederent, præsertim cum per tot menses res fuerit deliberata. Sed eum tandem exitum habuit longa illa deliberatio, crebri illi congressus, & multæ illæ disputationes in Concilio, de articulo iustificationis, quod profusa anathematum liberalitate, damnata est ea, quæ est omnium Prophetarum & Apostolorum sententia: quòd homo iustificetur, hoc est, in gratiam recipiatur & acceptetur ad vitam æternam, sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, fide apprehendente misericordiam Dei, peccata remittentis propter Christum.

Tota verò lerna & colluies Scholasticorum opinionum de inhaerentibus nouis iustitiæ qualitatibus, propter quas homo reddatur, & sit Deo gratus, & ad vitam æternam acceptus per bona sua opera, ex nouis illis qualitatibus prodeuntia, Ecclesiæ rursus obruditur, quasi doctrina ab ipso filio Dei, sole iustitiæ tradita, & quidem addita diffricta inhibitione, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare aut docere. Infelicem ergo Ecclesiam, cui per Tridentinum Concilium non licebit credere, prædicare vel docere illam beatitudinem hominis, testimonio Mosis, Dauidis, & omnium Prophetarum confirmatam: cui Deus imputat iustitiã sine operibus, iuxta dictum: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Roman. 4. Sed dicat quis: Si propositum Patrum concilij hoc fuit, vt tantum repeterent condemnationes doctrinæ nostrarum Ecclesiarum, & significarent, se nullam ex verbo Dei reformationè doctrinæ suæ, qualis ea cunque est, admittere aut velle aut posse, potuissent rem breuibus expedire, nec opus fuisset

per tot menses continuatis deliberationibus. Et alij quidem suspicantur, hoc pro forma (quod dicitur) factum esse, vt species aliqua prætendi posset non ex præconceptis opinionibus, sed habita diuturna, graui & matura deliberatione, ex scripturæ fundamentis condita esse illa de iustificatione decreta. Ego verò ex ipsis decretis, præcipuè verò ex Andradio meo colligo, causas tam sollicitæ & diuturnæ deliberationis per tot menses, duas præcipuè fuisse. Primò, Quia testimoniorum scripturæ (quæ tradunt nos non propter nostras qualitates & virtutes, sed gratuita imputatione iustitiæ, obedientiæ & meriti Christi, coram iudicio Dei iustificari, hoc est à peccatis absolui, & acceptari ad vitam æternam) lux tanta est, quæ paruulos illuminat, pios confirmat, & aduersariorum etiam oculos vel inuitos, sua claritate perstringit: quærenda fuerunt artificia, quibus lux illa, obiecta aliqua nebula & caligine, posset obscurari, ne tanta claritate in oculos hominum incurreret. Et quia specie aliqua illud fieri debebat, non vnus itaque mensis deliberatione negocium hoc confici potuit. Secundo, Scholastici nimium crasse philosophantur, de homine faciente quod in se est, de merito congrui, de gratia gratum faciente, de merito condigni. Et de iustificatione sine Scriptura non aliter disputant, ac si in Aristotelis schola, de Physicis motibus philosopharentur. Quia verò sententiam illam Scholasticorum, Concilium retinere voluit (vidit autem homines lectione Scripturæ, vel inuito toto Antichristi regno, tantum iam profecisse, quòd à prophanis illis disputationibus & vocibus abhorrent, & ad Scripturam omnia reuocari volunt) magni gignitur laboris, & diuturnæ deliberationis res fuit, excogitare, quomodo Philosophica de iustificatione opinio, Scripturarum vocibus quibusdam ita posset circumuehri, ne à quouis statim agnosceretur, sed al. quo modo posset huius temporis lucem ferre.

Hæc principaliter acta fuisse, in illa tot mensium tractatione, & decreta ipsa, præcipuè verò Andradij explicationes luculenter test. ficantur, sicut ostendemus.

VERVS STATUS LOCI DE
Iustificatione.

Prius autem de Sophistica illa dicendum est, qua verum disputationis *apud prætor* altare occultant, & odiose sententiam nostram pergrauiant. Certum est, verumque esse beneficium filij Dei Mediatoris, & remissionem peccatorum, & renouationem, in qua spiritus sanctus in credentibus accendit nouas virtutes. Christus enim sua passione meruit nobis non tantum remissionem peccatorum, verum etiam hoc, quòd propter ipsius meritum datur nobis Spiritus sanctus, vt renouemur spiritu mentis nostræ. Hæc beneficia filij Dei, dicimus quidem esse coniuncta, ita vt quando reconciliamur, simul etiam detur Spiritus renouationis. Sed propterea non confundimus illa, sed distinguimus, ita vt cuique suum locum, ordinem, & suam proprietatem tribuamus, sicut ex Scriptura didicimus, vt scilicet reconciliatio seu remissio peccatorum præcedat, & postea sequatur inchoatio dilectionis seu nouæ obedientiæ. Præcipuè verò, vt fides statuat se habere placatum Deum, & remissionem peccatorum, non propter sequentem & inchoatam nouitatem, sed propter mediatorem filium Dei.

Remissio peccatorum.

Renouatio hominis.

Inde verò Pontificij texunt calumniam, quasi beneficia filij Dei dinellamus & mutilemus. Omnia enim decreta Tridentina, de iustificatione ita condita sunt, vt obliquè nos insimulent, quasi doceamus, credentes tantum habere remissionem peccatorum, non verò etiam renouari per Spiritum sanctum: item Christum meruisse nobis tantum reconciliationem, & non simul etiam renouationem: quasi renouationem, charitatem seu nouam obedientiam ita excludamus, vt nec adsit, nec sequatur in reconciliatis: quasi in renatis vnica tantum virtus fidei adesse debeat, reliquarum presentia aut consequentia simpliciter exclusa. Sed tantum impudentes & sycophanticae sunt calumnie, quibus strepitum excitant, ne homines imperiti animaduertant, quare de re controuertatur. Saepius enim à nostris repetitum est, planè & clarè nos docere, oportere in renatis existere notitiam articulorum fidei, contritionem, bonum propositum, ac inchoari dilectionem, & debere sequi bona opera. Expressè etià damnamus Simonis Magi blasphemiam, qui finxit, hominibus gratis fide saluatis liberum esse, vt agant quaecunque velint. Salutem enim contumeliosè desiniebat, esse liberationem ab illa seruitute, qua homines ad bonas actiones ex mandato Dei obligantur, nec permittuntur agere quae velint. Hi sunt acerbi, & verè Diabolici sarcasmi, quibus Apostolorum doctrinam de gratuita iustitia fidei, & de libertate Christiana, Satan ludificare voluit, & eam inuisam reddere bonis mentibus. Serio etiam abhorremus à Basilidis blasphemia, qui finxit ita nos sola gratia fide saluari, vt omnes qualescunque actiones, & quidem vniuersa libido indifferenter vsurpari possit.

Improbamus etiam Gnosticos, qui dixerunt se saluari ex sola cognitione, & propter fidei excellentiam ad eò spirituales fieri, vt non possint gratia excidere, quicquid etiam perpetrent. Improbamus & illud quod Augustinus haerese 54. dicit, Aetium & Eunomium vsq; ad eò fuisse bonis moribus inimicos, vt assenerarint, quòd nihil cuiquam obesset, quorumlibet perpetratio & perseuerantia peccatorum, si modò huius quae ab ipso docebatur, fidei particeps esset.

Hac repetere hoc loco volui, vt boni viri vbiunque sunt, intelligant, iniuste nostras Ecclesias hisce calumniis deformari, quasi alterum beneficium Filij Dei, renouationem scilicet spiritus abiiciamus: & doctrinam de poenitentia, de charitate, de noua obedientia & bonis operibus simpliciter excludamus à nostris Ecclesiis. Necessarium etiam fuit, hanc explicationem praemittere, vt verum huius controuersiae *χρηνόμενον*, quod insidiosè & magno studio à Tridentinis occultatur, planè & clarè constitui possit. Nequaquam enim hic est status: an credentes, postquam remissionem peccatorum fide propter Christum acceperunt, etiam renouentur spiritu mentis suae: nec quaestio est an renouatio etiam pertineat ad beneficia Christi: neque haec est controuersia, an oporteat existere in homine poenitentiam, contritionem, bonum propositum, ac inchoari dilectionem, & sequi bona opera: haec enim omnia planè & clarè confitemur, docemus, & sedulo virgemus in nostris Ecclesiis. Et haec cum ita se habeant, lector ipse secum reputet, quale sit artificium, in hac tam graui controuersia, sophisticis cauillationibus ludere, & statum controuersiae occultare.

Sed dicat quis: Si haec ita se habent, quid igitur est, de quo tam acriter, ad totius ferme orbis tu-

multum, de articulo iustificationis contenditis? Certè sicut vos renouationem non negatis, nec charitatè simpliciter abiicitis: ita Pontificij remissionem peccatorum non negant, sed consentunt. Et si de rebus ipsis consensus est, erunt igitur tantum *λογομαχίας*, hoc est, verbales contentiones, seu bellum grammaticale. Pontificij enim verbum iustificare, intelligunt iuxta morem Latinae compositionis, pro iustum facere, donato vel in falso habitu inhaerentis vnde prodeant opera iustitiae. Lutherani verò Hebraica phrasi verbum iustificare accipiunt: ideo iustificationem definiunt absolutionem à peccatis, seu remissionem peccatorum, imputationem iustitiae Christi, adoptionem & haereditatem vitae aeternae, idque tantum propter Christum, fide apprehensum. Et tamen simul docent sequi renouationem, inchoandam esse dilectionem, & bona opera. Non ergo de rebus ipsis, sed tantum de vocabulo iustificationis certamen erit, quod inde oritur, quia alius aliter verbum illud intelligit, & interpretatur. Et certè in Ecclesia non decet, quando res ipsae saluae sunt, de vocabulis mouere turbas. Paulus enim 1. Tim. 6. grauiter dicit, morbum Ecclesiae perniciosum esse, quando quis languet circa quaestiones & logomachias, ex quibus oriuntur inuidiae, contentiones, blasphemiae, concertationes hominum mente corruptorum, qui veritate priuati sunt.

Hanc obiectionem ideò recensui, vt eò commodius & planius explicari & monstrari possit, quod sit *χρηνόμενον*, seu quis sit verus status huius controuersiae, de articulo iustificationis.

Est autem nostra simplex haec, & aperta responsio: Nequaquam tales sumus turbatores, qui verae & solidae, & salutaris concordiae ita simus iniqui, & adeo cupidi contentionum, vt etiam si de rebus ipsis constituta esset vera, pia & salutaris consensus, quae situri tamen essemus materiam rixarum, ex verborum pugnis.

Patribus enim, licet plerumque verbum iustificare accipiant pro renouatione, qua efficiuntur in nobis per Spiritum opera iustitiae, non mouemus litem, vbi iuxta Scripturam rectè & commodè tradunt doctrinam, quomodo & quare persona Deo reconcilietur, accipiat remissionem peccatorum, & adoptionem, & acceptetur ad vitam aeternam: Saepè etiam à nostris monstratum est discrimen illud significationum, quomodo iuxta analogiam fidei, & perpetuam Scripturae sententiam rectè, pie & dextre intelligi & admitti possit illa etiam significatio, si cum Patribus accipiat, iuxta morem Latinae compositionis. Sed nihil placatiore facti sunt Pontificij. Non enim de vocabulis tantum, sed praecipue de rebus ipsis dissensio & certamen est, in articulo iustificationis.

Haec enim est principalis quaestio, hic status, hoc *χρηνόμενον*: quod scilicet id sit, propter quod Deus hominem peccatorem in gratiam recipiat, quid iudicio Dei opponi debeat & possit, ne iuxta rigidam legis sententiam damnemur, quid fides apprehendere & adferre, quo niti debeat, quando vult cum Deo agere, vt accipiat remissionem peccatorum, quid interueniat, propter quod Deus peccatori, qui commertus est iram & aeternam damnationem, reddatur placatus & propitius: quid conscientia statuere debeat illud esse, propter quod donetur nobis adoptio, in quo tuto collocari possit fiducia, vt acceptemur ad vitam aeternam, &c. An illud sit satisfactio, obedientia & meritum

Libertas bene operandi.

Iustificare.

Status huius controuersiae.

meritum filij Dei mediatoris: an verò inchoata in nobis nouitas, dilectio, & reliquæ virtutes in nobis. Hic est status ille controuersæ, qui tam studiosè & infidiosè in decretis Tridentinis occultatur, quem plurib. verbis ideo simplicius aliquanto explicare volui, vt videat Lector, non *λογωμαχίαν* esse, sed rem longè grauissimam, & conscientis vnice necessariam, quæ in hoc loco in controuersia posita est. Et quando ad hunc scopum omnes disputationes in hoc loco referuntur, tunc omnia sunt plantiora.

DE VOCABVLO IUSTIFICATIONIS.

Hæ verò quæstiones aded connexæ, imò quasi inuolutæ sunt verbo iustificandi, vt cuiusque rei tribuatur iustificatio fidei, siue quòd iustificet nos, statim sponte sequatur, illam rem esse, propter quã à Deo in gratiã recipiamur, & illam rem fidem debere iudicio Dei opponere, ne persona damnetur: propter illam rem Deum reddi nobis placatũ, donare adoptionem, & acceptare nos ad vitam æternam. Hoc vsq; aded certum & manifestum est, vt Tridentini etiam dicant: iustificationẽ esse translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius iræ, in statum gratiæ & adoptionis. Et descriptionẽ iustificationis impij insinuari in illa sententia Pauli Colossen. 1. Eripuit nos de potestate tenebrarum transtulitq; in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. Vider lector, ipsos ad veram significationẽ verbi iustificare, non obscure alludere: sed mox postea, vbi ad rem ipsam ventum est, vt explicetur, quid sit iustificatio peccatoris, ibi iustificare ipsis aliud nihil significat, quam homini per Spiritum renouationis infundi habitum, vel qualitatem iustitiæ inhærentem. Et nouitatem quidem in credentibus per Spiritum sanctum inchoari, nos etiã docemus: sed dicimus illa nouitate nos non iustificari coram Deo: hoc est, nouitatem nostram non esse illud, propter quod recipiamur in gratiam, & accipiamus remissionem peccatorum, nec esse illud, quo fides niti debeat, quando agit cum Deo, vt adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam. Ex valde multiplicibus igitur fraudibus confuta sunt Tridentina Decreta de iustificatione, sicut hactenus ostendimus.

Manifestum est autem ex iis quæ iam diximus, veram Scripturæ sententiam de iustificatione non posse commodius explicari, intelligi & conseruari, nec contrarias corruptelas rectius & illustrius posse refutari, quàm ex propria & genuina significatione verbi iustificare. Neq; ignorant hoc Pontificij: sicubi enim mentionem faciunt Hebraicæ proprietatis, valdè leui brachio hoc attingunt. Ipsorum enim instituto accommodatius est, si abutantur similitudine analogiæ Latinæ compositionis: vt sicut sanctificare dicitur, ita etiam iustificare intelligatur. Ita enim adhærentes qualitates statim dilabi possunt, vt in illis iustificatio nostra constituatur.

Pauca igitur quædam annotabimus, quæ sit in hoc articulo propria & genuina significatio verbi iustificare, idq; ita fiet, vt simul ostendatur, Scripturam iustificationem coram Deo, ad remissionem peccatorum & vitam æternam, adimere nostris virtutibus, nouitatibus & operibus, & transferre in satisfactionem, obedientiam & meritum filij Dei Mediatoris. Deinde ostendemus, Triden-

tinum Concilium damnare illam sententiam, quæ est ipsissima & perpetua omnium Prophetarum & Apostolorum doctrina, & in eius locum substituet planè alienam, & cum Scriptura pugnantem sententiam.

Simpliciter autem contendunt Pontificij verbum iustificare, propriè significare talem motum seu mutationem ab iniustitia ad iustitiam, sicut quando in physicis motibus vna qualitas expellitur, & alia introducitur. Talem enim volunt esse rationẽ compositionis, qualis est in verbo sanctificare, viuificare, calefacere, frigefacere, &c. Et Patres quidem verbum iustificare, in hac significatione sæpè vsurpare non ignoro, sed de proprietate linguarũ quæstio est. In Latina igitur lingua, apud probatos authores, non scio extare exemplũ, quòd iustificare significet, vel imbueri aliquo habitu iustitiæ, vel infundere qualitatem iustitiæ. Proposui hoc antea Iesuitis, vt quia analogia Latinæ compositionis nituntur, exemplum aliquod ex illis autoribus, ex quibus vsus Latinæ linguæ probatur, proferrent. Sed aduocatus ipforum Andradius cum auxiliè omnia conquisserit, nihil tale pferre potest.

In Græca communi lingua, *δικαιῶν* duas habet significationes. Primò significat iustum aliquid censere seu pronunciare. Ita Plutarchus in Agestilao: Denunciato bello coegit omnes stare illis *οἷς ὁ πέρονς ἐδικαίωσε*. Et in Bruto: Cùm Mimi captiui, qui cædi Cassij insultarant, in iudicio accusati essent: Messala Coruinus *ἐδικαίω* virgis cælos rudos, esse mittendos ad castra hostium: Commentator Sophoclis in Oedipo Colonæo, *δικαίω* dicit vsurpari *ἀντὶ τὸ δικαίω κρίνειν*. Suidas exponit *δικαίω νομίζειν*. Et citat Lyliam, qui *δικαιώσεις* vocat *τὰς δικαιολογίας*. Secunda significatio valde vsitata est, τὸ *δικαίω*, *ἀντὶ τὸ κολάζειν*, supplicio afficere, non priuata pœna, sed præcipuè cùm causa iudicata, iudicialiter (vt ita dicam) aliquis punitur: Ideo Suidas *δικαίωμενον* exponit, *περὶ δίκης τυγχάνοντα*. Et Thucydidem citat, vsurpantem *δικαιώσεις ἀντὶ τῶν κολάσεων*. Sed huius significationis vbique obuia sunt apud Græcos authores exempla.

Apud authores igitur Græcæ Linguæ, verbum iustificari non vsurpatur in illa significatione, de qua sola Pontificij dimicant. Restat ergo vsus huius verbi in lingua sacra. Et forensis (sicut vulgò loquimur) eius significatio vsque adeo manifesta est, quòd Andradius eam negare non audet. Auxiliè autem conquirat exempla, probaturus, quòd in multis Scripturæ locis, verbum iustificare significet non absolueri à peccatis, sed mentem qualitate iustitiæ inhærentis exornare. Et hoc ariete arbitratur se expugnaturum totam doctrinam de imputatiua iustitia. Videndum igitur est, quibus exemplis, quàm certò & firmiter hoc probet. In prima acie collocat Testimonium ex Syracide cap. 1. Religio, seu pieras iustificat cor. Et in vulgata sanè versione ita legitur. Sed Syracides in iua lingua ibi hoc non habet. Animaduertit autem Lector illud, de quo antea diximus, quare Tridentina Synodus decreuerit vulgatam editionem, per omnia habendam esse pro authentica. Quòd enim Syracides non scripsit, sed aliunde in contextum irrepfit, illud Andradius pro authentico citat, ad euertendam iustitiam fidei. Præterit autem, quod Syracides ipse in primo illo capit. scripsit: *θυμὸς ἀδικῶς*, iracundia iniusta non poterit iustificari, hoc est à culpa absolui.

Mirum verò est, quòd non etiam adduxerit id, quod in vulgata versione Psalmi 72. legimus: *Fecisti ergo iustificavi cor meum.* In Hebræo enim planè aliud verbum est.

Plus verò coloris habet, quod ex 18. capit. citat: *Non verearis usque ad mortem iustificari.* Quod Tridentinum Concilium ita interpretatur, sanctificationem & renouationem debere crescere, & augeri usque ad mortem: Quæ sententia in doctrina renouationis quidem vera est: sed consideret lector, an Syracides in illo loco, vocabulo iustificationis hoc intelligi velit. Illud enim est de quo disputamus: Ostendit autem contextus, hoc agi, conuersionem, vt inueniamus propitiationem, non differendam esse usque ad languorem seu morbum, sed orandum esse *ἐνκαίριος*, hæc enim sunt verba textus. Illam verò sententiam mox aliis verbis repetit: *μὴ μένεις.* Hoc est, Iustificari non differas usque ad mortem. Quod antea dixerat, inuenire propitiationem, iam vocat iustificari, & illud docet, non esse differendum usque ad mortem. Iudicet etiam Lector, an ex illo loco sententia Pontificiorum de iustificatione stabiliri, & nostra euerti possit. Qualem verò putas esse fidem, quæ huiusmodi fundamentis, contra clarissima Scripturæ testimonia nititur? Nihil profectò aliud, quàm effugia sunt, ne veritati locum dare cogantur.

Fides Papist.

Ex Apocalypsi etiam, pro confirmatione suæ sententiæ citat: *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Sed facilis est responsio. Andradius enim dimicat pro illa sententia, quæ iustificationem & sanctificationem contendit idem esse, & hanc sententiam vult probare ex illo dicto Iohannis. Sed ibi Iohannes, sicut & Paulus 1. Cor. 6. discretè distinguit iustificationem & sanctificationem. Videt igitur Lector, quales sint Andradij probationes. Nec obstat, quòd iustificati iubentur adhuc iustificari: cum remissio peccatorum non sit mutila. Habitat enim peccatum in carne iustificatorum, quod sæpe captiuat ipsos, vt in multis offendant. Sicut igitur illi, quibus remissa sunt peccata, quotidie petunt: *Dimitte nobis debita nostra:* eodem etiam modo, qui iustus est, iustificetur adhuc: perpetuè enim in hac vita est illa Apostolica legatio. 2. Cor. 5. *Reconciliemini Deo.*

Hiscè igitur testimoniis Andradius significationem verbi iustificare, quam vt aduocatus Concilij Tridentini, contra nostrarum Ecclesiarum doctrinam defendendam suscepit, nequaquam probauit: sicut quiuis Lector iudicare potest. Quod enim Esaiæ sententiã, *In scientia sua iustificabit multos,* eò torquet, magna impudentia est. Ibi enim, mox additur explicatio, quomodo intelligenda sit illa iustificatio, quia, inquit, iniquitates eorū ipse portabit, sicut Luc. 1. Zacharias canit: *Ad dandam scientiam salutis, quæ est in remissione peccatorum.*

Firma igitur adhuc stant illa, quæ contra Iesuitas de propria & genuina significatione verbi iustificare in articulo iustificationis diximus: Repeto autem id, quod suprã dictum est, statum disputationis non esse: an renouatio pertineat ad beneficia Christi, an homo, quando reconciliatur cum Deo, simul etiam per Spiritum sanctum renouetur, an noua obedientia sequi debeat. Hæc enim planè & perspicuè docemus. Sed hæc est quæstio: Quomodo & quare iustificemur, vt à Deo in gratiam recipiamur, & acceptemur ad vitam æternam. Hęc toties sunt repetenda, ne hanc disputationem de si-

gnificatione verbi iustificare calumnientur, quasi ipsam renouationem suo loco & ordine negemus.

Et vt maximè ostenderetur (quod tamen certò & euidenter non facile probabitur) verbum iustificare in quibusdam Scripturæ locis habere illam, de qua Pontificij dimicant, significationem: de summa tamen rei, de qua agimus, nondum conclamatum esset.

Non enim propriè est quæstio, quid verbum iustificare in aliis Scripturæ locis significet, sed hoc quaritur, quam significationem verbum iustificare habeat in illis Scripturæ locis, in quibus doctrina iustificationis, tanquam in sua sede traditur & tractatur. Reliqua verò exempla, tantum declarationis gratia adhibentur.

Manifestissima autem est antithesis, Rom. 8. quæ propriam & genuinam significationem verbi iustificare, in hoc articulo ostendit, quæ scilicet cum forensic significatione omnino conuenit, quòd corã iudicio Dei, propter Christum absoluiamur à reatu peccati & damnationis, pronunciemur iusti & acceptemur ad vitam æternam. Ita enim habent verba: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? &c.* Ita Rom. 5. *Iustificatio & condemnatio aliquoties opponuntur, Et Ro. 3. totus vt ita dicam, processus vocabulis iudicialibus describitur.* Lex accusat omnes esse sub peccato. Omne os obstruitur, & totus mundus reus, *inòdμω* sistitur Deo: quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Iustificamur autè gratis, ipsius gratia, per redemptionem, &c. 1. Cor. 4. *Nolo iudicari ab humana die, sed qui me iudicat, Dominus est.* Ideò licet nihil mihi conscius sim, tamen in hoc non sum iustificatus. Ita. 1. Ioan. 2. fit mētio aduocati, sicut Rom. 8. intercessoris, Ps. 143. *Ne intres in iudicium, quoniam in conspectu tuo non iustificabitur omnis viuēs.* Lu. 18. *Publicanus quasi corã Dei tribunali stans, orat: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Hanc Publicani orationem cum Christus vellet significare exauditam esse inquit: *Descendit iustificatus: hoc est, Deus propitiatus fuit peccatis ipsius, Act. 13. Per Christum vobis remissio annunciat peccatorū, & ab omnibus (peccatis) à quibus non potuistis in lege iustificari, in hoc omnis qui credit iustificatur.* Hæc testimonia nulla sophistica possunt eludi, vt ad infusionem in hærentis iustitiæ referantur, sed manifestè ostendunt, iudicalem esse significationem verbi iustificare in hoc articulo, quòd scilicet peccator, lege Dei accusatus, conuictus, & sententiæ æternæ damnationis subiectus, si de cõfugiens ad thronum gratiæ, propter Christum absoluiatur, iustus reputetur & pronuncietur, in gratiã recipiatur, & ad vitam æternam acceptetur. Et Ioannes licet non vsurpet verbū iustificare, tamen doctrinam ipsam verbis iudicialibus describit: *Qui credit, non iustificatur, non venit in iudicium, Misit filium in mundum, non vt iudicet mundum, Et 1. Ioan. 3. Translati sumus à morte ad vitam, Act. 3. Petrus dicit peccata deleri. Illud verò Paulus explicat, cum inquit Col. 2. *chirographum quod contra nos erat, deletum esse.**

Et dignum est consideratione, quàm sollicitè Apostoli caverint, ne Hebraismus verbi iustificare, in aliis linguis minus notus, doctrinam vel turbaret, vel obscuraret. Aliis enim clarioribus, & quidem variis vocabulis illud explicarunt. Ne enim intelligatur de infusione qualitarum iustitiæ, Roman. 4. exponitur, per imputare iustitiam

iustitiam sine operibus, vel fidem imputare ad iustitiam. Exponitur etiam ibi per vocabulum beatitudinis, & per illud Psalmi, tegere iniquitates, & non imputare peccatum. Rom. 5. exponitur per æquipollentiam verbi reconciliari, quod Augustinus etiam animaduertit. Act. 13. æquipollet remissioni peccatorum. Matth. 1. Saluum faciat populum à peccatis. Illud Act. 13. per verbum iustificare exponitur, ita quod Galat. 2. Paulus dicit: Nos in Christum credidimus, vt iustificemur: illud Act. 15. Petrus ita effert, Per gratiam Christi credimus nos saluari, sicut & illi. Et quod Ephes. 2. dicitur: Gratia saluati estis, illud Rom. 3. est gratia iustificari. Iohannes vocat, Non iudicari, non venire in iudicium. Roma. 5. constitui iustum, est periphrasis verbi iustificare, Nam *καθίσταται τις κείνῳ* Græcis est verbum iudiciale. Ista iudicialia etiam sunt, soluere & ligare peccata. Græci interpretes, Iob. 13. & 32. reddiderunt *δικαιῶ ἀναφανόμενα*. capit. 27. 40. *δικαίον ἀποφῆσαι*. Sicut cap. 23. *ἔθεντο αὐτῶν ἀρετῆς*, quod cap. 9. dixerant *ἀρετῆς*, pro condemnare, impium pronunciare.

Et Patres quidem, licet plerumq; sequantur analogiam Latinæ compositionis, in verbo iustificare, sæpe tamen euidencia Paulinæ disputationis, coguntur agnoscere propriam & genuinam hanc significationem, quam monstrauius. Ita Augustinus, quia videt Rom. 5. iustificari, exponi per reconciliari, agnoscit & probat nostram interpretationem. Et in Psalm. 31. Si iustificatur impius, ex impio fit iustus. Sed quomodo? Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum, &c. Contra Iulianum lib. 2. citat sententia Ambrosij: Eum iustificari à peccato, cui per Baptismum peccata remittuntur omnia. Hilarius in 9. cap. Matthæi, Mouet scribas, ab homine remissum peccatum, quod lex laxare non poterat: fides enim sola iustificat. Cyrillus in 6. cap. Iohannis, Gratia iustificat, mandata verò legis condemnant magis. Oecumenius recitans veterum explicationes in 3. cap. ad Rom. dicit: Iustitia Dei est iustificatio ex Deo, absolutio ac liberatio à peccatis, à quibus lex ipsa absoluere non potuit. Item: Quomodo fit iustificatio? per remissionem peccatorum, quam in Christo Iesu cõsequimur. Sed non quærimus nunc principaliter, quomodo patres vsurpent verbum iustificandi, sed nostra quæstio est, in qua significatione Spiritus sanctus vtatur verbo iustificandi, in illis Scripturæ locis, in quibus tractat & tradit doctrinam iustificationis, sicut illud manifestissime iam môstrauius.

Et hæc significatio congruit ad reliqua Scripturæ loca, vbi verbum iustificare vsurpatur de actionibus iudicialibus, & opponitur verbo condemnate. Genes. 44. Quid respondebimus, quid loquemur, quo iustificabimur? 2. Reg. 15. dicit Absolon: Qui habet iudicium, veniat vt iustificem eum.

Esaï. 41. Iudicemur simul, dent testes suos, narra si quid habes, vt iustificeris. Psal. 51. Vt iustificeris, & vincas cum iudicaris. Deut. 25. Iustificate iustū, condemnate impium. 3. Reg. 8. Condemnes impium, dando viam eius in caput suum, & iustifices iustum, dando illi secundum iustitiam eius. Prou. 17. Qui iustificat impium, & condemnat iustum, abominatio est. Esa. 5. Væ qui iustificatis impium, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Matt. 12. ex verbis tuis iustificaberis vel condemnaberis. Hæc exempla & congruunt ad illam significationem, quæ ppria est loci iustificationis, & doctrinam ipsam illustant.

Diligenter autem considerandum est, quare Spiritus sanctus doctrinam iustificationis, verbo iudiciali proponere voluerit. Homines enim prophani, securi & Epicuræi, existimant leue & perfunctorium quid esse iustificationem peccatoris, ideo de peccato non admodum sunt solliciti, reconciliationem cum Deo non serid expetunt, nec diligentia aliqua retinere student. Proprietas verò verbi iustificare, ostendit quàm grauis & seria actio coram iudicio Dei sit iustificatio peccatoris. Mens item humana, pharisaica persuasionem inflata, quando priuatis suis cogitationibus, de iustitia indulget, facile potest concipere persuasionem & fiduciam iustitiæ propriæ quantumcunq; Sed quando sub imagine examinis & tribunalis iudicij diuini, per processum (vt sic dicam) iudicalem, doctrina iustificationis proponitur: concidunt, cuanescent, & prosternuntur Pharisaicæ illæ persuasiones. Ita genuina proprietas verbi iustificare, puritatē doctrinæ iustificationis, & à Pharisaico fermento, & ab Epicuræis opinionibus conseruat & defendit. Et tota doctrina iustificationis non potest simplicius, rectius & commodius intelligi, & ad serium vsu in exercitiis penitentia & fidei accommodari, quam ex vera obseruatione iudicialis significationis verbi iustificare, sicut multorum Patrum exempla ostendunt, qui de operibus & meritis magnificè sæpe concionantur: in meditationibus verò, quando hanc imaginem iudicij diuini, & processum illum iudicalem, sicut diximus sibi proponunt, tunc dulcissimis sententiis doctrinam huius articuli explicant. Et in hoc genere Bernhardus præ cæteris felicior est, quia non in ociofis speculationibus, sed in seriis exercitiis, proposita imagine iudicij diuini, & sistens se quasi ad tribunal Dei, doctrinam & testimonia Pauli de iustificatione expendit.

Suprà etiam ostendimus, quantum referat, genuinam significationem vocabuli iustificare, in hoc articulo retinere in Ecclesia: rem ipsam enim ita in se comprehendit, vt quicquid sit cui tribuatur, quod nos iustificet, statim consequatur, quod propter illud recipiamur à Deo in gratiam, & acceptemur ad vitam æternam.

Monstrata autem ex manifestis Scripturæ testimoniis, verè propria & genuina significatione verbi iustificare, ipsa doctrina iustificationis plana & manifesta erit, si modò eam ex diuinis oraculis, & non ex Philosophicis rationis cogitationibus petere & diiudicare nobis concedatur.

Imitabimur autem methodum Scripturæ, quæ de iustificatione & negatiuè & affirmatiuè loquitur, hoc est, considerandum est, quibus rebus adiurat, & cui tribuat iustificationem peccatoris coram Deo, ad vitam æternam.

QVIBVS REBVS ADIMAT SCRIPTVRA IUSTIFICATIONEM HOMINIS AD VITAM ÆTERNAM.

Et peccatis quidem neminem coram Deo iustificari, hoc est, propter scelera neminem Deo gratum esse, & acceptari ad vitam æternam, extra cõtrouersiam est. Pugnat enim cum perpetua & immutabili voluntate Dei, quæ in lege patefacta est, & ipse Deus pronunciat esse abominationem, hoc modo iustificare impiū, Prou. 17. Esa. 5. & Exo. 23. Infontem non occidas, quia non iustifico impium.

De qualitatibus igitur, habitibus, & actionibus, & operibus humanis, quibus appellatio iustitiæ tribui-

tribuitur, quæstio est, an in illis consistat iustificatio nostri coram Deo ad vitam æternam. Et ratio quidem, quia aliam iustitiam ignorat, plane ita statuit. Sed nos audiamus vocem Dei nostri pronunciantis in Scriptura iudicium suum de hac quæstione. Et obseruetur, quomodo Scriptura totum hoc negotium vocabulis iudicialibus describat.

Alia est autem politica iustitia, qua coram hominibus, vel inter homines iusti sumus, & acquirimus præmia politica, quando scilicet actiones nostræ respondent legibus, quibus constat iustitia inter homines. Sed de illa hoc loco non disputatur, nisi quod Scriptura ridet illos, qui (vt Pharisæi) in iustificatione coram Deo, homines deligunt iudices, apud quos aucupantur famam & laudem iustitiæ, Matth. 6. Luc. 16. Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus. Sed hoc modo per ambitionem gloria huius seculi, non autem gloria apud Deum acquiritur: sicut Christus inquit, Matthæi 6. Receperunt mercedem suam. Et Lucæ 16. Quod altum est coram hominibus, abominatio est apud Deum. Sed in negotio de gratia Dei, salute & vita æterna, oportet Deum ipsum esse iudicem: & apud ipsum agendum esse negotium, quando ita volumus iustificari, vt Deo placeamus, & ipsi accepti simus ad vitam æternam: ipsa etiam ratio intelligit, ideo enim propriam iustitiam adducit coram Deo. Et Romanorum decimo, Paulus vtitur verbo valde significanti. Quærent propriam iustitiam *σὴν αὐτῶν*, hoc est, stabilire, erigere, & opponere coram iudicio Dei, sicut Luc. 18. Pharisæus variis modis iustitiam suam contendit coram Deo probare, fidens illis suis operibus, & quærens illi iustificari, hoc est, apud Deum haberi illo loco, ita tractari & remunerari, sicut Deus illis promisit, quos iustos agnoscit, pronunciat & acceptat. Ita omnino seruetur forensis significatio verbi iustificari, iuxta exemplum, Esaiæ quadragesimo tertio. Narra si quid habes, da testes, vt iustificeris. Gen. 44. Quid respondebimus, quid loquemur, quo nos iustificabimus? Et 3. Reg. 8. Iustifices iustum, dando illi secundum iustitiam eius.

Hoc ergo modo afferens propriam iustitiam agit coram Deo, iustificetur. Sed audiamus, quam sententiam Deus iustus Iudex pronunciet. Et vt res planior sit, paucis retexemus distributionem illam, quæ apud Paulum extat.

I. De variis cultibus, quos gentes cōtra verbum Dei, ex cæco rationis iudicio instituerunt, hoc fine, vt Deum propiciū & placatum haberent, quia pugnant cum verbo Dei, Scriptura pronunciat, quod sint abominatio coram Deo, Deute. 12. & 17. Ita Paulus, Rom. 1. pronunciat Gentes huiusmodi cultibus, magis iram Dei prouocasse, Et Ephes. 2. Eratis sine Deo in hoc mundo, promissionis spem non habentes.

II. De operibus electitiis, quæ homines propria intentione qualicunq; sine verbo & mandato Dei suscipiunt ad hunc finem vt iustificentur, hoc est, Dei gratiam & salutem æternam acquirant, Deus pronunciat, Esaiæ 29. Matth. 15. Frustra colunt me mandatis & doctrinis hominum. Et Esaiæ primo. Quis requisivit hæc de manibus vestris?

III. De externa disciplina rationis, iuxta legem naturæ in non renatis, Paulus disputat ad Rom. & cap. 3. pronunciat, gentes per disciplinam rationis non iustificari coram Deo, sed esse sub peccato: sunt enim sine fide Christi, & sine Spiritu sancto, corda sunt impia & immunda, ipsa etiam lex naturæ per

peccatum obscurata est, ita vt vix particulam aliquam legis, de quibusdam secundæ tabulæ officiis teneant, & illi ipsi notitiæ legis naturalis, quæ adhuc reliqua est, disciplina Ethnicorum non omnino ex parte est conformis. Et in summa: Mala arbor nō potest bonos fructus facere. Et sine fide impossibile est placere Deo, imo quicquid non est ex fide, peccatum est. Gentes igitur per disciplinam rationis non potuerunt coram Deo iustificari.

III. De pharisaica iustitia, quæstio aliquantō propius ad nostrum propositum accedit, quando scilicet illi, qui legem Dei scriptam habent, conantur & student sine fide Christi, & sine Spiritu sancto, naturalibus liberi arbitrii viribus, opera legis facere, hoc fine, vt Deo placeant, gratiam eius consequantur & acceptentur ad vitam æternam, hoc est, vt iustificentur, ubi enim magis speciosum mens humana habet pretextum, propriam iustitiam coram iudicio Dei statuendi. Deus enim ipse legem promulgauit, & factoribus promisit benedictionem & vitam, non tantum vt politicum præmium, sed sicut Lucæ 10. scribæ interroganti: Quid faciendo vitam æternam hereditabo, Christus propositis mandatis legis, respondet: Hoc fac, & viues.

¶ Quando igitur homo non renatus conatū, studium, imo zelum, quantum in se est, erga mandata Dei, ad iudicium ipsius adfert, confidens & petens propterea iustificari, quam quæso sententiam Deus iustus Iudex pronunciat? Christus certe pronunciat, Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plus, quam scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et Paulus inquit, Rom. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, Galat. 3. Quicumque ex operibus legis sunt, sub mal. dicto sunt. Num igitur lex non habet promissiones vitæ æternæ? Certe Christus manifeste hoc affirmat, Lucæ 10. Matth. 9. Num vero Deus fallit & iudicat homines promissionibus legalibus? Absit. Est enim Deus qui mentiri nescit. Tit. 1. Et manet quod Paulus dicit, Roman. 3. Deus est verax, omnis autem homo mendax. Cur igitur homo non renatus ex operibus legis non iustificatur? Respondet Paulus, quia per legem agnitio peccati, hoc est, lex causatur tali obedientia, quam non renati naturalibus viribus præstare possunt, sibi nequaquam satisfieri, sed tales factores accusat peccati coram iudicio Dei, quod cum quædam legis opera faciant, illa tamen & imperfecte & corrupte faciant, & præterea in plurimis, & in grauioribus sint præuaricatores legis, lex autem habet quidem promissionem vitæ, sed sub conditione, non qualiscunque impletionis, sed perfectæ & integræ, ex toto corde, tota anima, ita vt caro nihil contra concupiscat. Et de huiusmodi factoribus Paulus inquit, Roman. 2. Non auditores, sed factores legis iustificabuntur coram Deo. Item: Qui fecerit hæc, viuet in eis. Quando vero quis aliqua legis opera facit, & quomodocunq; facit, in cæteris præuaricator legis existens, illum lex non pronunciat iustum coram Deo ad vitam æternam, sed pronunciat reum & maledictū. Quia qui non in omnibus, quæ in libro legis scripta sunt, permanferit, maledictus esto. Et quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, reus factus est omnium. Quod si non mœcheris occidas autem, factus es transgressor legis. Quia igitur Lex est spiritualis, & non renati sine Spiritu sancto toti sunt carnales, vetustate ergo literæ legi nō satisfiunt. Ex operibus igitur legis nō renati, nō iustifi-

ificantur, sed sunt rei, & sunt sub maledicto, Ro. 3. Galat. 3. quæ etiam faciendo non faciunt legem, eo modo & tali perfectione, sicut Lex flagitat. Et de his quidem capitibus, non est potissimum controversia inter nos & Pontificios in articulo iustificationis. Nam in primo Canone dicit Tridentinum Concilium: Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanam naturam vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque diuina per Christum gratia posse iustificari, anathema sit. Breuiter autem illam Paulinam distributionem repetere volui ideo, quia negotium siue actus veræ iustificationis, ex illa antithesi rectius intelligitur: & ut obseruetur, quomodo Paulus per sufficientem enumerationem ostendat, plane nihil esse in homine, siue Ethnico, siue Iudæo, siue renato, siue non renato, quo possit coram Deo iustificari: ut ita gloria iustificationis in solidum tribuatur soli Christo mediatori, per fidem appreheso. Volui etiam Andræ ostendere, quam flagitiosum, & non tolerandum in Ecclesia Dei sit illud dogma, quo asserit, philosophos ethica sua iustitia coram Deo ad vitam æternam iustificatos fuisse. Illud enim ex professo pugnat, cum ipsis fundamentis Scripturæ.

*Philosophorum
ethicorum
iustificatio.*

Ex illa igitur distributione siue enumeratione, facilius iam ad ipsam disputationis statum peruenimus. De renatorum enim bonis operibus, siue noua obedientia, potissima nunc est inter Pontificios & nos controversia, an scilicet renati, illa nouitate, quam Spiritus sanctus in ipsis operatur, & bonis operibus, quæ ex illa renouatione scaturiunt, iustificentur, hoc est, An nouitas, virtutes, seu bona opera renatorum sint res illa, qua in iudicio Dei consistere possint, ne damnentur, propter quam Deum habeant placatum, & propitium, in quam respicere, qua niti, cui fidere debeant, quando agitur de ardua illa questione, ut simus Filij Dei, & acceptemur ad vitam æternam. Et sane, si humana consulenda essent iudicia, nouitati renatorum omnium calculis tribueretur gloria iustitiæ coram Deo, ad vitam æternam. Non enim est opus seu effectio humanarum virium, sed est donum & operatio Spiritus sancti, vnde bona opera vocantur fructus Spiritus, Ephes. 5. Et est beneficium Dei Mediatoris propter cuius meritum credentes renouantur Spiritu mentis suæ, ut per Spiritum sanctum inchoent in ipsis conformitas cum lege Dei, secundum interiorem hominem, Rom. 7. Et illa nouitas vocatur iustitia, Rom. 6. 1. Ioan. 3. De renatorum etiam bonis operibus dicit Scriptura, 1. Tim. 5. Hoc acceptum est coram Deo, 1. Ioan. 3. Ea quæ placita sunt coram ipso, facimus. Hæc profecto valde magna & præclara sunt, quæ Scriptura tribuit nouæ renatorum obedientiæ. Et nos sane nouæ obedientiæ suam laudem suo loco non detrahimus, sicut postea dicemus de bonis operibus. Sed iam versamur in questione de iustificatione hominis coram Deo ad vitam æternam, de qua questione Paulus dicit, 1. Cor. 4. Mihi pro minimo est, ut ab humano die iudicer: sed neque me ipsum iudico, sed qui me iudicat, Dominus est. Eius igitur ut iudicis sententia inquirenda est: in Scriptura enim illam nobis patefecit.

*Nova obedientia
autem laus.*

Et Pontificii quidem contendunt, exclusiuam Pauli, quando dicit (Sine operibus legis) intelligendam esse tantum, vel de operibus ceremonialibus, vel de operibus non renatorum. Sed clarissima sunt in Scriptura testimonia, laudem & gloriam iustificationis coram Deo ad vitam æternam adimi

& detrahi, non tantum ceremoniis Mosaicis, & operibus non renatorum, verum etiam renatorum nouitati, nouæ obedientiæ seu bonis operibus.

Maxime autem illustre est testimonium, quod extat, Roman. 4. vbi Paulus propositurus exemplar iustificationis vniuersale in Abrahamo, quem ideo vocat patrem fidei, & in circumcissione & in præputio, sumit Abrahamum, non in prima conuersione: cum primum ex Chaldaica idololatria vocaretur, Gen. 11. Iosue 24. Ita enim exclusiuam (Sine operibus) posset restringi ad illa opera, quæ ante conuersionem non renatus in idololatria fecisset. Sed cum à prima vocatione Deo fide obediisset per aliquot annos, à cap. 11. Gen. ad 15. caput, tunc certe fuit renouatus spiritu mentis suæ, & ornatus multis præstantissimis operibus & fructibus Spiritus. Heb. 11. In illo quasi medio curriculo bonorum operum Abrahamæ, ponunt Moses in veteri, & Paulus in nouo Testamento, questionem: Quæ tunc fuerit iustificatio Abrahamæ coram Deo, ad hæreditatem vitæ æternæ? Et ad illum Abrahamum iam renatum, spirituali nouitate & multis bonis operibus ornatum, Paulus accommodat has sententias: Non operanti, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides eius imputatur ad iustitiam. Ad illum Abrahamum accommodat etiam hanc sententiam: Dauid dicit beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. Certe autem illo tempore Abrahamum iam renatum non fuisse sine bonis operibus, sed multa vere bona per fidem operatum fuisse, testatur Epistola ad Hebræos, capite vndecimo. Et tamen Spiritus sanctus per Paulum Abrahamæ renouati operationi & operibus, manifeste adimit & detrahit laudem & gloriam iustificationis coram Deo, ad vitam æternam. Et in illo loco hoc facit, vbi Abrahamum proponit, non tanquam singularem personam, sed ut Patrem fidei & vniuersale exemplar veræ iustificationis, scriptum est enim, non tantum propter Abrahamum, sed & propter nos, quibus imputabitur, Ro. 4. Et addit: Si ex operibus Abraham iustificatus est, potest sane apud homines gloriam habere: sed non apud Deum. Hoc testimonium vsque adeo perspicuum, illustre & firmum est, quod etiam Andræus meus confitetur, inter ipsos Pontificios aliquos egregiæ eruditionis viros, in hac salebra hære, nec te posse explicare: & quidem ipse etiam nihil quod ad rem faciat, ad hoc testimonium respondere potest. Nec sane video, quid contra tam manifestam lucem vlla sophistica possit: nisi forsitan tale quid profertur, quod sicut Augustinus contra Petilianum inquit: Malam causam vel moras faciendo, paulisper sustentet. Magis igitur iam amo, & pluris facio hoc testimonium: quod video, ne specie quidem aliqua à Pontificiis eludi posse. Et hoc est Moysi & Patriarcharum testimonium, cui Paulus monstrat adiungendum esse Dauidis testimonium, loco & nomine omnium Prophetarum, sicut cap. 3. dicit, iustitiam fidei habere testimonium legis & Prophetarum. Dauid igitur, Psalm. 143. cum dixisset: Exaudi me in tua iustitia, mox addit: Ne intres in iudicium, &c. Nunquid autem timet Dauid, ne tyrannica crudelitate præter ius & æquum, in iudicio Dei secum agatur? Nihil minus. Iudicium enim Dei est, secundum veritatem, Romanorum secundo. Dicitur autem Deus intrare in iudicium, quando hominum naturam, vitam, actiones & opera, exigit & examinat ad normam iustitiæ suæ, quæ

*Abraham in
iustificatio.*

quæ in lege patefacta est, redditurus unicuique secundum iustitiam ipsius. Quare autem hoc iudicium Dei, David tantopere deprecatur? Forſan tunc hoc dixit, quando nulla habuit bona opera? vel cū lapsus in crimen adulterij & homicidij, Deum atrociter offenderat? Et tunc quidem demisse orauit: Misere mei Deus.

Sed hoc loco inquit: Ne intres in iudicium cum seruo tuo. Quid autem sit seruus Dei, ipse explicat Psalm. 18. Seruus tuus custodit mandata tua. Et 118. Seruus tuus dilexit mandatum tuum. Item, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas. Quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Tunc igitur cum esset seruus Dei, hoc est, vir iuxta cor Dei, Act. 13. non vult iuxta inhærentis nouitatis iustitiam iudicari, quia inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et Paulus Rom. 4. dicit, Dauidem pronuciare beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. Dauid igitur tunc cum esset seruus Dei, hoc est, per Spiritum sanctum renatus, sibi & operibus suis detrahit iustificationem, quæ coram Deo est, ad vitam æternam. Nec de sua tantum persona loquitur, sed inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et ne de non renatis illud tantum intelligatur. Psa. vigesimotertio, nominat omnem sanctum, cuius beatitudo sit, ut ipsi imputetur iustitia, sine operibus. Manifestissimum igitur est, quod omnium sanctorum operibus, in hac vita, adimatur & detrahatur locus & gloria iustificationis coram Deo ad vitam æternam. Et in hanc sententiam Patriarchæ, Moses & Prophetæ consentiunt, hoc est, totius veteris Testamenti testimonio comprobatur iustitia fidei sine operibus, etiam illorum, qui iam renati sunt. Alia quidem & plura testimonia ex libris Prophetis adduci possent, sed sequimur Paulum, qui hoc modo inquit, & ostendit testimonia & consensum Patriarcharum, Moses & Prophetarum, Roman. 4. Et ad nostrum institutum generalia capita probationum sufficiunt.

Veniamus igitur ad nouum Testamentum: nec singula testimonia recēsbimus, sed exemplo Pauli, Roman. 4. inquiremus consensum Christi, Apostolorum, & Ecclesiarum Apostolicarum.

Et Christus quidem, totam hanc doctrinam complectitur, quando inquit: Qui credit in me, non iudicatur, Ioh. 3. Item, Non veniet in iudicium, Ioa. 5. Quod vero est illud iudicium? Sine dubio, vbi iuxta normam diuinæ iustitiæ, quæ in lege patefacta est, hominum vita & opera examinantur, & prout deprehenduntur vel responderē huic normæ, vel non respondere, homo pronūciatur vel iustus, vel peccator & iniustus. Vide autem, cum nullum sit dubium, renouationem esse beneficium Filij Dei mediatoris, non tamen pronūciat, quod credentes sua illa nouitate in iudicio Dei possint consistere, ut propter illam iusti pronūciantur, & acceptentur ad vitam æternam, sed ad alterum suum beneficium hoc refert, ut qui credit, inquit, in me, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quomodo vero, & quare? Num ita, & ideo quod accepta nouitate, possint per illam, & propter illam in iudicio Dei consistere? Hoc certe non dicit, sed, qui credit, propter Christum, non venit in iudicium, & hoc modo non perit, sed habet vitam æternam. Iustificatio igitur credentium ad salutem & vitam æternam illa est, quod non iudicantur iuxta opera sua, sed quod propter

Christum absoluuntur à sententia damnationis, & acceptantur ad vitam æternam. Ita Apostolis sanctificatis & renouatis dicit: Cum omnia feceritis, dicite: Serui inutiles sumus. Nec tantum de operibus, quæ ante vocationem fecerant, vult ipsos ita dicere, nec tantum cum in principio valde infirmi adhuc erant: sed cum, inquit, ita per Spiritum sanctum profeceritis, ut omnia feceritis, tamen dicite: Serui inutiles sumus. De seruis vero inutilibus, quando Deus in iudicium cum ipsis intrat, ut iuxta opera sua iudicentur, pronūciatur illa sententia, quæ extat, Math. 15. Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium. In utroque enim loco, Math. 25. & Lucæ 17. idem vocabulum ponitur ἀχρεῖο δούλος.

Paulus Apostolus de operibus suis in Pharisaismo ante conuersionem factis, inquit Philip. 3. Si quis alius in carne videtur confidere, ego magis, qui secundum iustitiam quæ in lege est, conuersatus fui sine querela. Sed quæ mihi fuerat lucra, hæc arbitratus sum propter Christum derimenta. Sed de operibus suis post renouationem factis, cū plus cæteris laborasset, quid de illis, inquam, dicit, quod attinet ad articulum iustificationis? Lector inspiciat locum, Philip. 3. & inueniet Paulum non tantum uti præterito tempore ἡγνῆμαι, de operibus præcedentibus conuersionem, sed per particulam, ἀλλὰ μὲν ὅν, ulterius progredi, & uti etiam præsentit tempore, ἡγνῆμαι, ut ostendat, quod operibus suis, etiam post renouationem factis, non tribuat iustificationem coram Deo ad vitam æternam. Imo si fiducia iustitiæ coram Deo, ad vitam æternam illis operibus assuatur, pronūciat illa esse stercorea & derimenta. Et simul ostendit, quæ tunc temporis, cum epistolam illam ex vinculis scriberet, iustitia sua fuerit coram Deo, ad vitam æternam, imo quæ futura sit sua iustitia, quando occurſurus est ad resurrectionem mortuorum: Veruntamen, inquit, existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum fieri, & arbitror ut stercorea, ut Christum lucrifaciam, & ut inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & communionem passionum eius, cōfiguratus morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem mortuorum. Alius locus adhuc clarior est, 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.

Verba sunt valde significantia. Quod enim inquit: Nihil mihi conscius sum. Illud est, quod Act. 23. dicit: Ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum, vsque in hodiernum diem. Et Act. 24. Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper. Et hoc est iustitia bonæ conscientiæ, de qua inquit, 1. Corint. 15. Plus illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Gratia enim Dei sum id quod sum. Sed audi quid Paulus renatus de illa sua iustitia bonæ conscientiæ, quam gratiæ, seu dono & operationi Dei tribuit, pronūciat: Nihil, inquit, mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Iustificationem igitur coram Deo ad vitam æternam, Paulus discrete detrahit suis operibus, in quibus post renouationem, bonam conscientiam coram Deo & hominibus conuersatus fuit. Hoc Apostoli testimonium, manifestissimum est.

M z Ad-

Paulus de iustificatione.

Christi doctrina de iustificatione. Iudicium Dei.

Iustificatio ex lege.

Iustificatio credentium ad vitam æternam.

Paulus exemplum.

*Exemplū Ec-
clesia Aposto-
lica.*

Adiungamus testimonium de Ecclesiis Apostolicis ex Epistola ad Galatas. Ibi enim sumpta occasione ex disputatione de operibus legis ceremonialibus, tractat in genere quæstionem de tota lege, & operibus eius, id quod manifestissimum est ex tota illa epistola. Multis autem argumentis & vehementibus verbis adimit & detrahit operibus legis iustificationem coram Deo ad vitam æternam. Sed quæstio est, an tantum de operibus non renatorum, quæ ante fidem & conuersionem fiunt, loquatur? Soluitur autem illa quæstio ex ratione chronologica. Priusquam enim illam Epistolam Paulus scriberet, aliquot iam annis ante Galatæ fuerant conuersi. Theodoretus supputat sex annos: sed ad nostrum propositum nihil refert, quicquid sit de præcisa annorum supputatione. Erant igitur Galatæ renati, nam Spiritum sanctum ipsis suppeditatum fuisse, Paulus testatur, cap. 3.

De Galatarum igitur operibus, qui iam per Spiritum renati erant, Paulus disputat. Et ex collatione hoc intelligi poterit. Iudæi Roman. 10. de propria iustitia, excluso Christo disputabant: Galatæ vero non simpliciter abiecerant Christum, nec excludebant fidem in Christum, sed bona credentiū opera, fidei volebant adiungi in articulo iustificationis coram Deo ad vitam æternam. Et de operibus quidem ceremonialibus erat disputatione, non autem de solis illis, sed de tota lege & operibus eius, id quod manifestum est. Nec disputabant Galatæ de operibus suis, quæ non renati ante fidem seu conuersionem suam fecerant, an illa iustificarent, sed de iustificatione operum suorum, quæ post conuersionem & post acceptum Spiritum sanctum fecerant, disputatione erat.

Statu quæstionis ita, sicut est, posito, videat iam Lector in tota illa Epistola, quibus verbis & argumentis, Paulus operibus renatorum adimat & detrahat iustificationem coram Deo ad vitam æternam. Non enim simpliciter dicit hominem ex operibus legis non iustificari, sed rem vehementer exaggerat: dicit enim, eos hac opinione transferri ab Euangelio, & à gratia Dei. Non abiicio, inquit, gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, frustra ergo Christus mortuus est, euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, gratia excidistis, &c.

Plura possent adduci testimonia, sed breuitatis studio, generalia tantum capita notauimus. Vocem igitur cœlestem adimere & detrahere iustificationem coram Deo ad vitam æternam, ipsis etiam renatorum bonis operibus, primum ex veteri Testamento ostendimus, testimonio Patriarcharum, Moysi & Prophetæ: deinde ex nouo Testamento idem ostendimus, testimonio Christi, Apostolorum, & Ecclesiarum Apostolicarum. Et nihil sane ad *πληροφείαν* ulterius requiri vel potest vel debet. Non autem nuda tantum propositio in Scriptura obseruanda est, sed considerandæ præterea sunt rationes, quare etiam renatorum operibus detrahatur iustificatio. Ita enim tota res planior erit. Est autem vna ratio Pauli, quod iustificatio ex operibus pertinet ad legem factorum seu operum, Romanorum tertio, decimo, & Galat. tertio. Lex vero non pronunciat hominem coram Deo iustum ad vitam æternam, propter particulam aliquam, aut qualemcunque obedientiam & conformitatem: sed requirit, vt totus homo, secundum omnes sui partes, & secundum omnes singularum partium actiones, normæ iustitiæ in

*Quare iustifi-
catio detra-
hatur operi-
bus renato-
rum.*

Deo, quæ in lege patefacta est, respondeat, & quidem exactè respondeat, ea puritate, perfectione & integritate, sicut lex præscribit & flagitat. Et si totam legem quis seruauerit, offendat autem in vno, pronunciat reus esse omnium. Et Andradius quidem hoc testimonium veteratorie conatur eludere, interpretans (vnum illud) de charitate, vt sensus sit, si opera legis fiant sine charitate, non iustificare. Sed Iacobus disertâ interpretatione explicat, quid per vnum illud intelligi velit. Inquit enim: Si non mœcheris, occidas autem, factus es transgressor legis: qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit etiam: Non occides.

Quid igitur operibus vult iustificari, si non in omnibus quæ in libro legis scripta sunt, permanserit, vt faciat ea, illum lex non pronunciat iustum, sed reum & maledictum, Galat. tertio, Iacobi tertio. Iam vero renatorum obedientia in hac vita, est quidem inchoata conformitas cum lege Dei, sed quæ propter carnem adhuc imperfecta & immunda est, sicut Paulus renatus conqueritur, Romanorum 7. Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Volenti mihi facere bonum, adiacet malum.

Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Mente serui legi Dei, carne autem serui legi peccati. Tali veto obedientia, legi non satisfacit. Est enim lex spiritualis, hoc est, requirens spiritualem conformitatem seu obedientiam, cui nihil ex vitiosa & corrupta carne adhærescat. Ego vero, inquit Paulus renatus, carnalis sum, venditus sum sub peccatum, &c. Si igitur Deus cum renatis intret in iudicium, iudicaturus ipsos secundum opera ipsorum, non iustificabuntur in conspectu ipsius.

Vbi enim lex peccatum potest ostendere, ibi non iustificat, sed reum facit, maledicit, & condemnat, iuxta dictum: Qui non in omnibus permanserit, maledictus esto.

Vniuersalis autem est sententia I. Iohan. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et omnibus iustis in hac vita, præscripta est quotidiana illa precatio: Dimitte nobis debita nostra. Non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Delicta enim quis intelligit? Ideo Paulus dicit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Non enim ab humano iudice iudicor, nec me ipsum iudico: sed qui me iudicat, Dominus est, qui illuminat abscondita tenebrarum, & manifestat consilia cordium. Vtitur autem verbo *ἀναεί-
νεν*, quod forense est, quando vel quæstiones habentur de reis, vel causæ in iudicio disquiruntur, examinantur & discutiuntur, vt iustitia rite administretur. Ita enim vsurpatur, Lucæ vigesimotertio, Actorum 12. 24. & 28. Et quia talem disquisitionem opera Pauli etiam renati, in iudicio Dei sustinere non possunt: ideo Paulus pronunciat, se in illis non esse iustificatum. Hæc ratio manifesta & firma est quæ etiam Pighium mouit, vt licet alias *Pighium.*

Secunda ratio Pauli sumitur ex distinctione iustitiæ

iustitiæ legis, & iustitiæ fidei; Roman. 10. Gal. 3. Legis enim iustitia est: Qui fecerit ea quæ in lege scripta sunt: fidei vero iustitia est, credendo sibi applicare, quod Christus pro nobis fecit. Opera igitur quibus renati faciunt ea quæ in lege scripta sunt, siue ante siue post renouationem, pertinent ad iustitiam legis, licet alia atque alia ratione. Ante renouationem enim lex extorquet ex libero arbitrio qualem cunque disciplinam: in renouatione vero, Spiritus sanctus scribit legem in corda renatorum, Ierem. 31. vt delectentur lege Dei, Romanorum 7. & ex animo obediant, Roman. 6. Et hæc obedientia, est inchoatio illius iustitiæ, quam lex à nobis flagitat. Summa enim legis, est charitas. Hoc modo, & hac ratione dicitur iustitia legis. Omnes autem Pauli disputationes, huc redeunt: Homines in hac vita, iustitia legis non iustificari coram Deo, ad vitam æternam. Ergo nec renati, charitate sua, quæ est summa legis, iustificantur.

Et ita distinguuntur iustitia legis & iustitia fidei: quod Paulus diserte dicit, legem non esse ex fide. Fides enim non hoc respectu iustificat, quia præparat ad assequendam iustitiam, quæ consistat in faciendo, siue in operibus quæ lex præscribit & flagitat. Paulus enim dicit Galat. 2. Nos in Christum credidimus, non vt fide assequeremur iustitiam operum quibus iustificemur: sed vt iustificemur fide, non ex operibus. Cum enim legi, propterea quia per carnem infirmabatur, impossibile esset nos iustificare: Deus ex gratia fecit translationem nostræ iustificationis à lege, hoc est, à nostro facere, ad fidem accipientem id quod Christus pro nobis fecit. Et illa duo disiuncta sunt hæc antithesi: Qui fide in Christum iustificantur, lege non iustificantur: & qui faciendis iis quæ lex flagitat, iustificari volunt, illi non iustificantur fide in Christum. Ideo Paulus ad Galatas disputat, eos qui beneficio Dei transferentis iustificationem nostram à lege ad fidem in Christum, non volunt in solidum humili gratitudine vti, sed opera sua quæ secundum præscriptum legis faciunt assuere: eos, inquam, pronunciat euacuatos esse à Christo, & gratia excidisse. Vel enim lege sola, vel fide in Christum sola, oportet nos iustificari. Hæc ratio ostendit, quam magni momenti sit hæc disputatio.

Tertia ratio est: vt omnis nostra gloriatio excludatur: vt qui gloriatur, in Domino gloriatur, à quo factus est nobis Christus iustitia. 1. Cor. 1. Non autem excluditur gloriatio per legem factorum, Roman. 3. hoc est, quando quis vitam æternam hæredit, ideo quod ea quæ in lege scripta sunt, fecerit, Lucæ 10. Sed per legem fidei excluditur. Hoc est, quia Christus est perfectio legis, ad iustitiam omni credenti, Roman. 10. Gloria igitur & laus iustificationis nostræ coram Deo, ad vitam æternam, debetur obedientiæ & merito Christi: non tanquã causæ quæ efficiat, vt in nobis aliquid hæreat, quo facientes ea, quæ in lege factorum scripta sunt, iustificemur: sed quia obedientia Christi imputatur nobis ad iustitiam. Illa vero gloria non potest sine blasphemia Christo detrahi, & in nostram siue nouitatem siue obedientiam transferri. Et quia obedientia Christi, qua pro nobis legem impleuit, ad iustitiam omni credenti, non est manca, mutila & imperfecta: contumeliosum igitur est in meritum Christi assuere ipsi nostra opera, vt iustificemur: quasi Christi obedientia non sufficeret nobis ad iustificationem coram Deo, nisi adsumendo nostræ iusti-

tia perficeretur. Quarta ratio extat, Ro. 4. Vt promissio hereditatis vitæ æternæ, sit firma. Quando enim nititur conditione nostræ obedientiæ, quia illa propter carnem imperfecta & immunda est, promissio semper incerta est: ideo ex fide secundum gratiam, vt firma sit promissio. Si enim qui ex lege hæres sunt, exinanita est fides, & abolita promissio. Lex enim iram operatur, Rom. 4. ita vt sub maledicto sint, non tantum qui carent operibus legis: Galat. 3. quia non permanent in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciant ea.

Hæc copiosius aliquanto explicare volui: in hoc enim potissimum cardine vertitur controuersia inter nos & Pontificios, in articulo iustificationis: An scilicet renati, propter suam nouitatem & opera iustificentur coram Deo, ad vitam æternam. Repeto autem id, quod aliquoties iam dictum est. Agnoscimus renouationem esse ingens beneficium Filij Dei mediatoris, per Spiritum sanctum in nobis. Docemus, debere sequi post reconciliationem nouam obedientiam: & illi tribuimus suo loco, ea quæ Scriptura ipsi tribuit: sicut postea de bonis operibus dicemus. Sed hanc dignitatem & gloriam didicimus ex Scriptura non tribuendam esse nostre nouitati, & nostris operibus, vt sint iustificatio nostra coram Deo ad vitam æternam. Hæc enim dignitas & gloria, solius Filij Dei mediatoris obedientiæ seu iustitiæ, per fidem nobis imputatæ, debetur.

Hactenus igitur ostendimus, quomodo Scriptura nobis adimat & detrahat iustificationem coram Deo ad vitam æternam: ita vt instituta distributione seu enumeratione demonstret, nec in natura, nec in vita, nec in qualitibus, habitibus aut operibus hominum in hac vita, siue sint Iudæi, siue ethnici, siue renati, siue non renati, esse & hæere illud quo in iudicio Dei ita possint consistere, vt propter illud iustificentur ad vitam æternam. Ec hæc distributio: An in aliqua parte hominis, vel actionibus eius, sit & hæreat aliquid quo possit coram Deo iustificari: quasi forma examinis à Paulo ideo instituta fuit, quia Pharisæica persuasio de nostra iustitia in hærente, opponenda iudicio Dei, naturamiter hæret in omnium animis. Et ad doctrinam de iustificatione hominis, per solam gratiam seu misericordiam Dei, propter solius Christi mediatoris obedientiam: necesse est vt in solidum adimatur & detrahatur omnibus, quæ vel sunt, vel hærent in homine: siue Iudæo, siue ethnico, siue renato, siue non renato.

QUOMODO SCRIPTURA TRAHAT HOMINEM CORAM DEO IUSTIFICARI AD VITAM ÆTERNAM.

Constituta autem parte negatiua, plana ex verbo Dei erit sententia affirmatiua: quomodo scilicet iustificemur coram Deo, ad vitam æternam? Aut quæ sit illa iustitia, quam asferre debemus, coram Deo, quando cum illo agimus, vt nos absoluat à sententia damnationis, vt sit nobis placatus & propitius, vt simus ipsius filij, & acceptemur ad vitam æternam. Iam enim in præcedentibus monstratum est: Primo, quod iudicium Dei, non inueniat in nobis in hac vita, ne in renatis quidem, talem, tam perfectam, & tam puram iustitiam in hærentem, qua ita possimus coram Deo consistere, vt propter illam iustificemur ad vitam æternam. Secundo, Inuenit autem in nobis, etiam in sanctis in hac vita,

*Iustitia legis
in renati.*

*Renouatio-
nis donum.*

*Epistola ad
Galatas.*

*Obedientia
Christi per-
fecta est.*

multa & varia peccata, Psal. 32. 1. Ioan. 1. imo ipsum peccatum, habitans in carne, rebellans legi mentis, & captiuans etiam renatos: sicut Roman. 7. Paulus conqueritur. Tertio, Et lex diuina, quæ est norma & regula iustitiæ in Deo, pronunciat reos & maledictos, qui nõ in omnibus, quæ in lege scripta sunt permanferint, vt faciant ea. Quarto, ibi vero Deus, qui diues est in misericordia, propter immensam charitatem, qua diligit nos, nolens nos in æterna morte, ad quam iusta legis diuinæ sententiæ damnati eramus, perire, gratis per suam gratiam iustificat: hoc est, à sententiæ damnationis absoluit, iustos reputat, & receptos in gratiam acceptat ad vitam æternam, illos qui peccata sua agnoscunt, & confitentur, & fide promissionem misericordiæ in Christo mediatore propositam apprehendunt: Rom. 3. Sed Pontificij opponunt, gratiam in illa Pauli sententiæ, significare donum nouitatis seu charitatis, quod à Deo propter Christum, per Spiritum sanctum gratis conferatur & infundatur credentibus: vt illa siue nouitate, siue charitate, in iudicio Dei possint consistere, & propter illam recipi in gratiã, & acceptari ad vitam æternam, hoc est, iustificari.

Renouatio. Charitas.

Et renouationem quidem esse donum Spiritus sancti, propter Christum, & charitatem vna cum reliquis virtutibus à Spiritu sancto accendi in credentibus, nullum est dubium, Sed quæstio est de iustificatione. Ostendimus autem clarissimis & firmissimis Scripturæ testimoniis, renatos in hac vita, sua nouitate aut charitate, non posse coram Deo ad vitam æternam iustificari. Est igitur manifesta deprauatio sententiæ Paulinæ, quam Pontificij contra perpetuam eius sententiam ipsi affingunt.

VOCABVLVM GRATIÆ.

Et vocabulum Gratia in Scriptura, sæpe quidem fauorem, benevolentiam seu misericordiam: aliquando vero etiam dona ipsa quæ ex benevolentia conferuntur, significat. Sed quæstio est, quid vocabulum gratia proprie significet in illis locis, vbi Paulus disputat, nos gratis per gratiam Dei iustificari. Item: Gratia Dei saluati estis. Et testimonia sunt non obscura vel ambigua: sed manifesta, certa & firma, quod vocabulum gratia in hac disputatione intelligendum sit de gratuita misericordia, bonitate, benevolentia, seu fauore Dei, completæ sua gratia, & recipietis in gratiam indignos, propter filium mediatorem. Paulus enim, Rom. 5. manifeste distinguit gratiam & donum per gratiã: sicut Ioan. 1. Gratia & veritas distinguuntur. Et vtrunque quidem est beneficium Filij Dei mediatoris. Sed quando Paulus dicit, nos gratia iustificari & saluari: intelligit illam gratiam, quam scriptura distinguit à dono per gratiam, hoc est, intelligit non nouitatem nostram, sed misericordiam Dei, seu gratuitam acceptionem: id quod inde manifestum est. Paulus enim in articulo iustificationis, gratiam opponit bonis operibus: non illis tantum quæ ratio sine Spiritu S. præstat, sed & Abrahæ operibus, quæ sunt dona & fructus spiritus, Romanorum quarto. Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Et quod Romano. 3. dicit: Gratia iustificamur sine operibus legis; Illud Romano. 4. accommodat ad Abrahæ renati opera: & ita gratiam iustificantem, opponit Abrahæ ex renouatione spiritus operanti. Vniuersalis enim est sententiæ, Rom. 11. Si

per gratiam, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non esset gratia. Et quando 2. Tim. 1. Paulus dicit: Saluos nos fecit, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia: ibi certe gratia non potest significare aliquid inhærens in nobis. Ante tempora enim secularia cum nondum essemus, imo cum nondum iacta essent fundamenta terræ, data nobis fuit in Christo gratia.

Et Scriptura aliis synonymis seu æquipollentibus vocabulis manifeste ostendit, quomodo velit vocabulum gratia in his disputationibus intelligi, Tit. 3. vocat benignitatem & charitatem, qua Deus complectitur miserum & perditum genus humanum. Ibidem: Secundum misericordiam suam, saluos nos fecit: vt gratia ipsius iustificati, hæredes simus vitæ æternæ. Et Ephes. 2. Deus qui diues est in misericordia, propter multam suam dilectionem, qua nos dilexit mortuos nos peccatis conuiuificauit cum Christo, gratia estis saluati. Ita quod Heb. 2. scriptum est: Gratia Dei gustauit mortem pro omnibus: Illud Rom. 5. Paulus ita effert: Commendat charitatem suam erga nos, quod cum peccatores existeremus, Christus pro nobis mortuus est. Et Heb. 4. Accedamus ad thronum gratia, vt accipiamus misericordiam, & inueniamus gratiam ad auxilium opportunum. Hæc adeo sunt manifesta, quod & Thomas & Richardus de media villa, fatentur veteres quosdam gratiam exposuisse pro beneplacito & dilectione Dei gratuita, qua eligit, vocat, iustificat, adoptat, Ephes. 1.

PARTICVLA GRATIS.

Et quidem Paulus propterea addidit particulam Gratis, vt propriam & genuinam significationem vocabuli Gratia, in articulo iustificationis & salutis magis illustraret, & contra omnes corruptelas præmuniret: Iustificati gratis per ipsius gratiam. Significatio autem vocabuliGratis ita colligitur. Opponitur enim solutioni precii aut satisfactioni, Gen. 29. Nūquid seruiens mihi gratis, dic quid mercedis accipies. Exod. 21. Egrediatu gratis absque pecunia. Num. 11. Pisces gratis comedimus, 2. Reg. 24. Non offeram holocausta gratis, sine precio acquisita. Significat etiam sine causa, aut sine merito, præter aut contra meritum aliquid fieri, vt Psal. 54. Oderunt me gratis. 108. Expugnauerunt me gratis, Prouerborum 24. Ne gratis sis testis contra proximum, 1. Regum 19. Quare peccabis in sanguine innoxio, interficiens Dauidem gratis, 3. Regum 2. Aufer sanguines gratis effusos. Ezechielis 6. & 14. Non gratis feci malum hoc, inquit Deus, Ieremias decimoquinto. Dabo thesauros tuos in direptionem gratis: id est, illis, de quibus nihil tale meritum es. Threnorum 3. Ceperunt me, vt auem gratis: hoc est, quibus non dedit causam. In his exemplis, Græci interpretes semper reddiderunt Hebraicam vocem חַנּוּן per particulam δωρεάν: quæ in nouo Testamento ita vsurpatur, 2. Corint. 11. Gratis Euangelizauit. Apocalyp. vigesimoprimum. Accipiat aquam vitæ gratis, 2. Thessalon. 3. Non gratis comedi panem, sed in labore, Syrach 29. Multi fraudantur δωρεάν: hoc est, cum longe aliud meriti essent.

Hæc exempla ideo recitauit: Illustrant enim significationem particulæ, gratis. Hostes enim Dauidis,

uidis, dicuntur ipsum gratis odisse & prosequi: propterea quod in Dauide non sit causa vel meritum, cur ipsum oderint & persequantur: quin potius causam in ipso inueniunt, cur non deberent eum odisse: sed causa odij est in maleuolentia hostium. Et apud Ezechielem Deus dicitur non gratis punire: hoc est, illos in quibus nullam causam, vel meritum pœne inuenit. Inde intelligi potest, quare Paulus, Rom. 3. vocabulo gratiæ addat particulam gratis. Nam Genes. 39. de Ioseph textus dicit: Inuenit gratiam in oculis Potipharis: additur autem: Quia erat vir fortunatus, id est, propter egregia dona, quæ in Iosepho animaduertebat, diligebat & magnificiebat illum. Ne quis igitur opinetur, eodem modo & nos gratia Dei iustificari & saluari, addit Paulus particulam gratis: quæ ostendit primò causam seu meritum: vt coram Deo iustificemur ad vitam æternam, non esse vel hæere in nobis. Secundò, Deum inuenire in nobis multas causas, cur posset nos damnare. Tertiò, indignos verò, & longe aliud meritos, Deum ex mera bonitate & misericordia propter filium recipere in gratiam, & acceptare ad vitam æternam: vt idem sit, quod Psalmus dicit: Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Et quod Daniel inquit, non in iustitiis nostris, sed in misericordia tua. Iustificamur itaq; gratis, per Dei gratiam, non quia vel sumus, vel efficiamur in hac vita perfecte iusti, sine peccato, sed quia misericordia Dei, peccata, quæ in nobis inuenit, propter Christum remittit & tegit, Rom. 4. Deus enim erat in Christo mundum sibi reconcilians, non imputans hominibus peccata, 2. Cor. 5. Et per Christum annunciat nobis remissionem peccatorum, ab omnibus, à quibus non potuimus in lege iustificari, Act. 13. Hæc enim est scientia salutis, in remissione peccatorum, Luc. 1. Nam si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si verò confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. Si enim peccauerimus, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, 1. Ioan. 1. Credenti igitur in eum, qui iustificat impium, fides imputatur ad iustitiam, sine operibus, Rom. 4.

QVÆ SIT IUSTITIA ILLA,
quam in iustificatione iudicio Dei
opponimus.

Hæc ex scripturæ testimoniis manifesta, certa & firma sunt. Sed quæstio est, cuius explicatio multum lucis affert huic loco, an scilicet, & quomodo Deus impium sine iustitia iustificet. Humana enim sæpe iudicia impium iustificat, vel per errorem, vel per incuriam, vel per iniquitatem, quando impietas, vel ignoratur, vel non curatur, vel approbatur.

Illa verò Deo in iustificatione peccatoris nullo modo tribui vel possunt, vel debent. Ipse enim pronunciat esse abominationem, hoc modo impium iustificare, Prouerb. 17. Esaiæ 7. Nec recte responderetur hoc loco, si dicatur, Deum quia est agens liberimum, licet ea faciat, quæ ipse pronunciat esse abominationem, tamen iuste agere. Illa enim norma iustitiæ, quæ in lege est patefacta, est æterna, immota, & immutabilis voluntas Dei. Sed illa requirit, & pro peccatis satisfactionem plenissimam, & ad iustitiam requirit impletionem legis perfectissi-

mam & purissimam. Num verò Deus iustificans impium gratis per gratiam, sine operibus legis, sibi ipsi repugnat & contrarius est, vt qui voluntatem suam in lege aliter patefecit? Nequaquam. Ego enim, inquit, Deus sum, & non mutor, Malach. 3. Et Num. 23. Non est Deus quasi homo, vt mentietur: nec, vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit? Ideo Paulus inquit, Romano. 3. Non destruimus legem, quando docemus fide sine operibus legis iustificari hominem, sed magis stabilimus eam. Et Matthæi quinto, Christus inquit: Nolite putare, quod venerim, soluere legem. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Firma igitur & fixa manebit illa legis sententia, pro peccatis requiri satisfactionem, non qualemcunque, sed sufficientem & condignam: & ad iustitiam requiri impletionem, & obedientiam vndique perfectam & absolutam. Sed nos talem satisfactionem præstare, & talem iustitiam in hac vita habere non possumus. Et tamen facilius est, cælum & terram transire, quam vt vnum iota, aut apex vnus legis cadat, cui non debita perfectione satisfiat. Quid igitur? Non ergo iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens: sed omnes in æternum damnabuntur?

Prorsus illud ita fieret, quantum ex nobis est. Sed ibi Euangelium patefacit nobis, Deum in arcano suo consilio, & immensa misericordia, inuenisse talem modum & rationem: vt & iustitiæ Dei in lege patefactæ satisfieret, & homo gratis per gratiam Dei, fide sine operibus legis iustificaretur ad vitam æternam: vt scilicet filius Dei ad liberandum, iustificandum & saluandum genus humanum mitteretur in mundum, & veniret in carnem. Quomodo verò mediator ille noster factus est iustitia nostra, liberator & saluator noster? Num soluendo & destruendo sententiam voluntatis diuinæ, in lege patefactam? Hanc certe opinionem, & persuasibilem ipse Filius Dei dicit falsam esse, quia impossibile hoc sit, Matth. quinto, Lucæ decimosexto. Sed ideo factus est sub lege, non pro se, aut suo nomine: sed vt eos, qui sub lege erant, redimeret, Galat. quarto. Satisfactionem igitur pro peccatis, perfectionem pœnarum: & impletionem legis, perfectissima obedientia, loco & nomine omnium nostrum in se recepit. Et ideo nostram naturam assumpsit, vt in illa natura, quæ sub lege erat, fieret satisfactio & impletio: Quia verò debebat talis esse satisfactio & impletio, quæ pro peccatis, & ad iustitiam totius mundi satis esset & sufficeret: ideo oportuit personam mediatoris simul esse & Deum & hominem, vt vis & efficacia satisfactionis & impletionis esset infinita & immensa, sufficiens pro toto mundo. Sed inquis: Quid me releuat, quod aliquis alius legi satisfecit, cum lex me vrgeat: Tu diliges, tu non concupisces. Et Rom. 2. Ira & indignatio, tribulatio, & angustia super omnem animam hominis, operantis malum. Imò Ezech. 18. Deus hanc sententiam pronunciat: Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius nõ portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. Propter alienam igitur iustitiã, ille qui ipse peccator est, nõ iustificatur. Respondeo: Certum est, legem requirere ad iustitiam ab vnoquoque, & in vnoquoque talem satisfactionem & conformitatem, qualem ipsa requirit.

Christus impletis legem.

Neque enim legis doctrina est, aliena satisfactione & iustitia nos redimi & iustificari: vnus etiam homo non potest satisfacere pro alio, coram Deo: sicut Psal. 48. inquit: Frater redimendo non redimit virum, non dabit Deo redemptionem eius: preciosa est enim redemptio animarum eorum. Sed Euangelium, hoc mysterium absconditum à seculis reuelat & patefacit: cum genus humanum legi non posset satisfacere, & lex nullo modo posset solui & destrui, quod Deus fecerit translationem legis, quod ad articulum iustificationis attinet, in aliam personam: quæ & satisfactione, & obedientia, pro toto genere humano legem implet. Et quia illa persona, Deus & homo: ideo eius satisfactio, est expiatio pro peccatis totius mundi, 1. Ioan. 2. & inde Christus est impletio legis, ad salutem omni credenti, Rom. 10. Et hunc per ministerium Deus nobis proponit, vt per eius redemptionem, fide in sanguine ipsius, gratis per gratiam Dei iustificemur, Rom. 3. Quia igitur primò consilio totius Trinitatis filius Dei missus est in mundum, factus ex muliere, factus sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt nos ita adoptionem reciperemus. 2. Quia Christi mediatoris, Dei & hominis satisfactio & obedientia talis & tanta est, quæ potest esse expiatio pro peccatis totius mundi, & sufficere ad iustitiam omni credenti. 3. Quia in ministerio Christus à Deo nobis ita proponitur, vt per redemptionem eius fide iustificemur. Quando igitur in vera contritione fides apprehendit, & applicat sibi illam satisfactionem & obedientiam Christi, tunc habet quod possit accusationibus legis in iudicio Dei opponere, & ita consistere, vt iustificemur. Habent quidem credentes, ex renouatione per Spiritum sanctum, etiam inhaerentem iustitiam: sed quia illa in hac vita tantum inchoata, imperfecta, & propter carnem adhuc immunda est: ideo illa non possumus in iudicio Dei consistere, nec propter illam Deus nos iustificat: hoc est, à peccatis absoluit, in gratiam recipit, & ad vitam æternam acceptat: sicut supra ex Scriptura ostensum est. Christi verò satisfactio & obedientia, qua pro nobis legem impleuit, est illa iustitia, quæ & sufficiens & digna est, vt in Dei iudicio iusta pronuncietur. Et illa per fidem credentibus imputatur, ita vt per illam, & propter illam in iudicio Dei consistere possint: non aliter, imò multo melius, quam si ipsi perfecta obedientia legi satisfecissent. Habent enim per imputationem, iustitiam, quæ est Dei & hominis. Propter Christi igitur satisfactionem & obedientiam, fide nobis à Deo imputatam, credentes iustificantur, hoc est, accipiunt remissionem peccatorum, absoluntur à sententia damnationis, recipiuntur in gratiam, adoptantur in filios, & acceptantur ad vitam æternam.

Iustitia Christianorum.

Non igitur docemus, credentes sine iustitia iustificari: qualem iustificationem impij, Deus pronunciat esse abominationem, Proverbiorum decimo primo, Esaiæ quinto, sed dicimus necesse esse, vt in iustificatione intercedat & interueniat iustitia: & quidem non qualiscunque iustitia, sed talis, quæ in iudicio Dei sufficiens & digna sit, vt iusta pronuncietur ad vitam æternam. Nostra verò inhaerens iustitia, quæ in renouatione per Spiritum sanctum inchoatur, propter adhaerentem carnis imperfectionem & immundiciem non est talis. Oportet igitur aliam esse iustitiam, qua interueniente & intercedente iustificemur coram Deo ad vitam æternam. Illa verò est satisfactio, & obe-

Iustitia Christi.

dientia, hoc est, iustitia Christi mediatoris: quæ in ministerio verbi & sacramentorum proponitur, fide apprehenditur, & à Deo imputatur credentibus: vt eam interponere possimus inter iudicium Dei, & nostra peccata: vt sub ea, velut sub clypeo, à diuina quam commeruimus, ira protegatur: vt ea tecti, audacter & secure iam diuino nos sistamus tribunali, & ita iusti pronunciemur ad vitam æternam. Hæc sunt Pighij verba: qui licet aliàs doctrinæ nostræ acerbissimus est aduersarius, hanc tamen sententiam, vt veram, piam, & scripturæ consentaneam, ipsa veritatis euidencia cogitur agnoscere & confiteri.

Respectu igitur Christi, legi pro nobis satisfaciens, est redemptio, meritum & iustitia: sed respectu nostri, est gratia, seu gratuita misericordia: quia in nobis, etiam in renatis, in hac vita iudicium Dei non inuenit talem iustitiam inhaerentem, quæ sufficiens & digna sit, vt propter illam iustificemur ad vitam æternam: inuenit autem in nobis, etiam in renatis quædam, imò multa & varia peccata, quæ nos non satis intelligimus: propter quæ, si iuxta legis seueritatem vellet in iudicium nobiscum intrare, posset nos damnare. Gratuita igitur gratia est, quod indigni & immeriti iustificamur. Et Christi quidem obedientia, est meritum propter quod iustificamur. Sed quod Deus filium suum misit in mundum, quod filius Dei mediator legi pro nobis satisfecit: nulla nostra dignitas, nullum meritum nostrum effecit: sed cum longe aliud meriti eramus, ex mera gratia ac misericordia Deus hoc decreuit, & præstitit.

Nec etiam dignitate aliqua nostra meremur, vt Christi iustitia nobis imputetur, sed sine operibus gratis, per gratiam Dei credentibus imputetur. Ro. 4. Ita respectu nostri, sola & mera est gratuita gratia, bonitas, charitas, & misericordia Dei, quando iustificamur coram Deo, ad vitam æternam. Hæc explicatio ostendit, totam doctrinam de iustificatione, simplicem & planam esse.

Non autem ipsi comminiscimur hanc sententiam, quod Christus mediator legem satisfactione poenarum plenissima, & obedientia perfectissima, pro nobis impleuerit: & quod illa iustitia mediatoris credentibus imputetur, vt ea iustificentur coram Deo, ad vitam æternam. Sed hæc est propria & perpetua Euangelij doctrina, cuius aliquot tantum illustres sententias annotabimus.

Christum impleuit legem.

Gal. 4. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: vt in Gentibus benedictio Abraham fieret, in Christo Iesu. Audis Gentes assequi benedictionem, qua à maledictione liberantur, propter redemptionem Christi, qua pro nobis factus fuit maledictum.

Galat. 4. Deus misit filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus. Adoptamur igitur in filios, propter satisfactionem & obedientiam Christi.

2. Corinth. 5. Illam qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt efficeremur iustitia Dei in ipso. Quomodo verò Christus factus est peccatum? Certe imputatiue. Et ita nos in ipso effici-mur iustitia Dei.

Roman. 8. Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus misso filio suo in similitudine carnis peccati, de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis.

Pul-

Pulcherrimam sententiam, versio fecit obscuram: quid scilicet sit, de peccato damnare peccatum. Sed phrasis sumpta est ex Græcis interpretibus, qui sacrificium pro peccato absolute, seu *τελικός* reddiderunt *πρὸς ἀμαρτίας*. Leuit. 4. & 5. vocant & *ὑπὲρ ἀμαρτίας*: & *τὸ τῆς ἀμαρτίας*. Leuit. 6. *πρὸς ἀληθινῆς*. Sensus igitur est, quia ad expianda peccata requirebatur sacrificium pro peccato: sacrificium autem hirci, vituli, capræ, auis, turturum, columbarum, non poterat expiationem illam præstare. Lex enim accusat & damnat, non quadrupedum vel volatilium, sed hominum naturam, quæ peccato depravata est. Ideo Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati: hoc est, in carne, qua similis esset fratribus per omnia, excepto peccato: ut *πρὸς ἀμαρτίας*, hoc est, tali sacrificio pro peccato, victima scilicet sui corporis, quod peccato nihil debebat, peccatum damnaret in illa ipsa carne humana, scilicet quam per peccatū damnationi subiecerat: Et quia est Filius Dei, & à Deo missus, ut fieret victima pro nobis: inde sacrificium eius tantam habet vim & efficaciam, sicut Paulus inquit: Ut iustificatio legis in nobis impleretur. Sed quomodo. Num ut per legem iustificaremur? nequaquam. Paulus enim acriter pugnat, nos per legem non iustificari, sed ut *δικαιώμα* legis, hoc est, iustitia absolutissima, quam lex à nobis flagitat & requirit, impleatur, non à nobis, sed in nobis: quia Christus, qui legem pro nobis implevit, in nobis est: hoc est, per fidem in nobis habitat, Ephes. 3. Impletio verò legis, quæ in nobis inchoatur, nō suum, sed alium habet locum, sicut Paulus inquit: Qui Spiritum Christi non habent, in illis Christus non est. Ideo dicit: Qui non secundum carnem ambulat, sed secundum spiritum, Matth. 10. Filius hominis venit dare animam, redemptionem pro multis.

1. Timoth. 2. Dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, Rom. 10. Christus est impletio legis, ad iustitiam omni credenti, Rom. 5. dicit nos iustificari in sanguine Christi. Et illud ita exponit, quod reconciliati sumus Deo per mortem filij sui. Sicut enim per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnus obedientiam iusti constituentur multi. Quomodo verò? Respondet Paulus Rom. 4. Quia fides imputatur ad iustitiam. Non quod fides per se sit talis virtus, sed quia apprehendit, accipit, amplectitur, & possidet Christum, qui est perfectio legis ad iustitiam omni credenti. Illa enim est iustitia, quæ Deus imputat sine nostris operibus, iis qui beati redduntur: per redemptionem enim, quæ est in Christo Iesu, iustificamur, Rom. 3.

Ierem. 23. Hoc est nomen, quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra, 1. Corinth. 1. Factus est nobis à Deo iustitia, 2. Cor. 5. Ut efficeremur iustitia Dei in Christo, Esa. 53. Correctio super eum, ut nos pacem habeamus: & liuore eius sanati sumus. Deus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Hinc scientia sui iustificat multos.

Rom. 4. Scriptum est propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum: qui traditus est propter peccata, & resurrexit propter iustitiam nostram.

Audis vtrunque, & quod Deus imputat credentibus, & quid illud sit, quod imputet: nempe quod Christus traditus sit propter peccata nostra, & quod resurrexit propter iustitiam nostram. Rom. 5. Gratia regnat per iustitiam, in vitam æternam,

per Christum Iesum. Est autem Christus iustitia nostra. Ierem. 23. 1. Corinth. 1. Romanorum 10. Sed quomodo per illam ut alienam possumus iustificari ad vitam æternam? Respondeo, sicut Paulus inquit, Galat. 3. Quicumque in Christum baptisati estis, Christum induistis. Simul ergo eius etiam iustitia induiti sumus. Roma. 8. Deus cum filio suo omnia nobis donat. Christus autem habet perfectam legis impletionem pro nobis, seu iustitiam: Illam igitur pater donat credentibus, ut propter eam iustificentur.

Hæc quam breuiter recitavi, est perpetua Scripturæ Prophetiæ & Apostolicæ, in veteri & in nouo Testamento sententia, de iustificatione hominis coram Deo ad vitam æternam: hoc est, quid illud sit, in quo & debeamus, & tuto possimus fiduciam collocare, quod propter illud iustificemur: hoc est, accipiamus remissionem peccatorum, absoluiamur à merita damnationis sententia, recipiamur à Deo in gratiam, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam.

VETERVM TESTIMONIA DE Iustificatione.

Et in patrum quidem scriptis, quia verbum iustificare plerunque in alia significatione vsurpant; multæ dissimiles extant sententiæ. Sed quando emphases verborum in sententiis scripturæ penitus introspiciunt, & præcipue quando in sententationibus & meditationibus, quasi ad Dei tribunal sistunt; tunc dulcissimis sententiis nostram hanc, imo scripturæ doctrinam approbant: nos scilicet reconciliari Deo, accipere remissionem peccatorum, habere Deum placatum & propitium, adoptari in filios, & acceptari ad vitam æternam: non propter nostras virtutes, aut nostra bona opera, etiam quando renati sumus, sed ex gratuita misericordia Dei, propter satisfactionem, meritum, obedientiam seu iustitiam Filij Dei mediatoris, quando promissionem Euangelij, fide apprehendimus.

Basilium in concione de humilitate: Qui gloriatur in Domino, gloriatur, quod Christus nobis factus sit à Deo iustitia, sapientia, iustificatio, redemptio. Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob iustitiam suam quis se iactat: sed nouit quidem se ipsum veræ iustitiæ indignum esse, sola autem fide in Christum iustificatum. Et ne quis existimet Basilium de non renatis loqui, adducit exemplum Pauli, Philip. 3. qui iustitiam operum suorum, non tantum quam in Pharisæismo habuit, sed ad illam quam tunc, cum Epistolam ille scriberet, habebat, cōtemnit: ut in qua nolit inueniri, quod attinet ad articulum iustificationis coram Deo, ad vitam æternam.

Origenes in 3. cap. ad Rom. explicans illam sententiam: Exclusa est gloriatio, non per legem factorum, sed per legem fidei, allegat exemplum Pauli, Gal. 6. mihi absit gloriari, nisi in cruce Christi. Et inquit: vides Paulum non glorientem super iustitia sua, castitate, sapientia, neque super cæteris suis virtutibus & actibus. Quando verò? tunc scilicet, cum Galatis scriberet.

Hilarius in Psal. 51. Non enim illa ipsa iustitiæ opera sufficerent ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei, etiam in hac iustitiæ voluntate, humanarum demutationum, & motuum non reputet vitia. Spes igitur in misericordia Dei, in seculum & in seculum seculi.

Basilii in Psal. 114. Manet enim sempiterna requies illos, qui in hac vita legitime certauerunt: non ob eorum merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, in qua sperauerunt.

Augustinus ad Bonifacium, lib. 1. c. 21. Quamlibet fuisse virtutis antiquos, prædices iustos: nõ eos saluos fecit, nisi fides mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Ibidem lib. 3. c. 5. Pelagiani laudatores sibi esse videtur sanctorum, si non audeant dicere imperfectæ ipsos fuisse virtutis, cum hoc confiteatur vas electionis: Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim. Et paulò post tamè, qui se negauerat esse perfectum, inquit: Quotquot perfecti sumus, hoc sapiamus: vt ostenderet, secundum istius vitæ modum esse quandam perfectionem: eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque nouerit nõdum esse perfectum. Quid enim excellentius in veteri populo sacerdotib. sanctis? Et tamen eis præcipit Deus, sacrificium primitus pro suis offerre peccatis. Et quid sanctius in nouo populo Apostolis? Et tamè præcepit eis Dominus in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra. Omnium igitur piorum, sub hoc onere corruptibilis carnis, & in istius vitæ infirmitate gementium, spes vna est, quod aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum: & ipse est exoratio peccatorum nostrorum. Contra Cresconium, lib. 3. c. 80. Ad existimationem humanam magna testium, qui me nouerint, suppetit copia: ad Dei verò conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminationes cum intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis iustificare audeo: magisq; ab eo effluentem misericordiæ largitatem, quam iudicij summum examen expecto, cogitans quod scriptum est: Cum rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur se castum habere cor, aut mundum se esse à peccatis?

Augustinus Epist. 29. ad Hieron. Caritas in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, quæ iam non potest augeri, quam diu hic homo viuit, in nemine est. Quamdiu autem augeri potest, profecto illud quod minus est, quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio, non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet: ex quo vitio non iustificabitur in conspectu Dei, omnis viuens: propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est: propter quod etiam, quantumlibet perfecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra: cum iam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata, dimissa sint.

Ambrosius de Iacob & vita beata, c. 6. Non gloriabor, quia iustus sum, sed quia redemptus: gloriabor, non quia vacuus sum peccatis, sed quia mihi remissa sunt peccata.

Non gloriabor, quia profui, neque quia profuit mihi quisquam: sed quia pro me aduocatus apud patrem Christus est, sed quia pro me Christi sanguis effusus est.

Augustinus de verbis Apostoli, Serm. 2. Sed inquis, Sufficit mihi, quod in baptismo accepi remissionem omnium peccatorum. Nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Adhuc utique dicis, donec sanentur languores tui, Dimitte nobis debita nostra: qui propitius sit omnibus iniquitatibus tuis. Denique post redemptionem ab omni corruptione, quid restat nisi corona iustitiæ? Ipsa certe restat: sed etiam in ipsa, vel sub ipsa, non sit

caput turgidum, vt recipiat coronam. Attende quam nolit corona turgidum caput, qui redemit de corruptione vitam tuam, qui coronat te. Iam hic dicturus eras: Merita mea, fatetur, virtus mea fecit hoc, debitum redditur, non donatur. Audi potius Psalmum. Nam omnis homo mendax. Audi quid Deus dicat: Qui coronat te in miseratione & misericordia.

Sermo. 15. Pro nihilo saluos facies eos. Quid est pro nihilo? Nihil inuenis, vnde salues, & multum inuenis, vnde damnes.

In Psalm. 31. Qui sunt beati? non in quibus Deus nõ inuenit peccatum. Nam in omnibus inuenit, omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. Si ergo in omnib. peccata inueniuntur, remanet vt non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Item, si gratia est, gratis datur. Quid est gratis datur? gratis constat. Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur mala: si quod debetur, Deus istis operibus redderet, utiq; damnaret. Non tibi Deus reddidit debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam.

Hieronymus lib. 1. aduersus Pelagianos. Túc ergo iusti sumus, quando nos peccatores fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia.

Gregorius in Ezechielem homil. 7. Iustus igitur aduocatus noster, iustos nos defendet in iudicio, quia & nos ipsos cognoscimus, & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in aduocati nostri allegatione confidamus.

Bernhardus Sermo. 5. de verbis Esaia: Nostra, si qua est humilis iustitia, recta forsitan, sed non pura, nisi forte meliores nos esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter aiebant: Omnes iustitiæ nostræ, tanquam pannus menstruatae mulieris: Quomodo enim pura iustitia, vbi adhuc non potest culpa deesse?

Idem super Cantica, serm. 73. Si iniquitates obseruauerit etiam electorum, quis sustinebit? Audi sanctum & electum quid dicat Deo: Tu remisisti iniquitatē peccati mei: Pro hac ad te orabit omnis sanctus, in tempore oportuno. Opus igitur habent & sancti, pro peccatis orare: vt de misericordia salui fiant, propriæ iustitiæ non fidentes. Omnes enim peccauerunt, & egent misericordia Dei.

Ambrosius de Iacob & vita beata, non operibus iustificamur, sed fide: quoniam carnalis infirmitas, operibus impedimento est: sed fidei claritas, factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum.

Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 10. c. 22. Remissio peccatorum fit per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, per quem facta peccatorum purgatione, reconciliamur Deo: quorum in hac vita nõ fit nostra virtute, sed diuina miseratione purgatio, per indulgentiam illius, non per nostram potentiam: quia ipsa quantulacunque virtus, quæ dicitur nostra, illius est bonitate nobis concessa. Multum autem nobis in carne tribueremus, nisi vsq; ad eius dispositionem sub venia viueremus. Augustinus in Psal. 129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, inquit, quis sustinebit? Ecce apparuit, de quo profundo clamaret. Clamat enim sub molibus & fluctibus iniquitatum suarum. Circumspexit se, circumspexit vitam suam: vidit illam

illam vndique flagitiis & facinoribus coope tam, quacunque respexit, nihil in se boni inuenit, nihil illi iustitiæ serenam potuit occurrere. Et cum tanta & tam multa peccata vndique & cateruas scelerum suorum videret, tanquam expauescens exclamauit: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Non dixit: Ego non sustinebo: sed, quis sustinebit? Videt enim prope totam vitam humanam circumlatrari peccatis, accusari omnes cōscientias cogitationibus suis: non inueniri cor castum, præsumens de sua iustitia. Quod quia inueniri non potest, præsumat ergo omnium cor de misericordia Domini Dei sui, & dicat Deo: si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Quæ autem spes est? Quoniam apud te propitiatio est. Et quæ est ista propitiatio, nisi sacrificium? Et quod est sacrificium, nisi quod pro nobis oblatum est? Sanguis innocens fusus, deleuit omnia peccata nocentium. Ergo apud te propitiatio. Nam si non esset apud te propitiatio, si iudex solum esse velles, & misericors esse nolles, obseruares omnes iniquitates nostras, & quæreres eas: quis sustineret? quis ante te staret, & diceret: Innocens sum? quis staret in iudicio tuo? Spes ergo vna est quoniã apud te propitiatio est.

Bernhardus super Cantica, sermo. 23. O solus vere beatus, cui non imputauit Dominus peccatum. Nam quis non habuerit peccatum? Nemo. Omnes enim peccauerunt, & omnes egent gloria Dei. Quis accusabit tamẽ electos Dei? sufficit mihi ad omnem iustitiam solum habere propitium, cui soli peccaui. Idem sermo. 61. Ego fidenter quod ex me mihi deest, vsarpo mihi ex visceribus Domini: quoniã misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Item: Memorabor iustitiæ tuæ solius: ipsa enim est mea: nepe factus es mihi tu iustitia à Deo. Nunquid mihi verendum est, ne non vna amobus sufficiat? Non est pallium breue, quod secundum Prophetam non posset operire duos. Iustitia tua, iustitia in æternum. Et te pariter, & me operiet larga & æterna iustitia.

Quam multas dulcissimas huius generis sententias possem adferre ex meditationibus Augustini, Bernardi, Anselmi, Bonauenturæ, Gersonis, ex contemplationibus idiotæ, quæ ita inscribuntur, &c. si instituti nostri ratio illud ferret. Ibi enim, quia sistunt cōscientiam suam ad tribunal Dei, praxin & vsum articuli iustificationis pulcherrime ostendunt: & tam suauis habent sententias, vt legēs in intimis præcordiis me illis affici sentiã: nec quicquam libentius lego in scriptis Patrum, quam pias ipsorum meditationes.

In agone etiam mortis, ipsam veram medullam articuli iustificationis & didicerunt, & expresse- runt patres.

Possidonius de vita Augustini, c. 27. memorabilem narrat historiam. Indicauerat nobis Augustinus, se beatæ memoriæ Ambrosij in vltimo sine cōstituti, audisse sapientissimum & piissimum responsum, quod multum laudabat ac prædicabat: Nam cum ille venerabilis vltima iaceret ægritudine, & à fidelibus lecto eius astantibus cum lachrymis rogaretur, vt sibi à Domino vitæ posceret comæatum, eum illis dixisse: Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Et in his noster Augustinus senex, elimata ac librata admirabatur, & laudabat verba. Ideo enim eum dixisse intelligendum est, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus: ne

crederetur, præsidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Sed non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere. Hoc enim dixerat ad illud, quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen æquitatis diuinæ, de bono Domino se dicit magis, quam de meritis suis confidere: cui etiam in oratione quotidiana Dominica dicebat: Dimitte nobis debita nostra, &c.

In vita Bernardi, c. 12. Cum extremum iam spiritum trahere videretur, in excessu mentis suæ, ante tribunal Domini sui visus est repræsentari. Affuit autem & Satanæ ex aduerso, improbis eum accusationibus pulsans. Vbi autem ille omnia fuerat profecutus, & viro Dei pro sua fuit parte dicendum. Nihil territus aut turbatus ait: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum. Cæterum duplici iure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet patris, & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat: ex cuius dono, iure illud mihi vendicans, non confundor. Ita hoc verbo confusus est inimicus, &c.

Extat exhortatio Anselmi ad fratrem moriturum, verbis dulcissimis scripta. Cum frater aliquis laborare videtur in extremis, pium est & cōsultum, eum per prælatum, siue alium sacerdotem, subscriptis interrogationibus & exhortationibus exerceri. Et interrogetur primò:

Frater, lætaris quod in fide morieris? Et respondeat: Etiam. Fateris te non tam bene vixisse, sicut debuisses, fateor. Pœnitet te? Etiam.

Habes voluntatem emendandi te, si spacium viuendi haberes? Etiam.

Credis quod propter te mortuus est Dominus Iesus Christus, Filius Dei? Etiam.

Credis non posse saluari, nisi per mortem eius? Etiam.

Agis ei de hoc ex corde gratias? Etiam.

Age ergo, dum in te est anima tua, ei semper gratias, & in hac sola morte totam fiduciam tuam constitue. Huic morti te totum committe: hac morte te totum contege, eiq; te totum inuolue. Et si Dominus te voluerit iudicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi obiicio inter me & tu iudicium tuum: aliter tecum non contendo. Si dixerit, quod merueris damnationem, dic: mortem Domini nostri Iesu Christi obiicio inter me & me. la merita mea: ipsiusque dignissimæ passionis meritum afferro pro merito, quod ego habere debuissẽm & heu non habeo.

Dicat iterum: Mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter me & iram tuam. Deinde dicat ter: In manus tuas Domine, commendo spiritum meum. Et conuentus sui astantes respondeant: In manus tuas Domine, commendamus spiritum eius. Et securus morietur, nec videbit mortem in æternum.

Idem Anselmus in meditationibus, pulcherrima hypotyposi sistit se ad tribunal iudicij diuini, & ostendit, nec vitam renatorum, nec opera posse opponi iudicio Dei, sed solum Christi mediatorum. Terret me, inquit, vita mea. Namque diligenter discussa, apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas tota vita mea. Et si quis fructus in ea videtur, sic est aut simulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, vt possit aut placere, aut displicere Deo. Certe tota aut in peccato est, & damnabilis, aut infructuosa, & contemptibilis. Sed quid se-
paro

parò infructuosam à damnabili? utique si est infructuosa, est damnabilis. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, in ignem proicietur. O ergo lignum aridum & inutile, & æternis ignibus dignum. Quid respondebis in illa die, cum exigitur à te vsq; ad iudicium oculi, omne tempus viuendi tibi impensum, qualiter à te fuerit expensum? O angustia. Hinc erunt peccata accusantia, inde terrenis iustitia: subtus patens horrendum chaos inferni, desuper iratus iudex: intus cōscientia vrens, foris mundus ardens. Vix iustus saluabitur: peccator sic deprehensus, in quam partem se præmet? latere erit impossibile, apparere intolerabile. Vnde mihi consilium? vnde salus? Quis est qui dicitur magni consilij angelus? Ipse est Iesus. Idem est iudex, inter cuius manus tremo. Respira ò peccator, ne desperes. Spera in eo quem times, refuge ad eum, à quo confugisti, Iesu Christe, propter hoc nomen tuum. Fac mihi secundum hoc nomen tuum: respice miserum, inuocantem nomen tuum. Ergo Iesu esto mihi Iesus propter nomen tuum. Si me admiseris intra latissimum sinum misericordiae tuæ, non erit angustior propter me. Verum est, conscientia mea meruit damnationem, & poenitentia mea non sufficit ad satisfactionem: sed certum est, quod misericordia tua superat omnem offensionem, &c. Sed infinitum esset, singula talia, quæ in Patrum scriptis extant, recensere. Hæc pauca verò ideo annotaui: vt ostenderem, doctrinam nostram de iustificatione, habere testimonia omnium piorum, qui omnibus temporibus fuerunt: idque non in declamatoriis rhetoricationibus, nec in ociosis disputationibus, sed in seriis exercitiis poenitentiae & fidei, quando conscientia in tentationibus cum sua indignitate, vel coram ipso iudicio Dei, vel in agone mortis luctatur. Hoc enim solo modo, rectissime intelligi potest doctrina de iustificatione, sicut in scriptura traditur.

TRIDENTINI CONCILII SENTENTIA DE IUSTIFICATIONE.

Constituta autem ex scriptura, & comprobata vera sententia de iustificatione hominis coram Deo ad vitam æternam: accedimus iam ad examen decretorum Concilij Tridentini, de iustificatione: cuius ratio facilior & planior nobis erit, quia & fundamenta doctrinae, & pleraque ad examen pertinentia, iam in præcedentibus explicata sunt. In cæteris verò habemus Andradium, cōcilij interpretem.

Et de medio quidem seu organo, quo à Deo nobis offertur, & quo à nobis accipitur promissio iustificationis, postea in loco de Fide dicemus.

De præparatione verò (quam ita vocant) ad iustificationem, & de incremento iustificationis, ad finem huius loci quædam annotabimus. Quæ igitur in decreto ad ipsam iustificationem pertinent, iam annotabimus.

Est autem status disputationis: Quomodo homo coram Deo iustificetur ad vitam æternam? hoc est, quid illud sit, quod ad iudicium Dei adferre, quod inter iram diuinam & peccata nostra interponere debeamus: vt propter illud à sententia damnationis absolvamur, in gratiam à Deo recipiamur, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam.

Dupliciter autem respondent Tridentina decreta. I. Negant iustificationem peccatoris esse solam remissionem peccatorum. Et multa dicunt anathemata: si quis dixerit, homines per iustitiam Christi

coram Deo iustos esse, vel hominem iustificari sola imputatione iustitiae Christi, vel sola remissione peccatorum, vel iustificari gratia: hoc est, tantum fauore Dei, aut misericordia Dei, peccata remittentis propter Christum. II. Affirmant, iustificationem impij coram Deo ad vitam æternam, non esse solam remissionem peccatorum, sed & sanctificationem interioris hominis. Et vnicam causam formalem iustificationis, affirmant esse illam iustitiam à Deo nobis donatam, qua renouamur spiritu mentis nostræ: vt non modo reputemur, sed vere iusti nominemur & simus: iustitiam in nobis recipientes, quam dicunt esse charitatem inhaerentem in nobis, quam merito passionis Christi Spiritus S. in nobis operatur.

Hæc Tridentina decreta, si referantur ad ea, quæ supra ex scriptura demonstrata sunt, luce meridiana clarius erit, illam ipsam sententiam, quæ perpetua est scripturae Propheticae & Apostolicae de iustificatione hominis coram Deo ad vitam æternam, multis & atrocibus anathematismis à Concilio Tridentino damnari: quod scilicet sola diuina misericordia propter meritum, obedientiam seu iustitiam Christi, peccata nobis remittantur, recipiamur in gratiam, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam.

Manifestum erit & hoc quod sub multorum anathematum interminatione, iustificationem hominis coram Deo ad vitam æternam, tribui voluit illi ipsi rei, cui scriptura manifestissimis sententiis eam adimit & detrahit: nouitati scilicet, charitati seu bonis operibus renatorum. Et quia supra multis manifestissimis scripturae testimoniis hoc demonstratum est, ad ea Lectorem remitto. Si enim tantum collationem & negatiue, & affirmatiue instituerit, eius sententiæ, quæ in scriptura tradita est, & eius, quæ in decretis Synodi Tridentinae proponitur: videbit eas ex diametro inter se pugnare: quod enim scriptura negat, hoc Tridentinum Concilium affirmat esse nostram iustificationem coram Deo ad vitam æternam: & rursus quod scriptura affirmat, hoc Concilium non tantum negat, sed atrociter damnat: vt vere dicere possimus tale esse Concilium, quale Psalmo 2. describitur: Conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Ipsam verò artificium, quo architecti horum decretorum rem ipsam specie aliqua ita inuoluerunt, ne ab imperitiis statim deprehenderetur, dignum est obseruatione. Si enim statum quæstionis ita posuissent: Quid illud sit propter quod Deus nobis placatus & propitius reddatur, qua re adoptio nostra apud Deum nitatur, propter quid coram tribunali Dei consistamus & absolvamur, vt simus hæredes Dei, & acceptemur ad vitam æternam: viderent in tanta luce Euangelij, moderata ingenia, & aures multorum piorum in ipso regno Põtificio abhorreere ab illis monachorum vocibus, si propriis nostris operibus propitiatio, adoptio, & hæreditas vitæ æternæ tribueretur.

Et cum tamen omnino sententiam istam retineri vellent. Primò, æquiuocatio verbi iustificationis visa fuit Concilio commodissima, quæ turpitudinem monasticae opinionis aliquo modo palliaret: de qua æquiuocatione in principio diximus. Secundò, pro operibus propriis, substituerunt vocabula sanctificationis, renouationis, inhaerentis iustitiae, &c. Tertiò insidiosè ita formarunt capitula & canones decretorum, quasi nostra doctrina sanctifi-

Artificiose
Papisticum.

sanctifi-

Renouatio
quomodo ex-
cludatur.

sanctificationem, renouationem, charitatem, & reliqua dona nouitatis, quæ Spiritus operatur in renatis: ita excludat, vt nec sequantur, nec adsint in renatis: ita vt propter nostras Ecclesias reperenda fuerint decreta, quæ olim in Concilio Mileuitano Pelagianis opposita fuerunt: Christum scilicet meruisse nobis nõ tantum remissionem peccatorum, verum etiam hoc quod propter ipsius meritum, per Spiritum sanctum renouamur: & credentes fide propter Christum accipere non tantum remissionem peccatorum, verum etiam Spiritum sanctum, qui corda sanctificat & renouat. Sed antea diximus, & aliquoties iam repetitum est, hunc non esse statum controuersiam. Nullo modo enim hæc negamus, sed clare & diligenter vtrunque beneficium Mediatoris prædicamus, & reconciliationem & renouationem, illo ordine sicut Scriptura tradit.

Sycophanticum igitur artificium est, quod oblique nostras Ecclesias insimulant, quasi illa ita excludamus, vt nec sequantur, nec adsint: cum status controuersiam sit: An propter meritum, obedientiam, seu iustitiam Christianam vero propter sequentem & inchoatam nostram nouitatem absoluamur coram tribunali Dei, habeamus Deum placatum & propitium, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam, sicut in principio huius loci, de insidiosis illis technis, & de vero controuersiam huius status, plura annotauimus. Quia enim vident etiam idiotas in monachorum & postillatorum crassis scriptis & opinionibus animaduertere, quod in doctrina de iustificatione, à sententia Scripturæ procul discedant: aliud igitur & subtilius artificium Tridentinis patribus querendum fuit, cum vellent in tanta huius temporis luce, quæ ex lectione Scripturæ hominibus affulsit, quorundam oculos configere & fascinare. Sed huic Sophistico artificio semper opponendum, & vel ad fastidium vsq; repetendum est, quæ sit principalis quæstio in hac controuersia de iustificatione hominis coram Deo ad vitam æternam, sicut illam aliquoties iam exposuimus. Et tamen inter illas ipsas sophisticas insidias, si quis paulo attentius consideret, non obscure animaduertet, quo Tridentina illa decreta tendant. In quarto enim capitulo dicunt: In hac de iustificatione, disputatione, quæstionem esse: quomodo homo ab eo statu in quo est filius iræ, transferatur in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei. Et cap. 7. dicunt se agere de illa iustificatione, qua homo ex inimico fit amicus Dei, ita vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Hanc vero iustificationem definiunt non esse solam imputationem iustitiæ Christi, vel solam peccatorum remissionem: sed & sanctificationem, & renouationem interioris hominis. Et illud mox planius explicant, cum dicunt, charitatem esse iustitiam inhaerentem. Et hanc esse candidam & immaculatam illam stolam, quam renati perferre debeant ante tribunal Christi, vt habeant vitam æternam. Sine dissimulatione igitur Christo adimunt, & nostræ charitati hoc tribuunt, quod ea iustificemur: hoc est, quod propter illam coram tribunali Dei absoluamur, & acceptemur ad vitam æternam. Sed quid fiet Paulo, qui iustificationem nostram tribuit misericordiam Dei, & merito obedientiæ, passioni, satisfactioni Christi? Audi vero, quomodo Tridentinum Concilium dulcissimas illas Scripturæ sententias eludat. Dicunt, Christum sua sanctissima passione meruisse, non hoc vt misericordia Dei propter illam Christi satisfactionem & obedientiam, nos à sen-

tentia damnationis absoluat, recipiat in gratiam, adoptet in filios, & acceptet ad vitam æternam. Sed hoc dicunt esse totum meritum Christi, quod propter illud misericordia Dei infundat nobis nouam qualitate iustitiæ inhaerentis, quæ est charitas, vt illa iustificemur: hoc est, vt non propter Christi obedientiam, sed propter nostram charitatem absoluamur coram iudicio Dei, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam: vt ita misericordia Dei, tantum sit causa efficiens, & obedientia Christi tantum sit meritoria causa: vt inde nos in nobis ipsis habeamus inhaerens aliquid, quod possimus opponere iudicio Dei, quo debeamus confidere, quod propter illud, & non propter Christum absoluamur, adoptemur in filios, & accipiamus hereditatem vitæ æternæ. Quod vero Paulus dicit, gratis nos iustificari: hoc ita interpretantur, quod non propter nostra præcedentia merita, sed propter Christum, gratis nobis donetur & infundatur habitus ille charitatis, propter quam coram tribunali Dei iusti pronunciemur ad vitam æternam. Vt autem Lector recte intelligat vnde hæc sumpta sint, conferat locum Bonauenturæ in tertio sententiarum, dist. 19. quæst. 1. vbi inquit: Vtraque, mors scilicet & resurrectio Christi, delicta nostra tollunt, & vtrique iustificat. Attamen neutri attribui potest proprie causalitas iustificationis, siue remissionis peccatorum. Habet tamen aliquam causæ proprietatem: scilicet per modum meriti interuenientis, quod reducitur ad causam materialem. Formalis enim est gratia, hoc est, charitas, quam Deus infundit, &c.

Hæc de artificio, quo vsi sunt architecti siue *πολιτικοί*, decretorum, recte obseruata, multa moment. Nec opus est addere peculiarem refutationem. Ideo enim in principio fundamenta doctrinæ Prophetiæ, Euangelicæ, & Apostolicæ de iustificatione exposui, ne in refutatione subinde eadem essent repetenda: & vt ex ipsa collatione diiudicari posset, quo loco & genere censenda sint illa, quæ in Tridentino Concilio de iustificatione decreta sunt: ex professo enim, & ex diametro pugnant cum perpetua Scripturæ sententia.

Et hæc quidem in ipso decreto Tridentino ita animaduerti possunt. Quæ vero præterea mysteria sunt retrusiora, & quæ agitata fuerint in Concilio rationes, ex quibus sententia illa decreti extructa tandem est: Andræ explicationes nobis pandent. Præcipue vero glossa (quod dicitur) notabilis est, quid & quomodo in Tridentino Concilio intellexerint remissionem peccatorum. Existimaret enim aliquis, hanc qualem unquam esse liberalitatem aut indulgentiam Concilij, quod iustificationem vel ex parte videatur constituere in gratuita remissione, siue non imputatione peccatorum, propter meritum Christi. Sed audi bone Lector, quomodo Andræ mentem & sensum Concilij explicet: in hanc scilicet sententiam, & his verbis: Quia iustus is dici non potest, qui totus est peccatorum maculis inquinatus: ideo Deum infundere homini charitatem, cuius vi & potentia, crimina omnia eluantur, scelera extinguantur, peccata expellantur & intereant, omneque tæri facinoris vestigium aboleatur. Atque ideo iustificationem magis in charitate diuinam legem complectente, quam in peccatorum venia positam esse: imo iustificationem in ipsa sanctificatione collocandam esse. Et charitatem esse, quæ hominem Deo per gratiam perque acceptum reddat. Hæc vero Andræ ita explicat, vt manifeste ostendat,

Remissio peccatorum.

*Deum quomodo placetur
Papistis.*

decretum Concilij esse tantum paraphrasin eius q̄ Sententiarj disputant: ad remissionem scilicet culpæ, requiri infusionē gratiæ: hoc est, charitatis per quam peccatum expellatur: sicut ad expulsionem tenebrarum, requiritur illuminatio aeris. Fingunt enim Deum non posse placari offensa, nisi peccatū ex homine sit expulsū, & eius loco infusa noua qualitas charitatis, quam Deus respiciat: & offensam remittat, & hominem gratum & acceptum habet ad vitam æternam. Ideo enim charitatem vocant gratum facientem. Ita Scholastici.

Et in hanc plane sententiam, Andradius ostendit intelligenda esse Tridentina decreta de iustificatione.

Diligenter itaq; Lector obseruet, id quod ex Andradij interpretatione videt & agnoscit: hoc tantū propositum sibi habuisse Concilium Tridentinū, vt Scholasticorum opiniones de iustificatione repeteret & confirmaret: & summa, vt rata manerent, & sacrosancta haberentur, quæcunq; & quomodoq; in regno Pontificio à scriptoribus scholasticis, monachis, postillatoribus, summistis, &c. de iustificatione disputata sunt: nisi quod vocabula paulisper mutanda iudicauerunt vt speciem aliquam reformationis, vel quasi imperitioribus præberent.

Expendamus autem paululum hanc Concilij, de remissione peccatorum mentem, Andradij interpretatione nobis proditam. Verbis enim concedunt, ad iustificationem pertinere remissionē peccatorum: & diuinam misericordiā, peccata remittere propter Christum. Et nos sane pro ea simplicitate, qua linguæ Spiritus sancti & vocibus Scripturæ assueti sumus, hæc ita intelligimus: q̄ filius Dei Mediator, passione ac morte sua nobis promeruit remissionem peccatorum, ita quod propter meritum, satisfactionem & obedientiam Christi, pater credentibus non imputet peccata ipsorū: & quod (iuxta Anselmi dictū) mortem Domini nostri Iesu Christi, fide interponere debeamus inter peccata nostra, & inter iram Dei, quādo petimus & quærimus vt accipiamus remissionē peccatorum.

Sed Concilium Tridentinum, per interpretem suum Andradium publice declarat hanc non esse suam mentem & sententiam: sed Christum meruisse tantū nobis infusionem charitatis, vt eius inhærentis nostræ charitatis vi & potentia, peccata expellantur, extinguantur & aboleantur. Et ita demū remittere offensam, & fieri placatum & propitium, quando videt omne vestigium peccati in homine per charitatem extinctum, & prorsus abolitum (vtor enim Andradij verbis) qui & hoc addit: ob charitatem infusam nos iustos dici: quippe quia peccatis, munere nostræ charitatis deletis, in Dei gratiam reconciliemur. Qui igitur vult remissionem peccatorū accipere, debet iuxta Concilij Tridentini sententiam, interponere inter peccata sua & offensam Dei, non satisfactionē Christi, sed inhærentē suam charitatem, & tunc demum credat Deū remissa offensione, sibi certo placatum & propitium esse, quādo charitas peccatū ita expulerit & extinxerit, vt omne eius vestigiū in homine abolitum sit: hæc enim sunt Andradij verba. Ita iuxta eandem interpretationem, Christus obedientia sua non meruit credentibus in ipsum salutem & vitam æternā: sed hoc tantum meruit, quod propter ipsum infunditur nobis charitas inhærens: vt illa demum sit quæ hominem Deo non tantum gratum, sed pergratū (repeto enim Andradij verba) non tantum acce-

*Christi meri-
sum quid ef-
fecerit Papi-
stis.*

ptum, sed peracceptum reddat ad vitam æternam.

Sed hic obiicit Osius: Ergone vos Lutherani docetis peccatū ita remitti, vt maneat in homine sine contritione, detestatione & mortificatione, post reconciliationem, eodem plane modo sicut antea? Respondeo: Nota est doctrina nostra, quod doceamus, in conuersione debere adesse in homine contritionē, detestationem peccati, bonum propositū, &c. Docemus etiam, renatos debere spiritu actiones carnis mortificare, Ro. 8. Vt caro cum vitiiis & concupiscētiis magis magisque crucifigatur & mortificetur, Galat. 5. ne peccatum regnet. Ro. 6. Sed ex Scriptura didicimus, remissionem peccatorum, vt sit certa & firma, nisi non nostra contritione, detestatione, mortificatione, &c. sed nisi satisfactione & merito Christi, vt propter illam peccata nobis remittantur. Et licet in reconciliatis non maneat peccatum regnans, seu vastans conscientiam: tamen ex Scripturæ traditione didicimus, Deum remittere offensam, & esse nobis placatum & propitium: non quod nullum plane vestigium peccati amplius in nobis inueniat (in carne enim mea, inquit Paulus renatus, habitat peccatum) sed quia propter Christum peccatū non imputat, sed remittit. Si enim dixerimus, peccatū nos non habere, nos ipsos seducimus, sed si cōfiteamur, iustū est vt dimittat peccata.

Sed in re manifesta nihil addā amplius. Videt enim pius Lector, remissionem peccatorū, adoptionem, ipsam deniq; salutem & vitam æternā adimi & detrahi satisfactioni & obedientiæ Christi, & trāsferri in nostras virtutes: Christo vero Mediatori hoc tantum relinquatur, quod propter ipsius meritum accipiamus charitatē. Postea vero fingūt, charitatis vim & potentiam hanc esse, quod peccata extinguat: vt ita tandem, propter charitatē nostram, quia peccata delet, accipiamus remissionē peccatorum. Addunt & hanc esse charitatis vim & potentiam, q̄ reddat nos Deo pergratos & acceptos ad vitam æternā. Vere igitur & iusto dolore cum Paulo exclamabimus: Euacuati estis à Christo, qui charitate vestra, quæ est summa legis iustificamini, Gal. 5. Exinanita est fides & abolita promissio, si hæreditas ex lege, cuius summa est charitas. Ro. 4. Et sane non commutarē magno aliquo precio, quod hoc modo produntur insidiæ & technæ Tridentini Concilij, quas miris verborū inuolucris occultarunt. Quando enim iuxta Andradij interpretationē mens Concilij denudata de remissione peccatorum, eo sicut iam ostendimus modo proponitur, tunc cuius tantum volenti considerare manifestū est, quomodo Scriptura ex diametro pugnet, quam cōtumeliosa & blasphemata sit in sanctissimum meritum Domini nostri Iesu Christi: cuius thronum, ipso deturbato, nostræ virtutes inuadere iubentur, vt sint nostra propiciatio pro peccato, & precii vitæ æternæ. Et ex hac Andradij interpretatione nunc demū intelligo, quid hoc sibi velit, cum decretū Tridentinum pronunciet, iustificationē constare duabus partibus, remissione peccatorum & renouatione: quod tamen non multo post dicunt, vnicam tantum esse causam formalem iustificationis, nouitatem scilicet, vel charitatem: Illa enim iuxta Andradij interpretationem, simul est causa formalis & remissionis peccatorum, & acceptionis ad vitam æternam.

ARGVMENTA ANDRADII.

Sed postquam sententiam Concilij de iustificatione, & ex ipsis verbis decreti, & ex Andradij interpretatione,

terpretatione satis percepimus: Audiamus iam argumenta, quæ Andradius Tridenti in Concilio dicit. Est autem primum eius argumentum, ex verbo iustificare: quod contendit idem esse ac informare, imbuere, & exornare animum infusa noua qualitate inhærentis iustitiæ, quæ sit charitas. Sed hoc argumentum supra clare refutatum est.

Secundum argumentum est. In conuersione, seu reconciliatione hominis, non tantum adest fides, non sola remissio peccatorum, vel sola imputatio iustitiæ Christi: verum etiam contritio, renouatio, spes, charitas, &c. Ergo iustificatio non est sola remissio peccatorum; sed & reliquæ virtutes ad iustificationem pertinebunt. Respondeo: Verum est, neminem conciliari, nisi præcedat contritio: & quando homo reconciliatur, tunc simul etiam renouatur. Sed non sequitur, quæ simul sunt, vel simul fiunt, quod eandem omnia habeant proprietatem, & idem officium. Homo enim simul habet pedes, oculos, aures: non tamen sequitur, quod pedibus videat, & oculis audiat. Ita in iustificatione hæc est quæstio, quid illud sit per quod & propter quod Deo reconciliemur, adoptemur, & acceptemur ad vitam æternam. Id vero Scriptura solius Christi merito tribuit, & inter ipsas etiam partes conuersionis, certus est ordo. Reconciliationem enim oportet præcedere, & postea sequitur charitas cum cæteris virtutibus, quæ ad effectus iustificationis pertinent, Andradius vero longam texit seriẽ. Iustificatio non est sine reconciliatione. Reconciliatione pendet ex Dei erga nos amore. Amoris vero Dei ratio est, quod illos quos diligendos suscepit, amplissimis beneficiis exornet: vt sunt dona charitatis, & reliquarum virtutum. Et inde colligit, iustificationem sine inhærentibus Dei donis esse nullo modo posse. Et per consequens contendit, iustificationem duabus constare partibus: reconciliatione scilicet, & cæteris nouis virtutibus. Vide autem acumẽ huius rhetoris, satis profecto obtusum. In iustificatione quæritur, propter quid Deus nobis reconcilietur, vt ipsum habeamus placatum & propitium. Est autem reconciliationis huius effectus, quod donis charitatis, & aliarum virtutum, Deus renatos exornet.

Ex his effectibus Andradius pro suo acumine facit causam & formam iustificationis. Nos vero & hos & alios iustificationis effectus nõ negamus: sed effectus non dicimus esse causas. Nec succenseat nobis Andradius, quod non sinamus nobis talia, ipsius grandiloquentia persuaderi. Ioannes enim monuit nos, licet vtrunq; verum sit: & quod Deus nos diligat, & quod nos vicissim diligamus & Deũ, & proximum: tamen hæc distinguenda esse, vt causam & effectum, 1. Ioan. 4. In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Ergo diligamus ipsum & proximum.

Tertium argumentum est. Ex iustitiæ ratione, diuinis literis explicata, iustificationis vis atq; ratio petenda est. Sed Scriptura tradit, in renatis Spiritum sanctum inchoare obedientiam legis, siue conformitatem cum lege: quæ iustitia vocatur. Ergo illa iustitia iustificamur. Respondeo: Major propositio placet, & sequamur eam: vt scilicet iustitiæ ratio, sicut eam Scriptura explicat, monstrat nobis veram rationem iustificationis.

Sed Scriptura de obedientia legis, siue de iustitia illa, duobus modis loquitur. I. Quod Christus satisfactione plenissima & obedientia perfectissi-

ma, legem pro nobis impleuerit: & ita factus sit iustitia nostra. II. Quod Spiritus sanctus in renatis inchoet conformitatem quandam cum lege Dei, Ieremiæ 31. Rom. 7. & illa conformitas vocatur etiam iustitia, Rom. 6. & 1. Ioan. 2. quæ non male definitur ab Andrudio, esse habitus animi, inducens ad parendam diuinæ legi atq; voluntati. Sed quæstio est: Vtra iustitia, Christi nẽ vel nostra sufficiens & digna sit, quam opponere possimus iudicio Dei: vt propter illam, coram tribunali Dei absolquamur, remissionem peccatorum consequamur, iusti pronunciemur, in gratiam recipiamur, adoptemur in filios, & acceptemur ad hæreditatem vitæ æternæ. Ibi vero Scriptura explicat rationem iustitiæ: quod scilicet renatorum inhærens & inchoata iustitia in hac vita, propter adhærentem carnem, nec perfecta nec omnino pura sit: atq; ideo seueritatem examinationis iudicij diuini sustinere non possit, & propterea etiam renatos nõ possit iustificare: Christi vero iustitiam tradit esse sufficientẽ & dignam, vt pote plenissimam, perfectissimam & absolutissimam: & quidẽ pro nobis præstitam, vt propter illam & per illam, in iudicio Dei possimus consistere, absolui, in gratiam recipi, adoptari & acceptari ad vitam æternam: sicut supra multis clarissimis Scripturæ testimoniis demonstratum est. Hoc modo iustitiæ ratio, sicut eam Scriptura explicat, monstrat veram rationem iustificationis. Sed Andradius hanc Christi Mediatoris iustitiam fide nobis imputatam, blasphemat esse commentitiam, adumbratam & fictitiam. Nihil autem aliud habent argumentum, nisi quod opponunt absurditatem ex Physica & Ethica: Absurdum scilicet esse (sicut Obus inquit) dicere alicuius rei formam esse, quæ ipsi rei non insit. Vt si dicam, parietem esse album albedine, quæ vesti meæ inhæreat, non parieti: vel Ciceronem esse fortem fortitudine, quæ non ipsi, sed Achillis animo inhæreat. Quid vero hæc argumenta aliud ostendunt, quam Pontificios in doctrina iustificationis, relicta Euangelij luce, quærere sententiam quæ conformis & consentanea sit philosophicis opinionibus, aut certe legalibus sententiis de iustitia? Euangelium vero pronunciat, esse sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius seculi cognouit, 1. Cor. 2. Ideo cum habeamus sententiæ nostræ in Scriptura, certa & firma fundamenta, non est curandum, etiam si incurrat in absurditatem philosophicam.

Quarto. Christus meruit nobis, non tantum remissionem peccatorum, vel solam imputationem suæ iustitiæ, sed & hoc nobis meruit, vt per Spiritum sanctum renouati, habeamus nouam obedientiam seu iustitiam inhærentem. Ergo iustificatio non est sola remissio peccatorum. Respondeo: Fatemur Christum nobis vtrumq; meruisse. Sed cum Scriptura dicimus, illam nostram inhærentem iustitiã, licet suam habeat locum, suas commendationes, sua etiam præmia: tamen quia in hac vita propter carnem imperfecta & immunda est, non posse in iudicio Dei consistere, vt propter eam à sententia damnationis absolquamur, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam. Ideo opus esse nobis alia iustitia, perfecta & absoluta, propter quam & per quam coram Deo iustificemur ad vitam æternam. Illam vero Scriptura monstrat in satisfactione & obedientia Christi Mediatoris, si fide eam apprehendamus. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in

Obiectio.

Responsio.

Christi meritum.

Iustitia nostra.

Iustitia Christi.

De iustitia
quomodo lo-
quitur Scri-
ptura.

nomine eius, Ioan. 1. Et Galat. 4. Factus sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.

Quinto. Andradius sentit, suam & Concilij sententiam prorsus profligari fulmine disputationis Paulinæ, de exclusiua (fide, sine operibus legis) in qua ita opponit fidem & opera legis, quod non tantum operibus legis detrahit, & fidei tribuit iustificationem coram Deo ad vitam æternam: sed quod affirmat, si ex lege hæreditas, exinanita est fides, & abolita promissio. Rom. 4. Si ex operibus, iam non ex gratia, alioqui gratia non esset gratia, nec opus esset opus. Ro. 11. Si cum lege iustificamini, euacuati estis à Christo: gratia excidistis, Christus vobis nihil prodest. Gal. 3. Omnino enim talem immediatam facit Paulus antithesin fidei & operum, gratiæ & operum, meriti Christi & nostrorum operum, in articulo iustificationis, cuius extrema nullo modo possint coniungi aut conuenire, sed posito vno, statim excludatur & tollatur alterum. Signanter autem dico, in articulo iustificationis: aliàs enim extra hunc articulum, optime conuenit fidei & bonis operibus. Fides enim per charitatem efficax, genitrix est bonorum operum, & opera placent fide. Quia igitur Andradius sentit, Paulum hoc modo in articulo iustificationis contra nostra opera fulminantem, varias circumspicit rimas vt elabi possit. Stante enim illa immediata Pauli oppositione, inter fidem & opera legis, cuius summa est charitas, videt decretum Tridentinum non posse subsistere.

Primum igitur inquit, intelligi posse tantum opera legis ceremonialis, quod illa sola excludantur ab articulo iustificationis. Sed quia hoc manifestè falsum est, & quidem ab Augustino & Hieronymo etiam refutatum, non audet in hac responsione pedem figere. Paulus enim in hac disputatione ceremoniis Leuiticis manifeste adiungit legem moralem, & ita de tota lege, & de totius legis operibus disputat. Tandem igitur ad hanc elusionem Andradius delabatur, Paulum ab articulo iustificationis excludere illa tantum opera, quæ non renati lege imperante, solis liberi arbitrii viribus, sine fide, sine gratia & auxilio Spiritus sancti præstant.

Opera vero quæ ex fide oriuntur, & sunt fructus Spiritus, adeo fingit ad iustificationem necessaria, vt sine illis fides apprehendens Christum, iustificare nullo modo posset (recito enim Andradij verba) Sed Paulina disputatio euidenter conuincit, hoc commentum Pontificiorum vanum, falsum, & contra mentem Pauli esse. Abraham enim, qui est vniuersale exemplar iustificationis, post suam vocationem, Gene. 11. vsq; ad 15. cap. multa habuit bona opera, & illa ex fide profecta. Hebr. 11. fuerunt fructus Spiritus, Ephes. 5. Et tamen Paulus in articulo iustificationis, exclusiuam suam accommodat etiam ad illa Abraham opera: Non operanti, sed credenti fides imputatur ad iustitiam. Item ad Abraham iam renatum dicit pertinere illud: Beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. Item, Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, & abolita est promissio. Hoc testimonium nulla sophistica eludi potest. Ita Paulus renatus, cum inquit: Nihil mihi conscius sum: multa habuit bona opera, ex fide profecta, & tamen inquit: In hoc non sum iustificatus. Daniel renouatus inquit: Non in iustificationibus nostris, &c. sicut supra plenius hæc sunt explicata.

Paulus igitur exclusiuam suam, quando dicit hominem fide iustificari sine operibus legis, intelligit

non tantum de operibus non renatorum, verum etiam de illis operibus, quæ renati ex fide per Spiritum sanctum faciunt. Sicut enim inter se opponit facere & credere, operantem & credentem: ita etiam opponit fidem & opera legis, iustitiam legis & iustitiam fidei. Et iustitiam legis definit, quando homo facit ea, quæ in lege scripta sunt, vt per ea iustificetur, & in æternum viuat. Et disciplinam quidem rationis, facientem aliqua legis opera, ex solis liberi arbitrii viribus, non iustificare, Pontificij etiam concedit. David vero renatus ex fide per Spiritum sanctum, inchoat obedientiam aliquam Legis, faciens ea, quæ in lege scripta sunt. Quæro iam, an David illa sua obedientia, legis illa iustitia, illis operibus, iustificetur? Et Paulus Rom. 4. diserte hoc negat, & de Abrahamo, & de Dauide, etiam post renouationem. Certum igitur est, Paulum intelligere iustitiam legis quando homo siue sit non renatus siue renatus, obedientia sua aut operibus suis facit ea, quæ in lege scripta sunt. Et hac iustitia legis, Paulus pronunciat nullum hominem in hac vita iustificari, quia propter carnem imperfecta & immunda sit etiam in renatis.

Fidei vero iustitia est, credere, Christum Mediatorem pro nobis legi satisfecisse, ad iustitiam omni credenti, Rom. 10. Stat igitur Pauli antithesis in genere de omnibus operibus, siue renatorum, siue non renatorum: si ex operibus, iam non ex gratia, si vero ex gratia, iam non ex operibus. Sed hæc supra pluribus sunt explicata.

Manifesta igitur est deprauatio totius Paulinæ sententiæ, quod Andradius sine probatione fingit, vtramque iustitiam, & legis & fidei, consistere in nostra obseruatione legis: & differre non officiis, sed modo tantum officiorum, vt scilicet quando præstatur à non renatis, tunc sit legis iustitia: fidei vero iustitia in eo consistat, quod inducat renatos ad obedientiam & obseruationem eorum, quæ in lege scripta sunt: vt iustitia fidei sit ipsa renatorum obedientia erga legem, quando charitas, quæ totam legem complectitur, per Spiritum sanctum infunditur credentibus. Sed Paulus in articulo iustificationis, hæc membra oppositionis constituit: Iustitia legis est, quando homo ipse suis operibus facit ea, quæ in lege scripta sunt: fidei vero iustitia est, quando homo fide apprehendit & possidet Christum, qui sua perfectissima obedientia legis pro nobis satisfecit, vt esset nostra iustitia, Jer. 23. Ad remouendas vero calumnias, hæc addimus declarationem. Omnino verum est, Spiritum sanctum scribere legem in corda renatorum, vt ex fide per Spiritum incipiant facere legem: sed ex Paulo addimus, obedientiam illam legis, inchoatam, non esse illam iustitiam, quam possumus iudicio Dei opponere, vt propter illam coram tribunali Dei iustificemur ad vitam æternam. Propter carnem enim in hac vita legi non satisfacit, est enim imperfecta & immunda. Verum est & hoc, quod fides inducat renatos per Spiritum sanctum ad inchoandam obedientiam & obseruationem legis moralis. Sed hoc respectu, & propter hanc causam non iustificat: sed quia apprehendit & possidet Christum, qui propter satisfactionem plenissimam, & obedientiam perfectissimam, quam legi pro nobis præstitit, est iustitia nostra, sicut in loco de Fide dicemus.

Sextum argumentum, Paul. Rom. 4. Iustificationem à remissione peccatorum vsque adeo disiunxit, vt hanc Christi morti, illam vero resurrectioni eius adscribendam esse existimauerit. Ergo iustificatio non est sola remissio peccatorum. Respon-

Iustitia fidei.

Mortis & resurrectionis Christi disinctio.

Abraham exemplum iustificationis.

deo: Paulus quidem Rom. 6. dicit mortem Christi designare mortificationem peccati in nobis, & resurrectionem eius designare nouam vitam, vt sicut ipse resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vite ambulemus. Sed in articulo iustificationis, mortē & resurrectionem Christi, Paulus non ita disiungit, vt nō morti, sed resurrectioni tantum iustificationem tribuat. Nam Rom. 5. dicit: Iustificati in sanguine ipsius. Rom. 3. Iustificati per redemptionem, quæ est in Christo per fidem in sanguine ipsius. Romanorum 8. Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus mortuus est, imo & resurrexit, & est ad dexteram Dei, &c. Et Act. 10. & 13. remissio peccatorum tribuitur simul & morti, & resurrectioni Christi. 1. Cor. 15. Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.

Non igitur vera est illa Andradij distractio, potius quam disunctio. Sed grauiſſima est doctrina, quod Paulus dicit: Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustitiā nostrā. Vt enim Christus esset iustitia nostra, oportuit ipsum nō tantum sustinere pro nobis pœnas peccatorum nostrorū, verum etiam legem tam perfectā obedientia implere, quæ sufficeret pro iustitia totius mundi. Et tota illa actio Mediatoris, in eo vertitur an pater illam filij satisfactionem & obedientiam acceptare velit pro toto mūdo. Illud vero pater in eo maximè ostendit, quod filiū, quem propter peccata populi percusserat, non dereliquit in morte, sed resuscitauit ex mortuis, & collocauit ad dexteram maiestatis suæ. Et hoc est quod 1. Cor. 15. Paulus dicit: Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris, hoc est, Si mors Christum superasset, & pater ipsius satisfactionem pro nobis non acceptasset, sed in morte ipsum reliquisset: tunc non haberemus propter Christum remissionem peccatorum.

Cum igitur Paulus Rom. 4. explicare vellet, quæ sit illa iustitia, quæ credentibus imputatur sine ipsorum operibus, aut quid fides apprehendere debeat, vt imputetur ad iustitiam, inquit: Credētibus in eū qui suscitauit Iesum à mortuis, qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram. Illa enim est iustitia nostra. I. Quod filius Dei Mediator factus est pro nobis, obediens patri vsq; ad mortem. II. Quod pater illam satisfactionē & obedientiam filij acceptauit pro reconciliatione & propitiatione nostra, id quod resuscitatione ostendit. Ideo Paulus in imputatione iustitiæ coniūgit mortem & resurrectionē Christi. Consideretur & hæc ratio: quia Christus Saluator noster est, non tantum merito, verum etiā efficacia, vt qui tanquā aduocatus noster intercedit, & apparet vultui Dei pro nobis, vt per vitam eius seruemur ab ira. 1. Ioa. 1. Rom. 8. Heb. 7. Rom. 5. Propter hanc etiam causam Paulus morti Christi iungit resurrectionem eius, & non dicit sicut Andradius citat: Mortuus est propter remissionē peccatorum, & resurrexit propter iustificationem, sed: Mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram.

Septimo. Operæ precium est & nouam Grammaticen ab Andradio discere. Non potest negare, Paulum in articulo iustificationis, sæpe vsurpare vocabulum imputationis. Sed pro suo imperio, quo Concilij nomine fungitur dicitat nobis, imputari iustitiā Christi, nihil significare aliud, quam propter Christi meritum infundi renatis charitatem, seu iustitiam inhærentem. Et hoc loco, in mentem mi-

hi venit, quod ante aliquot annos in Osandrico certamine, non sine risu audiui quendam ita philosophantem, verbum putare cum compositis, esse vocabulum hortense: sicut igitur amputare, significat perputationem aliquid auferre: ita imputari iustitiam, esse inserere, implantare & infundere homini nouas qualitates.

Et tunc quidem ineptias illas ridebamus, iam vero si Displacet, Tridenti in ipso Concilio hæc sapientia, & quidem cum supercilio proponitur: imputare iustitiam, nihil significare aliud, quam infundere qualitates iustitiæ. Thrasonica profecto est impudentia, talia dicitare, non secus ac si imperium haberent in beluas, cum à seculo, in tota rerū natura talem significationē verbi imputare nemo vel per febrim somniarit, alioqui enim, imputare peccatū, esset instillare alicui iniquitatem. Sed quia sentiunt Pontificij, se vehementer premi emphasi & proprietate verbi imputare: cum illam vera refutatione amoliri non possint, satis esse iudicant, si quoquo modo eam conculcent & proterant, didicerunt enim ex Fabio, conculcanda esse, quæ refutare nō possunt. Et vtile est Lectorem aliquot exempla tenere, quomodo vocabulum illud ludificent.

Osus dicit, nouam, & à seculo inauditam esse vocem iustitiæ imputatiæ. Item iustitiam Christi nobis imputari, nec in Canonicis, nec in orthodoxorum libris reperiri. Sed Canon Tridentinus it. hoc negare non audet: sed tantum reprehendit, si quis dixerit, hominem iustificari sola imputatione iustitiæ Christi. Concedunt igitur iustitiam Christi, credentibus imputari.

Iesuitæ, talem fingunt interpretationem, fides imputatur ad iustitiam. Deus enim fidem inuentā in hominibus, dignam ducit cui conferatur, seu infundatur iustitia inhærens, per quam homines iustificentur.

Andradius magistraliter pronunciat, imputari iustitiam, nihil significare aliud quam infundi qualitatem iustitiæ. Vera igitur significatio verbi imputare, diligenter obseruanda est. Esse autem vocabulum relatiuū, nullum est dubium. In imputatione enim requiritur qui imputat, cui imputatur, & ad quid imputetur, Et aliquando ita vsurpatur, vt fundamentum imputationis (vt Dialecticorum vocabulis vtamur) sit aliquid inhærens in illis, quibus fit imputatio. Terminus sit reatus, seu præmium. Et inter hæc duo, imputatio siue ad reatum, siue ad præmium, est relatio. Ita 2. Reg. 19. dicit Semei: Non imputet mihi rex iniquitatē. Ro. 5. vbi non est lex, peccatum non imputatur. 2. Tim. 4. Omnes dereliquerunt me, non imputetur illis. Quæstio iam est: An eodē modo charitas inhærens renatis, imputetur ipsis ad iustitiam, vt propterea ipsis adiudicetur hæreditas vitæ æternæ. Et Pontificij quidem fortiter hoc contendunt, sed sine Scriptura. Nobis vero, quia res ardua est, firma & solida quærenda sunt fundamenta, quæ Paulus Rom. 4. monstrat. Cum enim inquit: Operanti merces imputatur, nō secundum gratiā, sed secundum debitum, ostendit esse quandam imputationē, quæ habet & respicit fundamentum in illo, cui fit imputatio, vt si fiat propter opera. Et hanc imputationē dicit fieri, non secundum gratiam, sed secundum debitū. Hac vero imputatione pronunciat Abrahamum non esse iustificatum corā Deo. Addit autem: Non operanti, credenti autem in eum qui iustificat impium, fides eius imputatur ad iustitiā. Et

Christus est
Saluator no-
ster merito
& efficacia.

Imputare.

Imputare.

hanc imputationem dicit fieri non secundum debitum, sed secundum gratiam. Hac etiam imputatione affirmat Abrahamum fuisse iustificatum.

Ostendit igitur Paulus, se vocabulum imputationis, in articulo iustificationis, usurpare in hac significatione, quando in eo, cui fit imputatio, non habet aut respicit fundamentum cuius dignitate fiat, sed fit ex gratuita misericordia Dei sine merito, imo contra quam meriti sumus. Cum enim dicit hac imputatione iustificari impium: ostēdit nobis inesse contrarium fundamentum, cui reatus potius quam iustitia imputari deberet, si Deus in iudicium nobiscū ingredi vellet: Et postea cum inquit, beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus, manifeste ostendit, fundamentum huius imputationis non esse in eo cui fit imputatio, dicit enim: Imputatur sine operibus, & Abraham tūc quidem multa habebat bona opera. Sed illam inhærentem nouitatem, Paulus diserte dicit, non fuisse fundamentū, sicut Dialectici loquuntur, cuius ratione & dignitate ipsi imputata fuerit iustitia ad beatitudinē. Dicit enim: Sine operibus imputatur iustitia. Sed ex gratuita misericordia, fit illa imputatio. Si autem operanti imputaretur: iam non secundum gratiam, sed secundum debitum fieret.

Et in hac significatione, quando in eo cui fit imputatio, non inest fundamentum imputationis, sed eius contrarium, sæpe usurpatur Hebraicū חַסְדִּים & Græcum λογίζομαι . Genes. 31. Extraneæ reputatæ sumus patri nostro. Numeri 18. de Leuitis, qui non habebant aream, inquit: Reputabitur vobis sicut firmamentum ex area. Psal. 144. Quid est filius hominis, vt reputes eum? Roma. 2. Præputium eius in circumcisionem reputabitur.

Num autem Deus imputat iustitiā credentibus, sine omni aliquo fundamento? Certe ipse hoc dicit esse abominationem. Prou. 17. Esai. 5. Et in nobis quidem non est fundamentum illud, imputatur enim iustitia sine operibus. Ro. 4. Et ibi in fine Paulus manifeste ostendit, quod, & vbi, sit fundamentum huius imputationis: Imputatur, inquit, nobis credentibus in eum, qui suscitauit Iesum à mortuis, qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram, hoc est, satisfactio & obedientia Christi, est fundamentum illud, cuius respectu, ratione & dignitate, Deus credentibus ex gratia imputat iustitiam.

Et ita habemus totam relationem. Fundamentū, est iustitia Christi: terminus est persona credēs, cui fit imputatio ad iustitiam & beatitudinē: relatio, est misericordia Dei, imputans iustitiam sine operibus. Et ita fides imputatur ad iustitiam, non propter dignitatem virtutis, sed quia apprehendit in promissione Euangelij meritum Christi, & misericordiam Dei, in quibus consistit & fundamentum, & relatio imputationis iustitiæ ad beatitudinē.

Hæc obseruatio de vocabulo imputationis, valde illustris est, & Lector inde intelliget, quare Pontificii tam iniqui sint huic vocabulo, & cur de eius deprauatione tantopere laborent, pulcherrimè enim illustrat, & munit totū locum de iustificatione. Quod enim obiiciunt locū ex Psal. 106. vbi factum Phinees dicitur ipsi imputatum esse ad iustitiam, facile explicari potest. Paulus enim Ro. 4. duplicem statuit imputationem. Primo, quando operanti merces imputatur. Et hac imputatione affirmat personam non iustificari coram Deo ad vitam

æternam. Non enim ex vno aliquo opere persona potest iustificari, quia qui non in omnibus permanferit, maledictus est, & qui in vno delinquit, etiam si cetera seruauerit, reus est omnium. Alia vero est imputatio, qua persona iustificatur, quando scilicet iustitia gratis fide imputatur sine operibus.

Psal. igitur 106. non loquitur de iustificatione personæ. Sed quia factum Phinees videri poterat truculentum, dicitur Deus illud imputasse ad iustitiā, hoc est, acceptasse pro iusto opere, & quidem ei imputasse mercedē, quæ etiam ad posteros perueniret in generatione & generationē: operanti enim merces imputatur, Ro. 4. Sed illa imputatione, persona non iustificatur ad vitam æternā. Beatitudo enim est eius hominis, cui Deus imputat iustitiā sine operibus. Manet igitur gratuita imputatio iustitiæ Christi, qua credentes iustificantur ad vitam æternam.

Octauo. Tridentinum decretum dicit Apostolicam traditionē esse, quod Catechumenis, quando petunt fidem, vitam æternam præstantem, proponitur illud verbū Christi: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Audi vero, quomodo Andradius hoc probet & confirmet. Quicquid à Christo est traditum, & in Euangelio scriptum, pertinet ad iustitiā fidei. Sed si vis ad vitam ingredi, serua mandata, item: Hoc fac & viues, est Christi sententia, & est in Euangelio scripta. Ergo doctrina Euangelij & iustitia fidei est, quod homines & debent & possunt vitam æternam suis sibi operibus promereri. Respondeo: Puerilis est hallucinatio, ab ipso Augustino refutata: Doctrinam Legis & Euangelij libris veteris & noui instrumenti ita distinguere, vt in alteris nihil, nisi legem, in alteris nihil, nisi Euangelium contineri existimetur, cum manifestissimum sit, Christum & Apostolos in nouo Testamento sæpe doctrinam legis tractare & explicare, & vicissim in Mose & Prophetis, in multis locis ipsissima doctrina Euangelij describitur. Ita verba quidem sunt Christi, & extant in libris Euangelicis: Hoc fac & viues. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Sed Christus ipse expressis verbis ostēdit, has sententias pertinere ad doctrinam legis, inquit enim: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Item, Mandata nostri. Falsum igitur est, quod Pontificij affirmant, hanc esse doctrinam Euangelij propriam, aut iustitiam fidei. Paulus enim disputat opposita esse, iustus ex fide viuet. Et: Qui fecerit hæc, viuet in eis, & quidē inde probat, in lege neminem iustificari apud Deū. Gal. 3. Sed tamen inquis: Cum proposita esset questio, quomodo quis posset vitam æternam hæreditare: Christus respondet, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Item, Hoc fac & viues.

Respondeo: Interrogabant illi, quid faciēdo aut quibus operibus vitam æternam deberent sibi comparare. Ibi Christus respondet: Si operibus vultis vitam æternam promereri, nulla sanctior aut perfectior est regula bonorum operum, quam doctrina legis, cui nihil vel addi, vel adimi potest, quæ etiam habet promissionē vitæ, si quis eam perfecta obedientia eo modo, sicut lex præscribit, impleuerit.

Non autem affirmat, scribas istos hoc posse, imo hoc agit, vt conuincat ipsos, quod legem perfectè implere non possint, sicut contextus manifeste hoc ostendit, vt intelligant, opus sibi esse alia iustitia, quam operum suorum, si vitam æternam velint hæreditare. Ideo enim lex cum suis promissionibus primum proponitur, vt quia humanus animus plurimum de sua virtute sibi blāditur, in ipso

conatu

Imputatio in
fidei.

Imputatio
duplex.

conatu experiatur, se legem perfecta obedientia implere non posse, & ita dicat, opus sibi esse alia iustitia ad vitam æternam. Neque enim locum potest habere doctrina de gratuita iustitia fidei, nisi prius conuictus sit homo, quod operibus suis ex lege, non possit salutem & vitam æternam consequi. Ita lex est pædagogus ad Christum, ut ipse sit nostra iustitia. Pontificij verò scelerate hoc inuertunt. Quod enim Christus Phariseis opinione propriæ iustitiæ inflatis proposuit, ut superbiam eorum retunderet, hoc ipsi catechumenis petentibus, quæ sit fides, quæ vitam æternam possint consequi, proponunt: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et cum Moses illos, qui iustificari volūt, à lege mittat ad Christum: Pontificij catechumenos, per Baptismum Christo adducendos, quando petunt fidem, præstantem vitam æternam, à Christo ablegant ad legem, ut faciendis iis, quæ in lege scripta sunt, iustificentur & viuant. Et non verentur hoc tribuere Apostolorum traditioni, cum Paul. ex professo contrarium doceat. Et Act. 2. cum catechumeni quærent: Quid faciemus, viri fratres? Petrus non dicit: Si vultis ad vitam ingredi, seruate mandata legis: Sed pœnitentiam, inquit, agite, & baptisetur vnusquisq; in remissionem peccatorum. Act. 16. Catechumenus petit fidem, vitam æternam præstantem, inquit enim: Quid me oportet facere, ut saluus fiam? Paulus verò quid respondet? num dicit: Fac ea, quæ in lege scripta sunt, & viues? Nequaquam: Sed crede, inquit, in Dominum Iesum, & saluus eris, tu, & domus tua. Et continuo baptisatus est, & ipse & omnis domus eius.

Hæc sunt veræ & certæ Apostolorum traditiones, quid Catechumenis petentibus salutem & vitam æternam responderint. Sed Tridentini patres opponunt traditionem non scriptam, quæ plane contrarium affirmat, ut scilicet catechumenis petentibus fidem, vitam æternam præstantem, proponatur hæc sententia, quam ipse Christus pronunciat legalem esse: Si vis ad vitam ingredi, serua ea, quæ in lege scripta sunt. Et ex hoc etiam exemplo Lector intelligit, quid Pontificij quærant titulo traditionum non scriptarum, ut scilicet ab iis, quæ scripta sunt, Ecclesiam abducant, ut non diuersum tantum, sed & contrarium eius, quod scriptura tradit, credatur, sub prætextu traditionum non scriptarum.

Postremò addam & hoc, quomodo Andradius conetur respondere ad illud, quod in Iesuitarum censura notaueram, misericordiam Dei in Christo, quam Euangelium celebrat, in qua nostrum omnium salus & vita cõsistit, esse hanc, quod Deus proposuerit hanc conditionalem propositionem: Qui fecerit ea, quæ in lege scripta sunt, viuet in eis. Dixi, & adhuc dico, flagitiosam esse illam Iesuitarum sententiam, scelerate deprauantem dulcissimas Euangelij consolationes de misericordia Dei in Christo Iesu, ad salutem nobis propositas, cum scriptura simpliciter illam Dei misericordiam, & nostra opera opponat: Non in iustificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Sed excipit Andradius, innumerabilia & inexhausta esse misericordiarum Dei genera, atque ideo recte dici posse, pertinere & hoc ad misericordiam Dei, quod opera nostra, licet imperfecta & sordida, dignatur præmiis, & in hac vita, & post hæc vitam. Ego verò non

nego hoc, imò scio, misericordia Dei plenam esse totam terram. Sed quæstio est, quæ sit illa misericordia Dei, quam Euangelium prædicat, in Christo nobis esse propositam, ut in ea vita & salus nostra consistat. Hanc dico à Iesuitis impie definiti, quod sit illa legis promissio de nostris operibus: Qui fecerit hæc, viuet in eis.

DE ACCEPTÆ IUSTIFICATIONIS INCREMENTO.

CAPVT X.

Sic ergo iustificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renouantur (Sic Apostolus inquit) de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem, per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ. In ipsa iustitiæ, per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur, sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et iterum: Ne Verearis Usque ad mortem iustificari. Et rursus: Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc vero iustitiæ incrementum petit sancta Ecclesiæ, cum orat: Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum.

CANON XXIII.

Si quis dixerit, iustitiæ acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa, fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augenda causam, anathema sit.

EXAMEN.

Renouationem noui hominis, sicut & mortificationem veteris, in hac vita non esse perfectam & absolutam, sed de die in diem crescere & augeri, donec in altera vita perficiatur, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, manifesta sunt Scripturæ testimonia. Viles etiam & necessarii sunt exhortationes in Ecclesiæ, ne renati accepta dona spiritus negligant, extinguant, aut excutiant, sed veris & seriis exercitiis suscitent, inuocato Spiritus sancti auxilio, ut ipse det augmentum fidei, spei, charitatis, & reliquorum donorum spiritualium: qualis enim sit spiritualis negligentia pœna, ostendit parabola de talentis. Nullum etiam dubium est, fidem esse efficacem per charitatem, & esse genitricem bonorum operum, & quidem bona opera, fide propter Christum Deo placere. Et in hanc sententiam locus Iacobi 2. commode & dextre potest intelligi & accipi, quod per bona opera sequentia, Abraham declaratur vere fuisse per fidem iustificatus, & ostendatur, fidem esse non inanem, & mortuam, sed veram & viuam.

De ostensione enim, seu declaratione, contra inanem opinionem vanæ fidei & iustificationis, Iacobus manifeste disputat, inquit enim: Si quis dicat, se fidem habere, ostendat fidem ex operibus. Et sumit exemplum Abraham, quod ipse Angelus de approbatione seu declaratione interpretatur, cum inquit: Nunc cognoui, quod timeas Dominum. Hoc igitur agit Iacobus, obedientiam & bona opera Abraham declarasse, & præbuisse testimonium, quod vere fuerit fide iustificatus. Iustificari enim, Iacobo significat iustum declarari per externa testimonia.

Si de his doctrinæ capitibus in illo Tridentini

decreti capitulo ageretur, nulla esset controuersia: res enim veræ sunt. Sed iterum obseruet Lector, infidiosum Synodi artificium. Sumunt doctrinam & testimonia scripturæ, quomodo renouatio de die in diem crescere, quomodo inhærentia dona spiritus, per orationem in exercitiis augeri debeant: & sub illa specie longe aliud agunt. Titulus enim est de acceptæ iustificationis incremento, & capitulum dicit, eos, qui semel gratis iustificati sunt, postea magis iustificari per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, ita vt postea ex operibus iustificetur homo, & non ex fide tantum. Canon etiam 24. ita loquitur: Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conferuari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa, fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam, anathema sit.

Planius verò ex Andradij explicationibus, & ex Iesuitarum censura intelligi potest, quid capitulum illud Concilij, de acceptæ iustificationis incremento sibi velit, ne quis æquiocationibus turberetur. Nam & noua renatorum obedientia, ornatur in scriptura titulo iustitiæ. Rom. 6. Ephes. 4. 2. Cor. 9. Hebr. 11. 1. Iohann. 2. Et nouitatem illam posse & debere in hac vita crescere & augeri, nullum est dubium. Tridentini verò Patres, proprie & principaliter hoc non volunt, sed Pontificiam distinctionem, de prima & secunda iustificatione volunt confirmare, & Ecclesiæ obtrudere. Primam autem iustificationem vocant, quando homo non renatus, primum iustitia inhærente perfunditur, accepto primum habitu, seu infusa qualitate charitatis. Et de illa prima infusione charitatis dicunt, quod eam opera nulla, tanquam debitam mercedem promeretur. Secundam verò iustificationem vocant, quando infusa charitas exercet suas operationes, proferens bona opera. Et hanc secundam iustificationem, bonis operibus dicunt comparari posse & debere. Et illa opera sentiunt promereri maiorem iustitiam, quam illa sit, quæ gratis propter Christum in prima iustificatione infunditur: imo addunt, illa opera, quibus constat secunda ipsorum iustificatio, tandem promereri vitam æternam, quam nostris operibus in charitate factis, tanquam debitum præmiū deberi dicunt. Hæc Iesuitæ.

Andradius similiter contendit, Pauli disputationes, quod gratis propter Christum sine operibus iustificemur, intelligendas esse tantum de prima iustificatione, quæ postea nostris operibus augetur & amplificetur, vt magis simus iusti coram Deo. Et addit Andradius: Egregia iustorum opera, nõ solum ad iustitiam augendam magnam vim, Christi beneficio habent, sed etiam ad æternam salutem promerendam atque comparandam. Et disputatio quidem de bonis operibus, postea suum peculiarem habebit locum. Nunc verò ideo hæc adscripsi, vt plane & perspicue intelligatur, quid sibi velit capitulum de acceptæ iustificationis incremento. Licet enim æquiocatione vocabuli iustificationis & iustitiæ, turbare conantur Lectorem, semper tamen iustificationi annexa est quæstio, quomodo Deo reconciliemur, ipsum habeamus placatum & propitium, adoptemur in filios, acceptemur ad vitam æternam. Cum igitur dicunt, in secunda iustificatione nos magis iustificari per opera nostra, quam in prima iustificatione, quæ gratis sit propter Christum, sine nostris operibus, certe sentiunt, Deum postea nobis magis placatum

esse, firmiter adoptare, & firmiter acceptare ad vitam æternam, propter nostra opera, quam prius propter redemptionem & meritum Christi.

Et Lectorem oro, vt totam hanc rem diligentius secum expendat. Paulus fortissime dimicat, nos gratis propter Christum, sine dignitate & merito nostrorum operum iustificari, hoc est, Deo reconciliari, & acceptari ad vitam æternam.

Illas sententias non possunt in vniuersum eradere: restringunt igitur ad vnicum momentum, quando homo primum ex impio fit iustus: vt in vno tantum, & primo illo momento primæ conuersionis, gratis propter Christum sine operibus iustificemur, postea verò per totam vitam in tentationibus, in agone mortis, & tandem ad vitam æternam iustificemur coram Deo, propter nostra opera, & quidem ita, vt maior, auctior & dignior sit altera illa iustificatio, quæ sit propter opera nostra, quam prima, quæ gratis propter Christum sit. Reducunt igitur in Ecclesiam figmentum illud scholasticorum, quod Christus primam tantum gratiam nobis promeruit, cuius auxilio, concurrente libero nostro arbitrio, ipsi postea nostris bonis operibus promereri possimus, vt Deo magis simus grati, & accepti ad vitam æternam, propter nostra opera.

Et breuiter, meritum condigni est Helena illa, de qua capitulum Tridentinum de incremento iustificationis pugnat. Fingunt enim ideo infundi qualitatem, seu habitum charitatis, non vt prima illa gratia habeamus salutem & vitam æternam, sed vt illa gratia adiuti, possimus nostris bonis operibus ipsi nobis promereri vitam æternam. De merito enim condigni, Gabriel ita loquitur: Anima gratia informata, per actum à voluntate simul & gratia elicitem, de condigno meretur vitam æternam.

Hæc tam grandia & enormia, comprehensa & abscondita sunt in capitulo illo, de acceptæ iustificationis incremento. Nec sane facile quis, nisi gnarus sit Theologiæ scholasticæ, si tantum scripturæ sententias, quæ in illo capitulo allegantur, consideret, talia animaduerteret. Sed habemus Andradij explicationes: quibus adhibitis, animaduertemus postea ex verbis capituli, plane illam ipsam mentem fuisse patrum Tridentinarum.

Quod autem hæc opinio aduersa quasi fronte pugnet cum scripturæ sententia, non est obscurum. Neque enim de principio tantum conuersionis loquitur scriptura, quando tradit: Nos gratia propter Christum, sine operibus iustificari coram Deo ad vitam æternam: vt illa iustificatio vnus tantum momenti sit: postea verò per totam vitam, vt salutem consequamur, per & propter opera nostra iustificemur. Nam Roman. 4. Paulus probat, Abrahamum fide gratis propter Christum sine operibus iustificatum, non in principio tantum conuersionis, sed tunc etiam cum renouatus per multos annos bonis operibus Deo obedisset, imputatur ipsi iustitia sine operibus, non operanti, sed credenti.

Et cum affirmat Dauidem dicere, hanc esse beatitudinem hominis, cui imputatur iustitia sine operibus, certe non potest de principio tantum conuersionis intelligi: hanc enim dicit iustificationem esse, vt ipsam tandem beatitudinem consequamur, vt scilicet iustitia nobis imputetur sine operibus.

Iustificatio prima.

Iustificatio secunda.

Rom. 5. extat illustris distributio. Prima de principio, per Christum habuimus accessum fide, in hanc gratiam, vt fide iustificati, pacem habeamus ad Deum. Secunda, de medio, in illa ipsa gratia, fide stamus. Tertia, de fine, illa ipsa gratia, fide gloriamur spe gloria Dei, hoc est, sicut fide accessum habuimus in gratiam, ita etiam speramus eadem fide & gratia, nos peruenturos ad glorificationem. Sicut igitur in principio, ita etiam in medio & fine, fide gratis propter Christum, sine operibus iustificari, pacem habemus apud Deum.

Philipp. 3. Paulus eodem modo per distributionem tradit doctrinam iustificationis, quæ fuerit sua iustitia coram Deo ad vitam æternam, scilicet, primò, cum ex Pharisaisimo conuerteretur. Secundò, tunc cum ad Philipenses scriberet. Tertio, quando occursum est ad resurrectionem mortuorum.

Num verò dicit aliam fuisse suam iustificationem in principio conuersionis, & aliam postea cum ex vinculis scriberet, vel quando occursum est ad resurrectionem mortuorum? Hoc certe non dicit, sed vnã & eandem iustitiam fidei, scilicet in principio, medio & fine describit.

Rom. 1. Habacuc non tantum dicit, iustus ex fide viuit: sed *homo* viuet: vna igitur & eadem est iustificatio, & in principio conuersionis, & qua tandem peruenimus ad vitam æternam. Reuelatur enim iustitia Dei in Euangelio, non ex fide in nostra opera, sed ex fide in fidem.

Act. 15. quæstio tractatur, an Gentibus proponenda sit iustificatio fidei sine operibus legis? Ne verò ad principium tantum conuersionis hoc restringatur, audi quam probationem Petrus afferat. Dicit: Gentibus siue conuersis, siue conuertendis, ita proponendam doctrinam iustificationis sine operibus legis, sicut nos Apostoli credimus, nos gratia Domini Iesu Christi saluari. Certe verò Apostoli tunc non erant in principio conuersionis, cum Petrus hanc sententiam pronunciaret, sed ad minimum intercesserant octodecim anni. Et tamen non dicit: Sicut nos credidimus: sed, Sicut credimus nos saluari. Et idem accommodat Petrus ad Patres iam defunctos, quod illa ipsa gratia, sine iugo legis saluati sint. Eandem igitur rationem iustificationis & salutis, Petrus tribuit principio, medio & fini.

Ita Christus dicit: Qui credit in me, habet vitam æternam. Ne verò de principio tantum conuersionis hoc intelligatur, coniungit hæc duo. Iohann. 6. Qui credit in eum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ita loquitur, Iohannis 3. & 5. Qui credit in Filium, non iudicabitur, non venit in iudicium. Eadem igitur est iustificatio ad vitam æternam, & in principio, & postea in resurrectione mortuorum, ne veniamus in iudicium.

Falsum ergo, & scripturis aduersum est dogma illud de differentia primæ & secundæ iustificationis. Et contumeliosum est in sanctissimum meritum Christi, asserere secundam iustificationem, quæ in nostris operibus consistit, maiorem, auctiorem, & digniorem esse apud Deum, quam primam, quæ solo Christi merito nititur, & quidem non primam, sed secundam iustificationem mereri vitam æternam. Quod verò incrementum iustificationis tribuunt simul obseruationi mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in loco de bonis operibus examinabitur.

DE FIDE.

DE NECESSITATE PRÆPARATIONIS ad iustificationem, in adultis, & vnde sit.

CAPVT V.

Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis, à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius Vocazione, qua nullis eorum existentibus meritis Vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eam excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, item gratia libere assentiendo & cooperando disponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abicere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit, vnde in sacris literis cum dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: libertatis nostra admonemur, cum respondemus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei gratia præueniens confitemur.

MODVS PRÆPARATIONIS.

CAPVT VI.

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuui, fidem ex auditu concipientes libero mouentur in Deum, credentes vera esse, qua diuinitus reuelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, qua est in Christo Iesu, & tamen peccatores se esse intelligentes, à diuina iustitia timore, quo subter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnium iustitiarum fontem, diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduersus peccata, per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet, denique proponunt suscipere Baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et: Timor Domini expellit peccatum. Et: Penitentiam agite, & baptisetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Et: Eant ergo, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcumque mandauimus vobis. Denique præparate corda vestra Domino.

QUÆ SIT IUSTIFICATIO IMPII, & quæ eius causa.

CAPVT VII.

Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, qua non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratia & donorum, vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vite æternæ. Huius iustificationis causa sunt: finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vite æternæ: efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit & sanctificat, signans & vngens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ: meritoria autem, dilectissimus & vngentissimus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici, propter vniuersam charitatem, quæ dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo patri largifecit: instrumenta talis item Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam iustificatio contingit: demum vnica formalis causa est, iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua & delictos ab eo donati, renouamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, quam Spiritus.

Spiritus sanctus paritur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperatorem. Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissima passionis merito, per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhaeret. Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hac omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur per fidem, spem & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitatem, neque vnit perfecte cum Christo, neque corporis eius vnum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, fidem sine operibus mortuam & ociosam esse, & in Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere, neque praputium, sed fidem, qua charitatem operatur. Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum, ex Apostolorum traditione catechizanti ab Ecclesia petunt, dum petunt fidem, vitam aeternam praestantem, quam sine spe & charitate fides praestare non potest. Vnde & statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Itaque veram & Christianam iustitiam accipientes, eam cum primam stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur statim renati conservare, & eam perseverant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam aeternam.

QUOMODO INTELLIGATUR, impium per fidem & gratis iustificari.

CAPVT VIII.

Cum vero Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesia Catholica consensus tenuit & expressit, & scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humana salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire: gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, qua iustificationem praecedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur. Si enim gratia est, iam non ex operibus, alioquin (ut idem Apostolus inquit) gratia non est gratia.

CONTRA INANEM HÆRETICORUM fiduciam.

CAPVT IX.

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa fuisse unquam peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est: cum apud hæreticos & schismaticos possit esse, imo nostratempore sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur una hac, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione, apud semet ipsos statuerent, se esse iustificatos, neminemque à peccatis absoluti ac iustificari, nisi eum, qui certo credat, se absolutum & iustificatum esse: atque hac sola fide, absolutionem & iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo plus de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispotionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fides, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.

PRÆDESTINATIONIS TEMERARIAM PRÆSUMPTIONEM cauendam esse.

CAPVT XII.

Nemo quoque quamdiu in hac mortalitate vivit, de ar-

cano divina prædestinationis mysterio & que adeo præsumere debet, & certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quod iustificatus, aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscenciam promittere debeat. Nam si ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

DE PERSEVERANTIÆ munere.

CAPVT XIII.

Similiter de perseverantia munere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit & que ad finem, hic saluus erit. Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum qui stat statuerent, nemo sibi certi aliquid, absoluta certitudine polliceatur: tamen in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut caput opus bonum, ita perficeret, operans velle & perficere. Verum tamen, qui se existimant stare, videant ne cadant: & cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in elemosinis, in orationibus & oblationibus, in ieiuniis, in castitate. Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriae, & nondum in gloria venati sunt: de pugna, qua superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia, Apostolo obtemperent, dicenti: Debitor sumus non carni, & secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

CANON III.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendum iustificationis gratiam se disponat ac præparet: nec posse dissentire, si velit: sed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, merique passivè se habere, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, opera omnia, qua ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementius quis nititur, se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum sua voluntatis motu preparari atque disponi, anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divina misericordia, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificantur, anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, ut credat certo & absque ulla hesitatione, propria infirmitatis & indispotionis peccata sibi esse remissa, anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, hominem à peccatis absoluti ac iustificari ex eo, quod se absoluti ac iustificari certo credat, aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, anathema sit.

CANON XV.

Si quis dixerit, hominem renatum & iustificatum, teneri ex fide ad credendum, se certo esse ex numero predestinatorum, anathema sit.

CANON XVI.

Si quis magnum illud & que in finem per seuerantia donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex specialis reuelatione didicerit, anathema sit.

EXAMEN.

Non adferemus huc omnia, quæ ad iustam de fide tractationem pertinent: sed de iis tantum, quæ instituta ratio examinis exigere videbitur, quædam annotabimus.

In Paulinis igitur Epistolis, præsertim ad Romanos & ad Galatas, in singulis ferme versibus, resonant illæ voces: Hominem iustificari fide, per fidem, ex fide, fides dicitur imputari ad iustitiam. Vocatur iustitia fidei, Roman. 4. Iustitia per fidem, Rom. 3. Iustitia ex fide, Rom. 10. Iustitia in fide, siue (quod significantius est) *ἐν τῇ πίστει*, Philip. 3. Iustitia per fidem, in omnes & super omnes, qui credunt. Roman. 3. Nos in Christum credidimus, ut iustificemur ex fide Christi, non ex operibus legis, Galat. 2.

Hæc quia manifestissima sunt, Pontificij negare non possunt. Varia igitur quærunt sophismata, ut cum vocabula fidei iustificantis, negare non possint, ipsam tamen veram, & consolationis plenissimam sententiam, peregrinis explicationibus Ecclesiis eripiant. Nec verò de variis aliorum sophismatis nunc dicemus, sed artificium Tridentini Concilij examinabimus. Et status disputationis in hac principali quæstione versatur: Quo sensu, & qua ratione fides dicatur iustificare.

Tria autem potissimum sunt capita, quæ examinanda erunt. Primò, de præparatione ad iustificationem. Hunc enim volunt sensum esse, quando Paulus dicit, iustificari hominem per fidem, quod fides sit fundamentum & radix iustificationis, hoc est, quia fides tantum initium sit iustificationis, per modum præparationis seu dispositionis. Secundò, quomodo scriptura describat fidem iustificantem, & in quam sententiam explicet, quando dicit hominem per fidem iustificari. Tertiò, de Pontificiorum dubitatione contra fiduciam & certitudinem fidei iustificantis, de remissione peccatorum iuxta promissionem Euangelij.

DE PRÆPARATIONE AD IUSTIFICATIONEM.

Hactenus in aliquot exemplis Lector animaduertit architectos Decretorum Concilij Tridentini, tali usus artificio ut priusquam institui possit, vel explicatio, vel refutatio, primum sit inquirendum, quid sit quod voluerunt dicere. Quia enim propositum ipsis fuit totam formam doctrinæ scholasticæ & suis Ecclesiis confirmare, & nostris rursus obtrudere, excogitandum fuit tale artificium, ne fraus illa primo statim aspectu à quibusvis animaduertetur: ideo terminos quidem, seu modos loquendi, qui sine scriptura in philosophicis scholasticorum officinis nati sunt, studiose in plerisque fugiunt, & declinant, res verò ipsas, sicut à Sententiariis traditæ sunt, simpliciter retinent, nisi quod fucum addunt vocabulis quibusdam ex scri-

ptura mutuatis, ut Lector, qui non est versatus in scholasticorum *καρὰ δὲ λέγεις*, sed tantum assuetus ad linguam Spiritus sancti, primo aspectu existimet, Concilium serio meditari reformationem aliquam doctrinæ scholasticæ ad normam scripturæ, cum audiat non tam frequentes ibi sonare solos terminos scholasticorum, sed adhiberi in quibusdam locis etià verba & phrasæ scripturæ. Sed postea in progressu, & ex rebus, & ex verbis longe diuersum, imò contrarium deprehenditur. Licet enim alicubi verba quædam ex scriptura mutuatur, faciunt tamen Babylonicam confusionem linguæ Spiritus sancti, & terminorum scholasticorum, iuxta dictum: Vinum tuum est mixtum aqua. Isa. 1. sinceritatem verò rerum ipsarum, sicut in scriptura traditæ sunt, prorsus adulterant.

Et huius artificij illustre est exemplum in capitulis de præparatione ad iustificationem. Omnino enim certus est siue modus, siue ordo, in verbo Dei nobis designatus & præscriptus, quo Deus vtitur, quando vult hominem ad iustificationem deducere, ut accipiat reconciliationem, remissionem peccatorum, adoptionem, &c. Et qui ad modum siue ordinem illum diuinitus præscriptum, non volunt se ductu spiritus accommodare, sed negligunt, & conuulcant illum: hi ad iustificationem non perueniunt: vult enim Deus à notitia & assensu verbi sui nos ordiri. Et ante iustificationem oportet præcedere contritionem, hoc est, seriam agnitionem peccatorum, pauores conscientia agnoscētis iram Dei aduersus nostra peccata, & dolentis propter peccatum, in qua contritione non retinetur, sed abiicitur propositum perseuerandi & pergendi in sceleribus. Ad hos verò terrores necesse est accedere fidem, quæ agnitione & fiduciam misericordiae Dei promissæ, propter filium mediatorem, rursus erigat & cōsoletur animum, ne oppressi desperatione, ruamus in æternum exitium: Sed fides accedat ad Deum, quærat, desideret, petat, apprehendat, & accipiat remissionem peccatorum. Et hoc modo seu ordine in verbo Dei designato, viam parari Domino, ut in ipso, per & propter ipsum, fide consequamur & accipiamus iustificationem, ipsa scriptura tradit. Ita enim vox clamat: Parate viam Domino, Isa. 40. Matth. 3. Marci 1. Luc. 3. Et de ministerio Baptistæ prædicantis baptismum penitentia, dicit Gabriel Lucæ 1. Parare Domino plebem præparatam. Huc etiam accommodari potest, quod Syracides capite secundo inquit: Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu eius humiliabunt animas suas. Incidamus potius in manus Domini, quam in manus hominum: secundum enim magnitudinem eius, sic & misericordia eius.

Si igitur hæc esset mens & sententia Synodi, quod simpliciter vellent monstrare illum, de quo iam diximus modum & ordinem, quo iuxta scripturæ traditionem Deus vtitur, quando homines vult deducere ad iustificationem, & si illa, quæ scriptura tradit præcedere, tribuerent non viribus liberi arbitrij, sed gratiæ Dei, & operationi Spiritus sancti nec in illis præparationibus cōstituerent meritum aut dignitatem, propter quam iustificemur: facile posset de vocabulo præparationis dextre, iuxta scripturam intellecto, conueniri.

Nam & Lutherus ab illo non abhorruit, inquit enim in 3. caput ad Galatas: Legem in vero suo officio esse ministram & præparatricem ad gratiam: quia

quia ad hoc proficit, ut gratia possit aditum ad nos habere. Imò dicit, legem in suo officio prodesse ad iustificationem: non quod iustificet, sed quia urgeat ad promissionem gratiæ, & faciat eam dulcem & desiderabilem, &c. Falsum igitur est, quod in 9. Canone nobis tribuunt, quasi doceamus, nullum plane motum voluntatis diuinitus donatum & excitatum, præcedere acceptionem iustificationis. Omnino enim docemus penitentiam seu contritionem præcedere: quæ sane non potest existere sine magnis, veris & seriis voluntatis motibus. Non autem dicimus, penitentiam seu contritionem præcedere tanquam meritum, quod sua dignitate cooperetur ad consequendam iustificationem, sed sicut sensus morbi aut dolor vulneris, non est meritum sanationis, sed urget & impellit ad desiderandum, quærendum & suscipiendum medicum. Sani enim non opus est medico, sicut Christus inquit, sed male habentibus.

Contritio non est meritum.

Longe verò aliud est, de quo insidiosè dimicant Tridentini patres, quando de præparatione ad iustificationem disputant. Et ne opus sit coniecturis agere, Osius in proluxa sua confessione, diserte illud explicat, dicit enim: Scholasticos meritum congrui inde extruxisse, quod apud veteres quosdam alicubi legatur: Peccatores, bonis operibus ante iustificationem factis, mereri remissionem peccatorum, & ipsam iustificationem. Quia verò contra meritum illud congrui, & ex scriptura, & ex patribus, præsertim verò ex Augustino, multa vere possunt opponi: dicit igitur Osius, Synodum Tridentinam maluisse appellare præparationes, vel dispositiones ad gratiam, quam meritum congrui. Et hoc Lector diligenter notet, Concilium scilicet Tridentinum idem intelligere vocabulo præparationis vel dispositionis, quod scholastici intelligunt, quando de merito congrui disputant. Nam & in illis ipsis scholasticorum disputationibus de merito congrui, ubique resonant vocabula præparationis & dispositionis. Ut igitur rectius examinari possint illa, quæ Tridenti de præparatione ad iustificationem decreta sunt: paucis repetenda sunt, quæ scholastici disputant de præparationibus seu dispositionibus ad gratiam, & de merito congrui.

Pantheologia ex sententia Thomæ ita disputat: Oportet esse aliquam præparationem, ad receptionem gratiæ, gratum facientis. Et ratio est: Nulla enim forma recipitur in materia, sine debita eius dispositione, sicut ignis non recipitur in ligno, nisi sicco & arido: nec scientia in homine recipitur, nisi à volente: & sicut in creatione animæ rationalis, quæ immediate à Deo producitur, natura disponit materiam ad animæ rationalis receptionem. Ad illam verò præparationem, dicit non requiri donum aliquod Spiritus sancti habituale, sed tantum auxilium diuinum, mouens & excitans liberum arbitrium: quod ita motum ex suis naturalibus viribus sufficiat ad eliciendum actum cõuersionis, faciendo quod in se est, ut ita per proprium actum se præparet, & disponat ad habendam gratiam. Efficaciam verò illius præparationis ad meritum, dicunt inde esse, quia vires liberi arbitrij per gratiam gratis datam moueantur & excitentur. Vnus igitur & idem est motus, inquit Thomas, quo liberum arbitrium disponitur, & quo gratia iustificationis infunditur: sicut in generatione naturali in eodem instanti vltima dispositio in materia alterationem terminat, & forma substantialis inducitur: ita

cum motu voluntatis, qui ad gratiam disponit, faciendo quod in se est, simul infunditur gratia iustificationis. Gabriel in 3. sententiarum, distinctione vigesima septima, ita disputat. Cuilibet facienti quod in se est, & per hoc sufficienter disposito ad susceptionem gratiæ, Deus infundit gratiam. Sed perfectissimus modus facienti, quod in se est, est diligere Deum super omnia, quod affirmat humanam voluntatem ex suis naturalibus posse. Huc igitur actum dicit esse immediatam, & vltimam dispositionem ad gratiæ infusionem, & illa dispositione existente in eodem instanti, infundi gratiam, quia in naturalibus subiecto disposito vltima dispositione ad formam, forma immediate infunditur.

Gabriel Biel.

In 4. sentent. distinct. 14. quæst. 1. dicit duplicem esse dispositionem ad gratiam, scilicet præuiam, quæ non est sufficiens, ut sunt primi actus considerationis peccati & offensæ Dei, qui disponunt ad eliciendum ex naturalibus actum, seu motum diligendi Deum super omnia: Concomitantem dispositionem vocat, cum qua simul est infusio gratiæ seu charitatis. Quando enim ex naturalibus elicitur actus dilectionis Dei super omnia, illa est immediata sufficiens, & vltima dispositio aptans ad gratiæ susceptionem, & ea existente, statim infunditur gratia, & ita actus ille meritorius est, sicut in physicis vltima dispositio necessitat ad formam. Quæstione secunda dicit: Sicut forma non inducitur in subiectum indispositum, & habens contrarium formæ inducendæ, ita necesse est subiectum præparari ad infusionem gratiæ, quæ sit formalis nostra iustitia coram Deo, hoc est, sicut Andradus meus explicat, est habitus animi diuina lege conformatus ad parendum diuinæ legi atque voluntati, virtutumque omnium officia obeunda inducens.

Duplex dispositio ad gratiam.

Et Gabriel dicit, hac gratia infusa, hoc est, habitu illo hominem dignum reddi gloria æternæ beatitudinis. Item per illam gratiam, hoc est, per habitum illum hominem acceptari ad vitam æternam, & per habitum tolli obligationem ad mortem æternam. Talis est scholasticorum præparatio seu dispositio ad iustificationem, tali etiam dispositioni respondens est ipsorum iustificatio.

De merito congrui ita loquuntur in compendio Theologiæ lib. 5. c. 11. meritum in genere est boni operis efficacia ad obtinendum id, quod non habetur, vel ad habendum iustius quod habetur. Meritum congrui est, per quod disponitur subiectum, ut possit recipere gratiam, secundum rationem diuinæ iustitiæ: iniuria enim fieret diuinæ iustitiæ, si daretur gratia, in quibus esset obex, hoc est, prorsus indignis.

Thomas inquit: Meritum congrui est, quod procedit ex libero arbitrio. Congruum enim est, ut dum homo virtute liberi arbitrij bene utitur, Deus secundum excellentiam misericordiæ suæ excellentis operetur. Et hoc merito congrui potest aliquis primam gratiam promereri. Cuius rationem Gabriel hanc assignat: Quia actum facientis, quod in se est, Deus acceptat ad infundendam gratiam, non ex debito iustitiæ, sed ex sua liberalitate. Huic liberi arbitrij operationi Thomas adiungit generalem influentiam Dei.

Compendium Theologiæ dicit gratiam gratis datam semper præsto esse, excitare & commouere liberum arbitrium, quod ita motum, quando natura-

turalibus suis viribus vititur, tunc facit, quod in se est, & tunc Deum infallibiliter infundere gratiam, hoc est, charitatem, qua accepti reddamur Deo, & postea eius operibus vitam æternam ex condigno promereamur.

Has Scholasticorum descriptiones, de præparationibus seu dispositionibus ad gratiã & de merito cõgrui adhibeat lector ad Decretum Concilij Tridentini de præparatione ad iustificationẽ, & agnoscat qualia mōstra decretum illud alat. Et vt eo minus sit dubitationis, interpres Concilij Andradius prolixè explicat in hanc sententiã intelligẽda esse, quæ de præparatione ad iustificationem tradũtur.

Facilis igitur & plana iam erit examinatio 6. & 5. capitulorum de præparatione ad iustificationẽ. Et obseruet lector insidias: verba enim cum aliqua mentione gratiæ diuinę, ita sunt posita, vt suspicari aliquis possit, Tridentinos patres nihil velle commune habere cum Scholasticorum opinionibus, de dispositione ad gratiam per opera non renatorum ex naturalibus liberi arbitrij viribus elicita. Num igitur reiiciunt & improbant illas opiniones? Nihil vero minus. Nam Canone 7. Anathema dicunt illis, qui negãt infideles per sua opera se disponere ad gratiam. Et suggillãt illam Lutheri sententiam, quod infidelis, quando operib. extra gratiam naturalibus liberi arbitrij viribus factis confidit se disponi posse ad gratiam, dupliciter peccet. Primo, quia omne quod non ex fide est, peccatum est. Secundo, peccatum grauius efficitur, quãdo illis operib. affingitur opinio meriti & fiducia, quod propter ea Deus daturus sit gratiam. Supra etiam ostendimus, quod Andradius, Tridenti scribens, operibus infidelium, non tantum ipsum meritum congrui sed longe & multũ plus vltra tribuat. Sed inquis: Multam certe gratiæ diuinę mentionẽ faciunt Tridentini patres, capit. 5. & 6. Respondeo: illud intelligendum est iuxta ea, quæ iam ex Scholasticis recitauimus, gratiam scilicet gratis datam excitare & commouere liberum arbitrium, quod ita motum ex naturali sua virtute possit elicere tales motus & actiones, quibus homo disponatur ad gratiam. Agnoscit igitur lector, quam insidiosus technis vsi sint architecti decretorum. Explicationes vero & refutationes Scholasticæ istius opinionis, supra in locis de libero arbitrio & de operibus infidelium traditę sunt. Pergamus igitur ad ea, quę sequuntur, quod scilicet ratione præparationis fides intelligenda sit iustificare. Canone enim 12. anathemate damnant, si quis fidem iustificantem intellexerit fiduciam diuinę misericordiæ, quærentem, apprehendentem & accipientem in promissione Euangelij remissionem peccatorum propter Christum mediatorem, & illa sola fiducia, nos coram Deo ad vitam æternam iustificari. Et cap. 8. suam sententiã ita explicant, vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur: quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis. Illud vero quomodo intelligi velint, copiosè declarant, cap. 6. de modo præparationis ad iustitiam. Et quo res planior sit, Andradius addit suas interpretationes. Dicit enim, iustificandi vim fidei in sacris literis ideo tribui, quia animum ad accipiendum iustitiã præparet, præmuniat & præfulciat. Et illud mox clarius explicat his verbis: Impius fide iustificari dicitur, quia fides initium & fundamentum est iustificationis hac ratione: quia fores quodãmodo aperit ad spem & charitatẽ, quæ

opera sunt ad comparandam & consequendã iustitiam necessaria. Fides igitur in Cõcilio Tridentino est initium & præparatio ad iustificationẽ, non quod apprehendat iustificationem, hoc est, remissionem peccatorum gratis propter Christum, in promissione Euangelij propositum, sed quia incitet liberum arbitrium ad eliciendos tales motus seu actus, qui ratione meriti cõgrui, necessarij sunt ad consequendam iustitiam, quam dicunt esse nouum voluntatis nostræ habitum. Et Scholastici sane, non dissimulant ex quibus lacunis lulentam istam opinionem hauserint. Sicut enim in Philosophia actio virtutis nascitur ἐκ προαιρέσεως, hæc vero oritur ex scientia: eodem modo Thomas philosophatur, Iustitia est habitus voluntatis: voluntas vero non fertur in incognitum, sed mouetur à potentia cognoscente. Ideo fidem sentit requiri ad iustificationem tanquam quoddã dirigenis voluntatem, vt eliciat motus spei & dilectionis, quibus ita præparetur & disponatur, vt de cõgruo mereatur infusionem iustificationis. Fidem igitur simpliciter intelligunt, historicam tantum notitiã, & nudum assensum, quo in genere cognoscimus & statuimus vera esse, quæ de Deo & voluntate eius reuelata sunt, non tantum in scriptura, verũ etiam in illis, quæ titulo traditionum proponuntur. Quomodo verò Tridentini in 6. capit. sentiat historicam illam notitiã, & nudum illum assensum incitare liberum arbitrium ad onera illa, quæ statuunt necessaria esse ad cõsequendam iustificationem, ex Gabrielis sententia exponam, quę extrat distinct. 14. lib. 3. quæstio. 2. Ita enim Lector rectius intelliget chimæram 6. capituli, de modo præparationis. Voluntas, inquit, in actibus suis præsupponit actus intellectus. 1. Oportet igitur actum fidei præcedere, quo apprehendatur peccati abominatio, & quod sit stipendium peccati. 2. Inde sequitur timor iræ Dei, & gehennæ incendij. 3. Inde peccata incipiunt displicere cum quadam detestatione. Et hæc est dispositio de congruo, non immediata, nec sufficiens, sed valde remota. 4. Fides cõuertit se ad considerationem diuinæ misericordiæ, & statuit Deum paratum remittere debita, per infusionem charitatis, illis qui sufficiẽter sunt præparati & dispositi. 5. Ex illa cõsideratione sequitur actus spei, per quem incipit Deum cõcupiscere, vt summum bonum. 6. Ex illo actu spei ascenditur ad diligendum Deum super omnia, ex naturalibus. 7. Ex illa dilectione elicitur alia displicentia & detestatio peccati, nõ ob timorem damnationis, sed propter Deum finaliter super omnia dilectum. 8. Istos actus sequitur propositum emendationis. Et hoc tandem est meritum congrui sufficiens, seu immediata, sufficiens & vltima dispositio ad infusionem gratiæ. Hos gradus præparationis seu dispositionis, eodem plane ordĩne & verbis non multũ mutatis lector videt recenseri in sexto capitulo, de modo præparationis. Audi vero, quid præparationibus illis tribuatur. Thomas vocat dispositionem aut præparationem necessitatis, quando ad vltimam dispositionem materię necessario sequitur & adest formæ introductio. Ita Gabriel inquit: Quando adest sufficiens & vltima hæc dispositio, in qua gratia commouet & incitat liberum arbitrium, quod deinde ex sua virtute elicit, & producit tales actus præparatorios, tunc demum necessitari ad infusionem gratiæ: quia statuerit facienti quod in se est, infallibiliter dare gratiam. Andradius

Fons huius dispositionis.

Gradus præparationis seu dispositionis.

hoc ita explicat, illis imperfectis motibus spei & charitatis animū ita præparari, ne iustitia sit prorsus indignus. Colonienses Iesuitæ præparationes illas ita declarant, quod Deus talem fidem cum cæteris actibus in homine inuentam, dignam ducat cui conferat iustificationem. Habemus igitur tandem, quid concilium illis suis præparationibus quærat, ut scilicet stabilietur meritū aliquod nostrum, & dignitas aliqua nostra, quæ necessaria sit ad consequendam iustificationem. Dicunt enim iustificationem nostram ita ininiti misericordię Dei, ut tamen salua sit iustitia diuina, ut scilicet non conferatur sine nostro aliquo merito, & sine nostra aliqua dignitate.

Scriptura vero docet, quicquid diuina iustitia ad iustificationem, hoc est reconciliationem peccatoris requirit, totum à Christo pro nobis impletum esse, ut quo ad nos mera sit misericordia, gratis nos iustificans sine nostris operibus, tantum ut in vera pœnitentia, miseriam nostram agnoscentes, gratuitum illud beneficiū fide gratis accipiamus, non per modum meriti aut dignitatis.

Attente igitur consideret Lector, quid illa verba sibi velint, quæ posita sunt in 7. ca. Homo Christo inseritur per fidem, spem & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque vnit perfecte cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit. Illud vero mox clarius explicat. Dicunt enim: Catechumenis fidem vitam æternam præstantem petentibus responderi: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Omnino alludunt ad disputationes de fide informi, & de fide formata, licet à vocabulis certo cōsilio sibi temperent. Fidem enim iustificantem nolunt intelligi fiduciam apprehendentem in promissione Euangelij, Christum mediatorem, cum toto ipsius merito: sed historicam tantum notitiam & nudum assensum intelligunt, quando fidem nominant. Et quia talis fides, quæ aliquando in impiis, imo in ipsis etiam diabolis inuenitur, Iacob. 2. non potest iustificare: cogitant igitur fidei adiungendum esse aliquid, quod maioris sit ponderis & meriti, charitatem scilicet, cuius dignitate homo acceptetur ad vitam æternam. Ut autem ratio examinis eo certior sit, addam Andradij interpretationem. Is igitur dicit: Opera spei & charitatis necessaria sunt, ad comparandam iusticiam. Et rationem addit: Quia illis operibus Christum perfecte apprehendimus. Contendit etiam ad iustificationem necessarium esse, ut Christus apprehendatur. Sed illum asserit, non sola fide, sed fide, spe & charitate simul apprehendi. Illud vero his verbis declarat: Plurimorum iustificationem epistola ad Hebræos fidei tribuit, non ob Christum solo intellectu, qui fidei sedes est apprehensum: sed quia fides, ad spei & charitatis egregia opera præclaros illos viros incitabat. Ita Noe fide iustificatus dicitur, quia fides amore Dei ipsum inflammavit. Quomodo vero Christus apprehendatur operibus spei & charitatis, Andradius ita explicat: quia scilicet illis operibus animus cumulate ad iusticiam præparatur, ne scilicet sit prorsus indignus, cui Christus se & merita sua communicet. Et dicit quidem in illis operibus non constituendam vim meriti, sed intelligit meritum condigni: præparationem vero intelligit, in eodem plane sensu, sicut Scholastici de dispositionibus & de merito congrui disputant, sicut supra hæc sunt explicata.

Et ipse Andradius, ut est apertus, sine dissimulatione se declarat. Disputans enim vtrum fidei vel charitati vel pœnitentię quæ ex fide oritur, primæ partes in hac præparatione deferendæ sint, tali vtitur syllogismo: Ea ad quippiam efficiendum potissimum valent, quæ ad illud augendum plus virium habent. Cum igitur iusticiam augere nullæ res magis quam charitatis officia possint: colligitur sane necessario, ea in animo ad iusticiam præparando, principem locum obtinere. Videt Lector, quod in cōclusionem dicere debuerat, (Ergo actiones charitatis, quæ iustificationem præcedunt, ad eam efficiendam potissimum valent.) illud vocat præparationem. Quid igitur intelligat, hinc manifestum est.

Hæc accuratius & prolixius aliquanto examinanda fuerunt, ut clare intelligi possit, ex quibus fontibus illa sint hausta, quid monstrant, & quod tendant, quæ in Concilio Tridentino, de iustificatione decreta sunt. Simpliciter enim nihil aliud sunt, quam repetitiones & confirmationes illarum opinionum, quas Scholastici scriptores ex Philosophia & Theologia male & infeliciter dilutas in Ecclesiam inuexerunt: nisi quod mutatis aliquantulum terminis scholasticorum quæsitæ sunt vocabula quædam ex Scriptura, quæ ad præsumptas illas, ex Philosophia opiniones, intorquerentur, ne fraus statim appareret. In disputatione enim, de præparatione ad iustificationem, ex professo, sicut ostendimus, repetunt & confirmant opiniones de merito congrui: In capitulo de iustificatione stabilunt Scholasticorum disputationes, de gratia gratum faciente, hoc est, de qualitate seu habitu charitatis, qua fingunt hominem Deo acceptum reddi & dignum vita æterna. Vbi vero de incremento acceptæ iustificationis loquuntur, nihil aliud agunt, quam ut meritum condigni restituant, hoc est, ut renati suis operibus de condigno sibi mereantur vitam æternam. Atque ita tota lerna & colluies Theologiæ Scholasticæ mutatis tantum vocabulis Ecclesiæ per concilium rursus obtruditur. Quam insidioso autem artificio meritum congrui sub disputatione, de præparatione ad iustificationem occultarint, aliquanto pluribus ostendendum fuit. Verum enim est, ordiendum esse à notitia & assensu verbi Dei. Verum est, oportere præcedere aliquam contritionem. Verum etiam est, quod Ambrosius dicit: Neminem recte posse pœnitentiam agere, nisi qui sperauerit indulgentiam: verum etiam fidem non esse mortuam vel ociosam, sed efficacem per charitatem, nullum est dubium. Quid igitur, inquis, vix habet Decretum illud? Respondeo: fidem intelligi volunt. 1. Historicam notitiam & nudum assensum, ita ut negent esse fiduciam diuinæ misericordię peccata remittentis propter Christum. 2. Fingunt gratiam diuinam tantum mouere & excitare liberum arbitrium, quod deinde ex naturalibus suis viribus possit illa præparatoria inchoare & præstare. 3. In illis præparationibus constituunt aliquod meritum & aliquam dignitatem, cuius intuitu iustificemur. Fidem enim dicunt debere statuere, quando homo facit quod in se est, tunc Deum necessitari ad infundendam gratiam. 4. Quod proprium est fidei apprehendere scilicet Christum ad iusticiam & salutem, illud tribuunt nostræ charitati. Et ordinem in Scriptura monstratum simpliciter inuertunt. Fingunt enim dilectionem Dei in nobis debere præcedere reconciliationem cum Deo, cum impossibile sit

Tridentina
decreta quod
sibi velint.

Fides iustificans
quid Pa-
pisti.

fit inchoari veram dilectionem Dei, nisi prius audita & fide apprehensa voce Evangelij de reconciliatione per misericordiam Dei propter filium mediatorem. Hæc certe, vt de Scriptura iam non dicam, cum Augustino non conueniunt, qui hanc perpetuo regulam inculcat: Bona opera non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum.

Hoc sit simplex examen decreti Tridentini de præparatione ad iustitiam, & quo sensu intelligi velint, quando Paulus dicit impium fide iustificari. Refutationem vero & explicationem in sequenti capite tractabimus. Quædam vero pertinent ad locum de poenitentia.

QVID VERE ET PROPRIE SIT FIDES iustificans, & quo sensu Scriptura velit intelligi, quando pronunciat impium fide iustificari.

Omnino necessaria est vera & genuina explicatio, quid sit fides iustificans, & quo sensu intelligendum sit, quando Scriptura tradit hominem iustificari per fidem. Est enim fides instrumentum seu organum illud, per quod in voce Evangelij misericordiam Dei remittentis peccata, & acceptantis nos propter filium mediatorem ad vitam æternam, quaerimus, apprehendimus, recipimus, & nobis applicamus. Et hinc fit, quod diabolus tam hostiliter infensus est doctrinæ de fide. Quia enim decretum Dei de redemptione generis humani non potuit impedire: omne igitur suum artificium eo confert, vt organon applicationis vel eripiat, vel labefactet, vel deprauet. Nouit enim id quod Heb. 4. scriptum est: Verbum Dei auditum non prodesse illis auditoribus, quorum fidei non est admixtum. Quia qui non crediderit, condemnabitur.

Breuitatis autem & ordinis gratia in quaestiones aliquot explicationem distribuam. Et prima quaestio erit de obiecto, circa quod fides iustificans proprie & principaliter versatur. Habet enim fides, in Scriptura siue in verbo Dei, suum proprium, peculiare & certum obiectum, quod ita respicit & intuetur, vt in eo quaerat, apprehendat, accipiat, & sibi applicet illud, cuius respectu, merito & dignitate, credens coram Deo iustificetur, hoc est, accipiat remissionem peccatorum, reconcilietur Deo, accipiat adoptionem & acceptetur ad vitam æternam. Sicut enim fides est organon, quo nos apprehendimus & accipimus gratuitam misericordiam Dei remittentis peccata, adoptantis nos & acceptantis ad vitam æternam: ita Deus certum constituit organon seu instrumentum, per quod offert, distribuit, communicat, & applicat creditibus reconciliationem, remissionem peccatorum, & vitam æternam. Et sicut meritum Christi non potest apprehendi ad iustitiam & salutem, nisi per organon fidei diuinitus ad hoc ordinatum: ita si fides alicubi, quam in suo proprio & principali obiecto, quaerat iustificationem, non inuenit, nec accipit illam. Vtrunque igitur ex firmis & perspicuis Scripturae testimoniis certo constituendum est: non enim sine periculo & pernicie salutis & iustitiæ in altero horum erratur: & ideo hæc fundamenta subruit diabolus, quando doctrinam iustificationis conatur labefactare & euertere. Ne autem explicatio illa sophisticis confusionibus turbetur, per diuisionem seiungenda sunt illa quæ à ratione fidei iustificantis diuersa sunt.

Est enim fides miraculorum, 1. Cor. 12. sed multi tales audient in illa die, Non noui vos, discedite à me. Est fides mortua, Iacobi secundo. hypocritica seu ficta, 1. Timoth. 1. Et mortuam fidem non iustificare extra controuersiam est: & est historica tantum notitia, externa tantum professio fidei, Epicuræ persuasio de impunitate omnium scelerum, &c. Hæc igitur à fide iustificante, quæ vera & viuua est, seiungenda sunt. Pontificij enim confusione illorum veram explicationem turbant, obscurant & deprauant. Est autem fides quædam generalis, quæ complectitur in genere historicam notitiam eorum, quæ in scriptura à Deo proposita sunt: & generalem assensionem, qua statuimus ea, quæ in verbo Dei nobis reuelata sunt, vera esse, non propter argumenta rationis: sed quia certi sumus à Deo, qui verax & omnipotens est, illa tradita & proposita esse. Et hæc quidem generalis fides, quia etiam in impiis esse potest, per se non iustificat: Fides tamen iustificans, generalem illam fidem præsupponit & includit. Quando enim generale illud fundamentum, statuens vera & certa esse, quæcunque diuinitus in verbo Dei patefacta sunt, non adfuerit, vel vacillauerit, nec concipi potest, nec in lucra retineri, fiducia promissionis diuinæ misericordiae remittentis peccata propter Christum.

Articulus etiam redemptionis, iustificationis seu reconciliationis, non potest recte intelligi, nisi præcedente notitia reliquarum partium verbi Dei. Quando igitur dicimus proprium & principale obiectum fidei iustificantis esse promissionem gratuitam misericordiae Dei propter Christum mediatorem, non subtrahimus fidem reliquis articulis seu partibus verbi Dei: Sed sicut summa, finis & scopus totius Scripturae est Christus mediator, Lucae 24. Ioan. 5. Rom. 10. Hebr. 10. Ita fides, quando vniuerso verbo Dei assentitur, respicit ad scopum & finem Scripturae, Christum scilicet in officio mediatoris, sicut Augustinus fidem Christianam à fide daemonum discernit per vltimos articulos: Credo remissionem peccatorum, corporis resurrectionem & vitam æternam.

Propter hanc causam, & in hanc sententiam, nostri in definitione fidei iustificantis addunt hanc particulam. Fides est assentiri vniuerso verbo Dei nobis proposito, & in hoc promissioni gratuita reconciliationis donatae propter Christum mediatorem. Neque enim probamus Apellis Marcionitæ opinionem, qui apud Eusebium disputat, non nocere si quis reliquis partibus verbi diuini, quæ ad fundamentum pertinent, vel profus non credat, vel prauè credat, modo in Christum crucifixum credat.

Hoc igitur modo fides iustificans, præsupponit & includit fidem illam generalem. Quæstio autem est, quod sit proprium & principale obiectum, quod fides iustificans in vniuerso verbo Dei ita intuetur, vt in eo quaerat, apprehendat, & accipiat reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, adoptionem & vitam æternam. Et ex enumeratione principalium partium verbi Dei, explicatio huius quaestionis non est obscura.

Primo enim in historia de annis Mathusalem, de ædificatione turris Babel, & similibus historiis, fides directe, nec quaerit nec inuenit remissionem peccatorum: imo nec historia τὸ ἐξήμερον creationis docet, quomodo à peccato, ira Dei, & à morte æterna liberemur. Et vbi illa non traduntur vel offeruntur.

Fides est organum quo fideus accipitur à Deo. Diabolus est hostis doctrinae de fide.

Obiectum fidei.

Fidei iustificantis proprium obiectum.

Diaboli artificium.

offeruntur, ibi fides non debet ea querere, nec si quaerit, poterit ea ibi inuenire.

Secundo, in illa parte verbi Dei, quæ arguit peccata, & comminatur pœnas temporales & æternas, fides non potest querere & inuenire reconciliationem & remissionem peccatorum. Fides enim in verbo, nõ debet aliud querere, nec potest aliud inuenire & accipere, quã quod verbum monstrat, docet & offert. Quomodo igitur ibi quaereret & inueniret reconciliationem & remissionem peccatorum, ubi verbum iram & maledictionem Dei denunciat.

*Promissiones
legis quales.*

Tertio, quia illa pars verbi diuini, quæ præcipit obedientiam, & præscribit opera, habet promissiones iustitiæ, benedictionis & vitæ, Rom. 2. Deut. 30. Luc. 10. Videtur in illo obiecto fidem debere querere iustificationem: proponit enim promissiones vitæ. Sed Paulus hanc quaestionem ex professo explicat. Dicit enim legem promittere vitam nõ credentibus, sed facientibus, Roma. 4. & 10. Gal. 3. Ita vt peccator sentiens peccata sua, & iram Dei, non possit in legalibus promissionibus humili & suppliciter fide, inuenire remissionem peccatorum, reconciliationem, & vitam æternam. Illæ enim promissiones non gratis ex gratia seu misericordia credentibus talia offerunt: sed exigunt, vt afferamus opera satisfactantia legi. Qui fecerit hæc viuere in eis, Rom. 10. Gal. 3. Et Rom. 4. Operanti merces imputatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum. Fides autem secundum gratiam, sine operibus, quaerit & accipit promissionem hæreditatis, ideo Gal. 3. Paulus dicit, Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea viuere in eis. Et quia promissionibus legis annexa est cõditio perfectæ impletionis: ideo fides, nec potest nec debet statuere, quod propter opera nostra, quæ propter carnem imperfecta sunt in promissionibus legis inuenire possimus iustitiam, benedictionem & vitam: quia maledictus qui nõ in omnibus permanferit. Et qui in vno offenderit, reus est omnium. Sine lege igitur reuelata est iustitia Dei, per fidem Iesu Christi, super omnes qui credunt. Ro. 3. Itẽ exclusa est gloriatio, non per legem factorum, sed per legem fidei. Et Rom. 4. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides & abolita promissio. Supra autem in loco iustificationis ostendimus, Paulum, quando de operibus legis disputat, non tantum de operibus liberi arbitrij loqui: sed de operibus Abrahæ & Dauidis, hoc est, renatorum. Verum igitur & proprium obiectum fidei iustificantis, in quo querere debeat reconciliationem & remissionem peccatorum, non est doctrina de bonis operibus & de remuneratione bonorum operum. Paulus enim iustis disputationibus hoc negat in Epistola ad Romanos & Galatas.

*Obiectum fidei
iustificantis
proprium.*

Firma autem & perspicua sunt Scripturæ testimonia, quæ docent & affirmant promissionem, quæ est Euangelij propria de gratuita misericordia Dei propter filium mediatorẽ remittentis peccata, adoptantis & acceptantis credentes ad vitam æternam, esse verum, proprium & principale obiectum fidei iustificantis, in quo quaerat, apprehendat & accipiat iustificationem, hoc est, reconciliationem cū Deo, & remissionem peccatorum, Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius. Ro. 4. Non operanti, credenti autem in eum qui iustificat impium, imputatur fides eius ad iustitiam, sicut & Dauid inquit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Item: Ideo non ex lege, sed ex fide & secundum gra-

tiam, vt firma sit promissio. Item scriptum est propter nos, quibus imputabitur ad iustitiam, credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram, Ro. 10. ex professo describens fidei iustitiam, obiectum eius constituit mortem & resurrectionem Christi, quod verbo vocat, Euangelium euangelizans pacem. Act. 10. Christo, qui mortuus & resuscitatus est, omnes Prophetæ testimoniũ perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Item: ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sed nõ est opus omnia loca adscribere. Hæc enim quæ annotauimus ostendunt, permittere huc omnes Scripturæ sententias.

Primo, Quæ loquuntur de gratuita misericordia, dilectione, gratia, benignitate, beneplacito, &c. Dei patris mittentis filium, eligentis, vocantis, reconcilians, adoptantis, acceptantis ad vitam æternam credentes, &c.

*Scriptura lo-
ca ad obiectum
fidei iustificantis
in pertinentia.*

Secundo, Quæ sententiæ loquuntur de officio mediatoris, in incarnatione, cruce, passione, resurrectione, ascensione, sessione ad dextram.

Tertio, Quod Spiritus sanctus illa beneficia proponat, offerat, distribuatur, applicet, obsignet fide per verbum Euangelij, & per Sacramenta à filio Dei ad hoc instituta. Quarto, Pertinent huc etiam plurimæ Scripturæ sententiæ, quod ex misericordia Dei propter Christum mediatorẽ, fide accipiamus & habeamus gratuitam reconciliationem, remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ, acceptationem coram Deo ad vitam æternam, adoptionem, liberationem à lege peccati & mortis, liberationem ab execratione legis, propitiationem pro peccatis, pacem, gaudium, spem gloriæ Dei, hæreditatem salutis & vitæ æternæ, &c.

Hæc de vero, proprio & principali obiecto fidei iustificantis, in quo iustificationem querere debeat & accipere possit: firma & perspicua habent in Scriptura testimonia.

Et valde multum interest ad conseruationem puritatis doctrinæ de iustificatione, tenere verum & proprium illud obiectum fidei iustificantis. Obseruet autem Lector, quod Tridentini Patres, cum de causa instrumetali disputant, per quam Deus proponat, offerat, distribuatur, cõmunicet & applicet credentibus beneficia iustificationis: nominant tantum Sacramentum Baptismi, nulla facta mentione verbi seu promissionis, quæ Euangelij propria est, cum Scriptura, verbum & Sacramenta in hoc officio coniungat. Pronunciat enim Euangelium esse ministerium Spiritus & vitæ, 2. Corin. 3. Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. Et 2. Cor. 5. Paulus dicit quod Deus qui mundum sibi reconciliat non imputans peccata ipsorum, dedit Apostolis ministerium reconciliationis. Item quod verbum reconciliationis in ipsis posuerit, & Sacramenta nihil aliud sunt, quam sicut Augustinus eleganter dixit, visibile verbum. Neque enim Baptismus est separatum aliquod opus operatum, præter & extra promissionem Euangelij, sed est sigillum iustitiæ fidei. Et Ephes. 5. Paulus coniungit Baptismum & verbum. Dicit enim: Mundans Ecclesiam lauacro aquæ in verbo. Neque etiam semel tantum in hac vita, quando scilicet baptisamur, Deus nobis

bis offert, communicat & applicat beneficium iustificationis. Non igitur caret artificio Romanesi, quod solum Sacramentum Baptismi, non facta mentione verbi aut promissionis Euangelij, causam instrumentalem constituunt iustificationis: sed in loco de Sacramentis plenior forsitan erit de his dicendi occasio.

In 6. cap. obseruet Lector, quod ipsa vis veritatis extorqueat ipsis hæc verba, quod dicunt, Fide credere vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius. Sed cum hæc verba sonent, rem ipsam interim non obscure deprauant. Fingunt enim fidem debere statuere, quando habemus gratiam, hoc est habitum charitatis, quod propter illam simus Deo accepti & digni vita æterna. Atque ita fidei iustificanti, verbis quidem concedunt, re ipsa vero suffocantur & eripiunt verum & proprium eius obiectum, quod scilicet in gratuita misericordia Dei, peccata remittentis propter Christum mediatorem quærere debeat iustificationem. Et obiectum illud trāsferunt in dignitatem qualitatum hærentium in nobis. Manifestum igitur est, quam sit vrile & necessarium, ex firmis & perspicuis Scripturæ testimoniis constituere & confirmare, quod sit verum, proprium & principale obiectum fidei iustificantis. Variis enim sophismatis insidias struntur veritati in hac disputatione.

Res autem ex Scripturæ testimoniis sicut ostendimus plana est, nisi quod illa obiectio, non admodum turbare posset, quod Heb. ii. per totum caput describuntur varia obiecta fidei. Vt articulus creationis, diluuium, occultatio Mosis, transitus maris rubri, casus murorum Iericho, calamitates sanctorum, prælia Iudicum, Regum Iuda, &c. Et in Euangelica historia, ubi fides multum commendatur, plerumque describuntur obiecta externa.

Hac obiectione Pontificij vtuntur, vt cōtra manifesta Scripturæ testimonia aliqua specie disputare possint. Promissionem gratuita misericordiae propter Christum mediatorem nō esse proprium & principale obiectum fidei iustificantis. Illud vero ideo disputant, vt probent fidem, vim & virtutem iustificandi non habere ex suo obiecto; quod apprehendit, sed eam à charitate mutuari. Neque enim fides ideo iustificat, quia intellectu apprehendit casum murorum Iericho: aliam igitur præstantiorem virtutem, charitatem scilicet, docent adiungendam esse fidei, cuius dignitate formetur: & ita iustificet. Sed simplex & vera est huius obiectionis explicatio. Non negamus, varia esse fidei obiecta, imo fidem in genere versari circa omnia illa, quæ diuinitus in verbo Dei reuelata sunt. Sed iam est quæstio, quodnam illud sit obiectum, in quod fides iustificans proprie & principaliter intuetur, quando vult quærere, inuenire, apprehendere & accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, adoptionem, &c. Fide trāsferunt mare rubrum, Heb. ii. Sed non in omnibus illis beneplacitum fuit Domino, 1. Cor. 10. Ita in decem leprosis fides apprehendit obiectum externæ sanationis, sed vni tantum Christus dicit, Fides tua te saluum fecit.

Aliter igitur Scriptura loquitur de obiecto fidei in genere: aliter vero constituit illud obiectum, cuius respectu & apprehensione, fides coram Deo iustificat ad vitam æternam, sicut supra ostendimus. Alia deinde est quæstio de exercitiis fidei in cruce, in obedientia, in petitione, & expectatione rerum

corporalium & spiritualium, postquam persona iam fide reconciliata est.

Et de hac quæstione disputat Epistola ad Hebræos, quomodo scilicet fides post acceptam iustificationem, per patientiam se exerceat, sicut status totius sequens disputationis ponitur in fine ca. 10. Et in illis exercitiis, quando fides versatur circa alia externa obiecta, vt firma & stabilis sit, expectatio, patientia, & obedientia, oportet tanquam fundamentum præsupponi & præluere proprium & principale illud obiectum, gratuita scilicet misericordiae Dei, promissæ propter Christum mediatorem. In cruce enim & inter scandala, quando præstanda est patientia, obedientia & expectatio auxiliij diuini circa alia obiecta, conscientia in primis, & ante omnia angitur de hac quæstione: An Deus mihi sit placatus, reconciliatus, & propitius. Et nisi fides iustificans ex proprio & principali suo obiecto, prius de hac quæstione statuatur, non potest esse verum, firmum, & stabile exercitium fidei circa alia obiecta. Quotquot enim sunt promissiones Dei, sunt *ἡ ἀγάπη* in Christo Iesu ad gloriam Deo per nos, 2. Cor. 1. Hoc est, promissiones de reliquis obiectis, tunc demum nobis sunt ratae, ita vt earum impletionem certa fiducia expectare possimus, quando fide in Christum, cum Deo reconciliati sumus. Et ita sunt nobis ratae, si earum impletio ad Dei gloriam, per nos illustrandam facit. Particula enim *ἡ ἀγάπη* significat asseuerationem certitudinis promissionum, *ἀγάπη* refertur ad expectationem ex certa fiducia eorum quæ promissa sunt.

Firmum igitur & fixum manet proprium & principale obiectum fidei iustificantis, cuius respectu & apprehensione iustificat, esse gratuitam promissionem misericordiae Dei remittentis peccata, adoptantis & acceptantis credentes ad vitam æternam, propter Christum mediatorem.

Et hæc est prima quæstio, de obiecto fidei iustificantis.

Altera quæstio est, quomodo & qua ratione fides iustificans circa illud suum obiectum versetur vt iustificet, scilicet nō frigida cogitatione, nō generali & superficiali assensione: sed ita vt agnoscat, intueatur, expetat, quærat, apprehendat, accipiat, complectatur, & singulis credentibus applicet in promissione Christum cum omnibus suis meritis, & in Christo misericordiam Dei remittentis peccata. Omnino enim accipere oportet Christum & promissionem gratuita misericordiae propter Christum illos, qui volunt iustificari: qui enim non accipiunt, non iustificantur, iuxta dictum Iohan. 1. Sui eum non receperunt: quotquot autem acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Duobus vocabulis vtitur *παρέλαβον* & *ἔλαβον*. Et notum est, quod in communi lingua Græca verbū *παραλαμβάνειν*, Demosthene explicatè significet id quod ab alio offertur & traditur ad se recipere. Hæc vero proprietatem & hoc officium, in promissione scilicet Euangelij apprehendere & accipere Christum, & in Christo misericordiam Dei ad iustitiam & salutem, Scriptura non operibus, non charitati, non aliis virtutibus, sed soli fidei tribuit.

Iohan. 1. Cum dixisset, Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: mox addit explicationem, qui sint qui Christum recipiunt, & quomodo accipiatur. Qui scilicet credunt in nomen eius. Et mox subiungit: Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.

Beneficium hoc
semper durat.

Locus Heb. ii.

Papistarum
confessio de
fide.

Iohan. 17. Verba tua dedi eis, & ipsi acceperunt & agnouerunt, & crediderunt.

Roman. 9. Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. Iustitiam inquam quæ ex fide est, Israel vero sectans legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Quare hoc? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Vtrumq; diserte ponit, Non operibus, sed fide apprehendi iustitiam Euangelij in Christo. Et quid vocabulo Fidei intelligat, mox sequitur. Omnis qui credit in illum, qui positus est in Zion lapis angularis, non confundetur.

Rom. 5. Propositionem, Fide iustificati pacem habemus, ita explicat: Accepimus reconciliationem, item accipientes abundantiam gratiæ & donationis iustitiæ, regnabunt in vita per Christum.

Gala. 3. Ut benedictio Abrahæ contingeret gentibus in Christo, ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Item: Scriptura conclusit omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Christi detur credentibus.

Colof. 2. Accepistis Iesum Christum Dominum nostrum, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide. Et in historia Euangelica multis exemplis ostenditur, fidei proprium esse, ut sit organo accipiens beneficia Christi: ut Matt. 9. cæcis clamantibus, Misere nostri Fili Dauid, Iesus dicit: Creditis me hoc posse facere. Et cum respōdissent, Credimus: tunc tangēs oculos illorum, dicit: Iuxta fidem vestram fiat vobis, ita Math. 13. & Marc. 6. In patria Nazareth non potuit vllam virtutem edere, propter incredulitatem illorum, & Marci 9. cum pater Lunatici clamaret, Siquid potes, subueni nobis misertus nostri. Respondet Christus, Illud, si potes credere, omnia possibile sunt credenti.

Ita Iohan. 6. Nisi credideritis, non habebitis vitam in vobis. Iohan. 3. Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Acto. 10. dicit Petrus: Huic omnes Propheta testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Rom. 3. Paulus dicit: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum. Item: Vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputiū per fidem. Ro. 10. Christus est finis legis, ad iustitiam omni credenti. Nec vero opus est plura testimonia coaceruare: natura enim gratuite promissionis Euangelij, requirit ut fide accipiatur, id quod etiam Gropperus in Colonienſi institutione fateri cogitur. Illa igitur potissimum testimonia nunc annotare volui, quæ expresse fidei hoc tribuunt, quod accipiat Christum, gratiam, iustitiam, reconciliationem, remissionem peccatorum, &c.

Tertia quæstio est: Quomodo, & qua ratione fides in promissione accipiat Christum, misericordiam Dei, reconciliationem, remissionem peccatorum, &c. Andradius meus, concilij sententiam explicans dicit, hoc ita fieri: quia fides incitet & inflammet animum, ad actiones charitatis, quibus animus ita præparetur & disponatur, ut non sit indignus cui donetur Christus cum suis meritis, misericordia Dei, reconciliatio, adoptio, & vita æterna. Ideo contendit Christum perfecte apprehendi non sola fide, sed simul etiam operibus seu actionibus spei & charitatis. Et spem ideo adiungunt, quia illam volunt partim nostris meritis, partim misericordia Dei niti. Sed hæc supra de Præparatione

ad iustificationem pluribus sunt explicata quæ nunc repeto, ut consideretur, quam necessariae sint veræ declarationes.

Scriptura vero tradit quidem, fidem parere bona opera: sed quando loquitur de acceptione iustificationis, hoc est, reconciliationis, non tantum nominat fidem, sed ex antithesi addit, Non ex operibus, non secundum opera. Et quidem Rom. 10. affirmat Israel, licet sectabatur legem iustitiæ, non peruenisse ad veram iustitiam coram Deo, propter hanc ipsam causam: quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Et Rom. 4. de Abrahamo, quando multis virtutibus à Spiritu sancto iam erat ornatus, loquens dicit, Non operanti, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides eius imputatur ad iustitiam: certe Abraham tunc simul & credebat & operabatur, fides vero imputatur ad iustitiam, non operanti, sed credenti. Idem etiam Dauidis testimonio probat, quod renatis, qui habent bona opera, iustitia fidei tamen imputetur sine operibus, Rom. 4. Quando igitur fides etiam renatorum agit coram Deo, de reconciliatione, adoptione & acceptatione ad vitam æternam, non affert & proponit Deo opera, dignitatem & merita, ut propter illa, persona digna iudicetur, quæ à Deo adoptetur & acceptetur ad vitam æternam.

Paulus enim 1. Cor. 4. inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Dauid precatur, Ne intres in iudicium etiã cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et Daniel inquit: Non in iustitiis nostris prosternimus preces nostras. Falsum igitur est organon, quo Christi meritum ad iustitiam accipitur esse simul & fidem & opera: ita quod fides primum efficiat opera, deinde ad Deum afferat & ipsi proponat bona illa nostra opera, ut propter ea reconciliemur, adoptemur & acceptemur ad vitam æternam.

Nam & renati agnoscunt in carne sua, non habitare bonum, sed peccatū, opera sua propter adherentem carnē, ut pote languida, impure facta & immunda, non esse talia quibus coram Dei iudicio ita possint consistere, ut propter illa persona iustificetur, hoc est, reconcilietur Deo, adoptetur & acceptetur ad vitam æternam. Fides igitur circumspicit & quærit, ut apprehendat obtineat, & ad Deum afferat aliam iustitiam perfectiorem & præstantiorē, qua consistere possit coram iudicio Dei ad salutem, & vitam æternam. Illa autē iustitia est Christus mediator fide apprehensus: Christus enim est impletio legis ad iustitiam omni credenti. Ro. 10. In tentatione siquidem & iuxta, quando mens vero obruitur pauore & metu iræ Dei: In illa certe cōsternatione fides non ita statuit: iam habeo charitatē, virtutes & merita, & propter illam dignitatē Deus me recipiet: Sed fides monstrat & intuetur filium Dei, factum victimam pro nobis, sedentem iam ad dexteram patris, & interpellantem pro nobis: ad illum confugit, petit, credit, & statuit propter hunc Pontificem nobis ignosci & donari reconciliationem, non propter nostras virtutes & nostram dignitatem. Et ita fides peccato nostro & damnationi nostræ opponit, non nostra opera & nostram dignitatem, sed meritum Christi. Habet igitur fides vim & virtutem iustificandi, non inde aut ideo, vel quod pariat bona opera, vel quod tam excellens in nobis sit virtus, tam præstans opus, aut tam digna actio nostra, sed correlatiue intelligitur propositio: Christus enim mediator in illo suo officio, est

est iustitia nostra. Ierem. 23. Rom. 5. 10. 1. Cor. 1. &c. & propter illum misericordia Dei recipit nos, remittit peccata, adoptat, & acceptat ad vitam æternam: Christum verò, eius meritum, misericordiam Dei, reconciliationem, &c. fide oportet apprehendi. Et quia fides facit nos illorum beneficiorum Dei participes: estq; velut manus nostra, quæ nobis applicamus & ad nos recipimus, complectimur & possidemus ea, quæ in gratuita promissione Euangelij offeruntur: propter hoc officium applicationis, fidei tribuuntur, quæ sunt meriti Christi, & misericordiarum diuinarum: qui enim non habent fidem, illi non fiunt participes beneficiorum Christi. Paulina igitur antithesis inter fidem & opera ostendet, fidem iustificare non hoc modo & hac ratione, quòd per opera faciat hominem dignum, cui donentur beneficia Christi. Sed humilitas agnoscit, & fatetur naturam esse immundam, & personam non dignam his tantis beneficiis: ex gratuita igitur misericordia Dei propter Christum mediatorem, fides quærit & petit illa.

Et quia in promissione per verbum & Sacramenta, Spiritus sanctus in ministerio monstrat, proponit, offert, distribuit, communicat & donat illa merita, & beneficia Christi: ideo fides non dubitat se apprehensione promissionis, illa verè accipere & possidere. Quibus verò motibus fides apprehendat & accipiat promissionem Euangelij, in veris fidei iustificantis exercitiis intelligitur. Ibi enim animaduertuntur tales motus & gradus, sicut in Scriptura describuntur.

Primò, Notitia seu scientia, cogitatio & meditatio promissionis Dei, de beneficiis Christi mediatoris, de misericordia Dei, de gratuita reconciliatione, &c. Luca 1. Esaiæ 53. Colos. 2. &c.

Secundò, Huic notitiæ oportet coniunctam esse assensionem, non quidem generalem tantum, sed qua firma persuasionem, quisq; credens statuatur vniuersalem promissionem p̄uatim ad se quoq; pertinere, se quoq; includi & comprehendere in vniuersali illa promissione. Rom. 4. Scriptum est non propter Abraham tantum, sed & propter nos, quibus imputabitur credentibus.

Tertio, Ex illa notitia & assensione cor seu voluntas per operationem Spiritus sancti, concipit desiderium, vt quia seriuò sentit, se oneratum peccatis & ira Dei, expetat, velit, quærat, petat sibi donari & communicari beneficium iustificationis, quod in promissione Euangelij proponitur, & illud fide apprehendit, vt ad se recipiat.

Quartò, Quando hoc modo à sententia damnationis, quæ per legem propter peccata nobis denunciat, fides confugit ad thronum gratiæ, & ad propitiatorium, quod pater cœlestis proposuit in sanguine Christi, accedit fiducia. Eph. 3. quæ ex promissione statuit, Deum tunc tibi donare, communicare, & applicare beneficia promissionis: & te hoc modo verè accipere ea, quæ gratuita Euangelij promissio offert, ad iustitiam, salutem & vitam æternam. Ex hac fiducia sequitur *παρηγορία* quæ habet accessum ad Deum, Ephes. 3. pax conscientiarum. Rom. 5. Gaudium spiritus. Roman. 14. vt cor acquiescat in promissione misericordiarum, etiam in cruce, in tentatione, in ipsa deniq; morte, retinens spem Gloriæ Dei. Rom. 5. Hæc in multis Scripturæ testimoniis & exemplis copiosè describuntur, quæ sigillatim adscribere studiū breuitatis præhibet. Volui autè per *ἀγάπην* aliquantò crassiorē, simplicem ta-

men & veram, gradus fidei iustificantis delineare: ita enim in seriis exercitiis, & in lucra, rectissime intelligi potest doctrina de fide iustificante.

Nec vitalem illam simplicitatem patiamur perturbari philosophica Pighij cauillatione, qui clamat, fidem esse chimæram, si simul in mente, & voluntate collocetur. Quæ enim subiectis differunt, realiter differunt. Sed respondemus. Primò, Quòd Scriptura philosophicas illas distinctiones non superstitiosè obseruet, sed simpliciter tribuat cordi notitias, fiduciam & affectus: sicut etià menti sæpe ea quæ voluntatis sunt, tribuit. Secundò, Quicquid sit de subiectis, hoc certum est, motus mentis & voluntatis sibi correspondere: vt qualis est notitia & assensio in mente, tales etiam motus plerumq; in voluntate sequantur & respondeant. Tertio, Quæstio illa iam dudum à Scholasticis explicata est. Bonauentura enim quærit, quomodo conueniat spem esse certam expectationem: cum certitudo pertineat ad mentem, expectatio ad voluntatem. Respondet autem de intellectu practico. Et addit, nullum esse inconueniens, vnum habitum ponere, & in ratione & voluntate.

Addenda autem est commonefactio, in singulis hisce gradibus, virtutem Dei in infirmitate perfici. Fides enim nec semper, nec in omnibus est lux ardens, sed sæpe linum tantum fumigans. Est enim fides magna, vt in Centurione, & in Cananæa: est modica, Matth. 14. imbecillis, Rom. 14. Et infirmitas fidei vel est in agnitione, Rom. 14. vel in fiducia, Matth. 9. Iustificat autem fides, non propterea quòd sit virtus tam firma & perfecta, sed propter obiectum, quod scilicet apprehendit Christum mediatorem. Quando igitur fides in obiecto non errat, sed illud inter trepidationes fiducia quantumuis languida apprehendit, aut apprehendere conatur & expetit: est quidem modica & infirma fides, vera tamen est fides. Et Paulus dulcissimas proponit consolationes in tali fidei infirmitate, Philip. 3. Apprehendo, imò magis apprehensus sum à Christo. Gal. 4. Cognouistis Deum, imò magis cognitis estis à Deo, modò oremus, Marci 9. Credo Domine, sed tu adiuua incredulitatem meam. Ex sensu etiam consolationis & gaudij spiritualis, non semper iudicari vel debet vel potest, an fides sit vera. Sensus enim ille non præcedit, sed sequitur fidem: & sæpe absconditur, & obruitur cruce & tentationibus. Ex verbo igitur iudicandum est ex fide.

Et hæc est breuis, simplex & vera explicatio, quid sit fides iustificans: & quo sensu Scriptura intelligi velit, quando tradit impium per fidem iustificari. Et ipsa antithesis illustris est refutatio commentorum Tridentini Concilij.

Postremò pauca quædam dicenda sunt de argumento illo, quod præcipuum est in decretis Concilij: beneficia scilicet Christi, ita sibi coherere, vt quando homo per remissionem peccatorum reconciliatur, simul etiam per Spiritum sanctum inchoatur sanctificatio & renouatio. Vnde volunt consequens esse fidem ad iustificationem in Christo, apprehendere non solam reconciliationem, sed simul etiam renouationem. Et clamitant, nec qui iustificationem constitutum in sola gratuita imputatione iustitiæ Christi, tollere & negare alterum beneficium Christi, sanctificationem scilicet & renouationem. Item cap. septimo, Homo cum remissione peccatorum, simul accipit etiam spem & charitatem. Ego non sola fides,

des, sed fides, spes & charitas simul iustificent. Et spe ideo in applicatione iustificationis adiungunt: dicunt enim, sine nostris meritis sperare, non esse spem, sed præsumptionem. Et Can. 11. dicunt: nos sola fide excludere charitatem, quæ renatis inhæreat. Hoc est vnicum & potissimum argumentum Concilij Tridentini, contra solam fidem, sola imputatione iustitiæ Christi iustificantem. Sed plana est responsio. Luculentam nobis iniuriam faciunt, quasi in iustificatis tollamus & negemus sanctificationem seu renouationem. Planè enim & clarè nostri docent, quòd reconciliatione sequatur renouatio, ita vt cum remissione peccatorum coniuncta sit donatio Spiritus, qui inchoat renouatione. Qui igitur fide propter Christum Mediatorem reconciliantur, in illis Spiritus sanctus inchoat sanctificatione seu renouationem. Sed cum Scriptura affirmamus, inchoatam nouitatem non esse illud propter quod accipiamus remissionem peccatorum, adoptemur & acceptemur ad vitam æternam. Ita enim nullo modo docemus, fidem iustificante esse solitariam, hoc est, talem persuasione, quæ sit sine pœnitentia, & nulla omnino pariat bona opera. Sed fidem quæ sine operibus ociosa & mortua est, dicimus non esse veram & viuam illam fidem quæ per charitatem efficax est, Gal. 5. Consideret autè Lector, qualis sit consequentia argumenti Tridentinorum. Fides viva nõ est solitaria, sine charitate, ergo non sola, sed vna cum charitate iustificat. Ergo e quæ simul adsunt, quæ cohærent & coniuncta sunt, vnum officium, & eandem omnia habebunt proprietatem? Simul ergo auribus & pedibus audiemus, oculis & manibus videbimus. Nulla ergo, erit vel sensuum, vel potentiarum animæ distinctio: quia homo simul illa accipit, & habet. Sicut igitur hæc & similia multa, etiam quando simul adsunt, rectè & necessarìo distinguuntur: ita nos reconciliationem & renouationem, fidem & charitatem non ita diuellimus, vt alterum tollamus & negemus: sed cuiq; suum locum, suum officium, & suam proprietatem tribuimus cum Scriptura: quæ solius fidei hoc proprium esse docet, apprehendere & accipere in promissione Euangelij, Christum ad iustitiam coram Deo ad vitam æternam. Et illam iustitiam fides non partitur inter Christum & nostram nouitatem seu charitatem, sed in solidum eam tribuit merito Christi.

Vera igitur fides apprehendit Christum: vera etiam fides non est sine operibus, Iacobi 2. sed per charitatem est efficax, Gal. 5. Quod autem fides iustificat & saluat, illam vim & virtutem non mutuatur, sumit & habet inde, quia per charitatem efficax est, & bona opera parit: sed quia Christum apprehendit, qui est impletio legis ad iustitiã omni credenti, Rom. 10. & non est in alio salus, Acto. 4. Alia verò questio est, qua nota & quo testimonio agnoscatur & deprehendatur, an sit vera & viuã fides: ne falsa & mortua opinione fictæ fidei nos seducam? In hac questione cum Scriptura dicimus: Illa fides valet, quæ per charitatem est efficax, Gal. 5. Et fides sine operibus est mortua, Iacobi 2. Et hoc sensu Apologia confessionis Augustanæ dicit, fidẽ quæ est sine bonis operibus, non iustificare. Item: Si quis dilectione abiecerit, etiam si habuit magnam fidẽ, tamen non retineat eam. Nec enim fidẽ aut iustitiam retinent illi, qui secundum carnem ambulant.

Hæc quæ in libello contra Iesuitas hoc sensu dixeram, Andradius ita deprauat, quasi sentiam

bona opera ad iustificatione & salutem esse necessaria: & addit; Si ita sentire & loqui cœperimus, sperare fore, vt breui ad Romanam Ecclesiã redeamus, & id ipsum cum Pontificiis sentiamus & dicamus. Et illud Lector hoc loco diligenter obseruet, qualem spem, & quantum robur Pontificij collocent in propositione de necessitate operum ad iustificationem & salutem. Ad me verò quod attinet, respondeo: virulentam & sycophanticam esse Andradij calumniam. Nunquam sensi, nunquam dixi hoc: sed profiteor & contestor, me serio improbare illas propositiones, quæ à quibusdam in nostris Ecclesiis sparsæ quidem, sed communibus suffragiis explosæ & refutatae sunt: scilicet bona opera ad iustificationem & salutem, ita esse necessaria, vt impossibile sit, quenquam sine bonis operibus saluari. Hæc enim gloria debetur vni & soli Christo, qui fide apprehenditur & accipitur: ita vt beatitudo sit eius hominis, cui Deus imputat iustitiam, sine operibus, Rom. 4. Nec tamen ociosa vel mortua fidei tribuimus iustificatione: sed dicimus fidem, si vera & viuã est, non esse ociosam, sed efficacem per charitatem. Viram autem quæ fides affert credentibus non mutuatur, aut accipit à charitate sed à Christo quem complectitur, qui est vita & salus nostra. Contra Pontificiorum igitur calumnias, & contra Epicureas persuasiones ex Scriptura, Apologia Augustanæ Confessionis proponit hanc notam veræ fidei, quod existat in vera pœnitentia, & quod sit efficax per charitatem. In questione verò, Quomodo fides iustificet: dicimus fidem vnicum mediatorum Christum apprehendere, ad iustitiam & salutem, sine nostris operibus.

In hac enim questione Paulus simpliciter proponit doctrinam iustificationis, sed addit multas & varias particulas exclusiuas: ne quid quæcunque specie aduatur, sed vt causa iustificationis nostræ, soli gratuita misericordie Dei remittentis peccata, meritum solius Christi mediatoris obedientie applicatio, soli fidei vendiceretur.

Sunt autem hæc ferme exclusiue particulae apud Paul. 1. vocabulum gratiæ, cum æquipollentibus, Eph. 2. Gratia saluati estis per fidem. & hoc non ex vobis. Ro. 11. Si ex gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia, non esset gratia. Tit. 3. Non ex operibus, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. 2. Timot. 1. Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia.

Psal. 70. Memorabor iustitiæ tuæ solius. Vbi propter maiorem emphasiu, affixum geminatur iustitiæ tuæ, solius tuæ.

Secundò, Particula gratis cum Synonymis, Roman. 3. Gratis iustificamur, ipsius gratia.

Rom. 6. Stipendium peccati mors est: sed *χαρισμα* Dei est vita æterna.

Ephes. 2. Non ex vobis *δωρον* Dei est.

Galat. 3. Si ex lege hæreditas, iam non ex promissione, Abrahæ verò Deus per promissionem *νεχαρισται*, gratuito donauit.

Tertiò, Nomen vnus Rom. 5. Gratia vnus hominis Iesu Christi, in plures abundauit. Regnabit in vita per vnum Iesum Christum: per vnus iustitiam in omnes: per vnus obedientiam iusti constituantur multi. Heb. 10. Vna oblatione consummat in sempiternum sanctificatos.

Quartò, Rom. 3. Sine lege. Gal. 2. Non per legem. Gal. 3. Non ex lege.

Quinto,

Quinto, Opera. Roman. 4. Sine operibus. Tit. 3. Non ex operibus. 2. Tim. 1. Non secundum opera. Ephes. 2. Non ex vobis. Philipp. 3. Non habens meam iustitiam. Rom. 11. Propriam iustitiam.

Sexto, Vocabulum imputationis, Rom. 4. Non operanti, sed credenti fides imputatur ad iustitiam. Imputatur iustitia sine operibus. Imputatur secundum gratiam, non secundum debitum.

Septimo, Remissio peccatorum. Rom. 4. David pronunciat beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus: Reati quorum remissæ sunt iniquitates. 2. Cor. 5. Reconcilias sibi mundum, non imputans ipsi peccata eorum.

Octavo, Vocabulum fidei. Rom. 3. Fide sine operibus. Eph. 2. Per fidem non ex vobis, non ex operibus. Rom. 3. Exclusa est gloriatio non per legem operum, sed per legem fidei. Act. 13. Ab omnibus a quibus non potuistis in lege iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Et Gal. 2. extat peculiaris exclusiua: Scientes quod ex operib. legis non iustificatur homo, nisi per fidem. Particulam enim εἰ μὴ & εἰ ἀν μὴ, excludere præcedentia membra, multa exempla Scripturæ ostendunt. Vt Apocalypsis 9. Dictum est locustis, ne læderent fœnum, neque omne vitide, neq; omnem arborem, nisi homines qui non habent signum Dei in frontibus. Apoc. 21. Non intrabit in ipsam omne prophanum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ. Marc. 13. De die illa nemo nouit, nec angeli, nec filius, nisi pater. Iohannis cap. 15. Palmes non potest à seipso fructum facere, nisi in vite manserit. Ibi est εἰ ἀν μὴ. Quarto Regum vigesimo secundo, Græci interpretes particulam aduersatiuā ὀνδρ reddiderunt per εἰ μὴ. quod alibi plerunq; reddunt per ἀλλ ἢ. Et in eadem significatione Exod. 4. vsurpant particulam εἰ ἀν μὴ, Sensus igitur Pauli Galat. 2. hic est: non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Christi. Et mox exclusiuam explicat, inquit: Nos in Christum credidimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

Hæ fermè sunt exclusiua, Paulo vsitata: quas in nostris linguis non possumus breuius & commodius efferte, quam per particulam Sola. Illa enim omnes exclusiua Pauli, vno quasi complexu significantissimè comprehendit, & auditoribus proponit. Et quia omnibus temporibus particula illa, in articulo iustificationis in Ecclesia semper vsitata fuit, sicut testimoniis ex omnium fermè Patrum scriptis ostendi potest: recepta est in Ecclesiis nostris, quando volumus omnes exclusiua Pauli breuiter complecti, quod dicimus: Sola misericordia Dei, sole fida, sola imputatione iustitiæ, solius mediatoris Christi, nos iustificari.

Et illam exclusiuam ita intelligimus, vt primò excludatur conditio meriti, seu dignitatis nostræ. 2. Vt causa reconciliationis adimatur nostris operibus seu virtutibus, & transferatur in solam gratiam Dei, propter meritum Christi mediatoris. 3. Vt ostendatur medium seu organon applicationis. Non enim operibus, sed sola fide apprehenditur, accipitur & applicatur gratuita promissio reconciliationis, propter Christum mediatoré. Reprehenduntur verò sicut apud Chrysostomum & Augustinum, ita & apud nos illi, qui particulas exclusiua ita intelligunt, quasi illi, qui sine pœnitentia in sceleribus perseverant & pergunt, mortua fide, hoc est, Epicuræa persuasionis impunitatis iustificentur. Neq; etiam solâ fidem intelligimus solâ noti-

tiam seu externam professionem dogmatum Ecclesiæ, qualis in multis hypocritis & impiis esse potest.

Hæc quæ prolixè à nostris explicata sunt, breuiter recito: vt manifestum fiat, quàm sycophanticis calumniis particula Sola in Tridentino concilio exagitetur & deprauetur: vt q; Lector intelligat, quando particula Sola, in illo sicut declarauimus sensu, damnatur, simul damnari omnes Exclusiua Pauli. Et hoc quærunt Pontificij, vt per particulam Sola, iugulent omnes Pauli exclusiua.

Et quia Andradius clamitat Lutherum per particulam Sola, intellexisse solitariam & mortuam fidem, adscribam locum eius in 15. capit. Genesis, vbi clâssimè explicat sensum huius exclusiua. Verba hæc sunt: Scio reliquas virtutes esse insignia dona Dei, scio fidem sine his donis non existere. Sed quæstio est, quid cuiusq; proprium sit. Tenes manu vacua semina. Non autem quærò, quæ cum quibus coniuncta sint, sed quæ sit cuiusq; propria virtus. Hic apertè dic, quid faciat sola fides: non cum quibus virtutibus coniuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem: hoc proprium solius fidei opus est. Reliquæ virtutes alias habent materias, circa quas versantur. Item: Scimus quod fides nūquam est sola, sed affert secum charitatem & alia multiplicia dona: neq; vnquam sola est, sed non ideo confundendæ res, & quod solius fidei est, aliis virtutibus tribuendum. Hæc Lutherus.

AN VERA FIDES IUSTIFICANS SIT, VEL fiducia, vel dubitatio de remissione peccatorum.

Lutherus in 41. cap. Genesis dicit: Etiam si nihil præterea peccatum fuisset in doctrina Pontificia, quàm quod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, iustas tamen haberemus causas cur ab Ecclesia infideli nos seingeremus. Et Gropperus etiam turpitudinem Pontificij istius dogmatis de dubitatione fidei iustificantis, non tantum agnouit, sed publicè improbauit. Extat etiam de hac quæstione duo aduersaria scripta Ambrosij Cathareni & Dominici à Soto, quæ ostendunt illis ipsis, qui Tridenti congregati fuerunt, non conuenisse de flagitioso isto dogmate, quod fides debeat esse dubitatio. Et propter hæc causam dicunt Titul. 9. cap. non simpliciter, sed ita constitutum esse, Contra inanem hæreticorum fiducia.

Hæc obseruatio, si rectè consideretur ostendet quo artificio compositum sit illud decretum, cuius tamen intentionem, finem & summam esse Andradius Tridenti in Concilio scribens, affirmat monachorum dogma de dubitatione quoquo modo retineatur, confirmetur & stabiliaur. Nec sanè nullæ sunt causæ, quare tam acriter Pontificij de retinenda dubitatione digladiantur: Intelligunt enim totam negotiationem Pontificiæ nundinationis hoc fundamento niti. Conscientia enim quærens certam aliquam & firmam consolationem, quando audit ipsam fidem, etiam quando in promissione Christum mediatorem apprehendit, debere dubitare de remissione peccatorum, cogitat se velle cumulare tam multa & tam varia opera, vt iuxta poetam, si non profiant singula, plura iuuent. Hinc vltra opera diuinitus mandata, electij cultus sine fine & modo excogitati fuerunt. Hinc vota, peregrinationes & inuocationes sanctorum, fraternitates, opera indebita, opera supererogationis, nundinatio

natio missarum, negotiatio indulgentiarum, & breuiter, tota illa lerna superstitionum Pontificiarum. Cumq; in agone conscientia in illis omnibus non inueniret certam & firmam consolationem: excogitatum tandem est purgatorium, & propositæ redemptiones suffragiorum post mortem. His regni sui vectigalibus timent publicani Pontificij. Vident enim fore, vt minuantur & intercitant, si homines ex verbo Dei doceantur, fidem esse fiduciam, quæ in promissione Euangelij inueniat, accipiat & possideat certam & firmam consolationem, de reconciliatione cum Deo. Hinc illæ lachrymæ: Hinc tentationes pro stabilienda dubitatione.

Sed audiamus, qualem fidem remissionis peccatorum Tridentini patres Ecclesiæ proponant.

Primò, Concedunt, quòd necessarium sit credere, peccatum non remitti, nisi gratis diuina misericordia, propter Christum. Illud verò inde sciimus credendum esse, quia doctrina Euangelij hanc promissionem fidei proponit.

Secundò, Mox verò addunt: Nemini tamen in sola fiducia & certitudine remissionis peccatorum suorum acquiescenti, peccata dimitti dicendum est. Fides igitur in Concilio Tridentino ita credit promissioni Euangelij, de gratuita remissione peccatorum propter Christum, vt tamen in ea certa fiducia acquiescere non auit: imò non verentur dicere nemini remitti peccata, qui iuxta promissionem Euangelij, in fiducia & certitudine remissionis peccatorum suorum acquieuerit.

Tertiò, Rationem adducunt, quia etiam apud hæreticos possit esse vana, & ab omni pietate remota fiducia.

Quartò, Addunt: Ne illos quidem qui verè iustificati sunt, debere absq; vlla omnino dubitatione apud semetiplos statuere se esse iustificatos.

Quintò, Dicunt non esse asserendum, neminem à peccatis absolui & iustificari, nisi eum qui certò credat, se absolutum & iustificatum esse. Sentiant ergo homines à peccatis absolui, etiam si non certò credant se absolutos esse: hoc est, docent absolutionem sine fide.

Sextò, Ponunt hanc declarationem, pios quidem in genere non debere dubitare de promissis Dei, de efficacia mortis Christi, de merito Christi, deq; Sacramentorum virtute: sed quod ad applicationem ad indiuidua attinet, quemlibet dum suam propriam indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere posse. Neminem enim scire posse certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.

Septimò, Anathemate damnant, si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certò & absq; vlla hæsitacione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa.

Hæc sunt capita, quæ de dubitatione contra fiduciam Tridenti decreta sunt. Andradius verò suo more, vt interpret Concilij, addit declarationem, quid sit quod vocant indispositionem: & quod toties damnât, si quis in sola fiducia remissionis peccatorum acquiescat. Ita enim inquit: Euangelium docet eos qui sincera fide & ardenti charitate Deum prosequuntur, consequi iustificationem: an verò ipse ea omnia habeam, quæ ad iustitiã comparandã sunt necessaria, Euangelium minimè asserit. Item: Fides quidem mea potissimum debet in Christo

querere, vt ego saluer: an verò eam operam ad iustitiam consequendam, quam oportebat adhibuerim, ex fide nõ accepimus. Iis enim solum censet à Deo tribui iustificationem, qui penitentia se, & charitatis actionibus ad illam suscipiendã præpararunt. Non autem constat fidei testimonio, an ea omnia quis præstiterit, quæ sunt ad iustitiam comparandã necessaria. Ego, inquit, nulla ratione dubito mihi ad iustitiam aditum patere, si sincera fide veraq; penitentia ad diuinã gratiã thronũ accessero. Sed an id verè & integrè aliquando præstiterim, constare rectè mihi nunquam potuit. Rationem verò hanc addit: Multa sunt peccata, ipsis etiã peccatoribus vsq; adeo occulta, vt illa internoscere nullo modo possint. Cùm igitur nemo scire possit, an aliquo sit crimine implicatus, cuius nulla sit ratione conscius: quomodo certò credere potest, iam se esse iustificatum? Et persuasionem esse minimè Christianam, sibi de consecuta iustificatione blandiri, probat illa Cypriani sententia: Nemo sic sibi blandiatur d. puro & immaculato corde, vt innocentia sua fietus, medicinã non putet esse adhibendam vulneribus, cùm scriptum sit: Quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Et quod leuiticæ scripserant: Fidelis firmiter quidem sperat vitam æternam, & quod magis est, confidit etiam: non tamen certò credit, sed dubitat, spes enim fallere potest. Ad illud responsurus Andradius, inquit: Spem habere aliquam dubitationem coniunctam & implicatam. Cùm enim spes, qua nobis vitam æternam pollicemur & nostris operibus, & maxime diuinæ misericordiæ & omnipotentis fidei: quippe quæ ex meritis & gratia proficitur: ita sit sanc, vt spes ita sit certa, vt semper cum metu & dubitatione sit coniuncta & copulata.

Hanc Andradij interpretationem, conferat Lector ad capita decreti Tridentini de dubitatione: & videbit, ex quibus lacunis, relicto viuo fonte, desperabunda illa dubitationis opinio deriuata sit. Qualis enim est iustificatio, talis etiam est fides in Pontificia Ecclesia. Primò enim verbis quidẽ tribuunt reconciliationem & remissionem peccatorum, misericordiæ diuinæ propter Christum: sed addunt, illam nemini communicari, conferri aut applicari, nisi qui operibus penitentia & charitatis ita se disposuerit, vt non prorsus indignus sit, in quem Deus beneficiũ iustificationis cõferat. Quia verò conscientia semper dubitat, an satis habeat talium operum, an satis digna sit eorũ præstantia, an sufficiens sit præparatio, an vere & integrè omnia illa penitentia & charitatis opera, quæ ad dignam & sufficientem præparationem requiri sentiant, præstita sint: necessariò sit, quòd ex hac doctrina anxie mentes in inuocatione, in tétatione, in luctu cum ira Dei propter peccata, in ipsa deniq; agone mortis, nunquã possunt inuenire certam & firmã consolationem, qua se possint sustentare & erigere, ne oppressæ desperatione ruant in æternũ exitium: quo enim magis conantur se hoc modo disponere & præparare, eo profundius in dubitationem immerguntur. Magis enim magisq; in ipso conatu agnoscunt & experiuntur insufficientiam, & indignitatem præparationum. Quod si verò de sufficientia & dignitate præparationis suæ præsumperint, incidunt in iudicium Pharisei, Lucæ 18. quòd scilicet Israel sectando legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenerit: quia non ex fide, sed quasi ex operibus: ita vtrinq; intercluditur & obstrui-

obstruitur via ad iustificationem, per Pontificias præparationes. Et iam lector ex Andradij interpretationibus intelligit, quid quæsitum fuerit Tridentinis illis præparationibus, ad iustificationem: ut scilicet tota fides remissionis peccatorum, dubia & incerta, hoc est, nulla redderetur. Ita enim Paulus loquitur Rom. 4. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, & abolita promissio.

Secundò, Tridentinum decretum inquit: Etiam si verè quis iustificatus fuerit, non tamen debere quèquam absq; vlla omnino dubitatione apud semetipsum statuere, se esse iustificatum. Nihil igitur nisi meras dubitationes continet doctrina Pontificia, siue versetur in præparatoriis, siue in causa principali iustificationis. Aduertat autem Lector, quã Andradius rationem reddat, dubitandum esse etiam si verè quis iustificatus sit: Quia, inquit, quædam peccata tam sunt occulta, ut illa internosci nõ facile possint: & inscrutabiles sunt cordis humani recessus. Cùm igitur nemo scire possit, ne forsan crimine aliquo sit implicatus, cuius nulla sit ratione conscius: semper dubium manet, an simus iustificati. Cyprianus enim dicit: Nemo sic sibi blandiatur de puro & immaculato corde, ut innocentia sua fretus, medicinã non putet esse adhibendam vulneribus: cum scriptum sit: Quis gloriabitur, mundũ se esse à peccato? Et Hieronymus inquit: Quod nobis interdum mundũ videtur, Dei oculis sordidum deprehenditur, hoc est, quia causam formale suæ iustificationis coram Deo, ad vitam æternam, constituunt in qualitatibus iustitiæ inhærentis: & verò propter legem peccati militantem in membris, nemo potest certò statuere, illas suas inhærentes qualitates tales esse, quæ miserum peccatorem possint gratum & acceptum facere, quæq; dignæ sint vita æterna: meritò ergò perpetuò de sua salute dubitant, qui hoc modo iustificari volunt. Et hoc est quod antea dixi, qualem iustificationem habent Pontificij, talem etiam docent fidem.

Qualis verò, Deum immortalem, est illa doctrina, cuius effectus, summa & finis est, ut anxie conscientiæ quærentes consolationem, coniciantur in perpetuas hæsitaciones & dubitationes, suæ cum Deo reconciliationis, remissionis peccatorũ, salutis & vitæ æternæ? Tales certè dubitationes, philosophia & quæuis ethnicorũ religio docere potest.

Ingenuè vero & rectè faciunt Pontificij, quòd hoc emblemata suæ theologiæ ipsi inscribunt, quòd sit doctrina dubitationis, quæ scilicet non possit conscientias monstrare & afferre veram, certam & firmam consolationem, qua in lucta tentationum se erigere & sustentare possint: sed quæ relinquat conscientias in tristissimis dubitationibus, quibus illas magis magisq; inmergat. Et sanè si aliud de doctrina sua prædicarent, & res ipsa & experientia argueret eos mendacij. Nec facile forsan nobis crederetur, si diceremus totam Pontificiã Ecclesiam nihil aliud esse, quàm officinam seu materiam dubitationis. Domesticũ igitur illud ipsorum testimoniũ de doctrina Pontificia recipimus, & nostro calculo approbamus: quòd scilicet doctrina concilij Tridentini de iustificatione, nõ possit conscientias verè credentium, afferre certam & firmam consolationem, in qua certa fiducia contra tẽtaciones acquiescere possint: sed quòd eas coniciat, detineat & relinquat in perpetuis dubitationibus. Fidei enim (sicut dicunt) potest subesse falsum: & spei (sicut Iesuitæ dicunt) proprium est posse fallere. Nec sanè

elogium hoc inuidemus doctrinæ Pontificiæ: imò addimus ex Paulo, eos qui hoc modo suis operibus præparari, & suis qualitatibus iustificari volũt, minus adhuc quàm par est facere: quòd saltè dubitãt de sua reconciliatione, adoptione, & acceptatione ad vitam æternam. Paulus enim non dubitauit, sed categoricè pronunciat, se in hoc quòd nihil sibi conscius est, non esse iustificatum. 1. Cor. 4.

Item qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: quia qui non in omnibus permanferit, maledictus esto. Gal. 3. Qui non ex fide, sed quasi ex operibus sectantur iustificationem, ad eam non perueniunt, Rom. 9. Euacuati estis, à Christi gratia excidistis, qui in lege iustificamini. Gal. 5. Qui igitur tali consolatione afferente dubitationem & desperationem delectatur, fruatur sanè ea: nec prætere potest, se deceptum esse: prædicant enim Pontificij suam doctrinam non afferre talem pacem conscientias, in qua tutò & certò acquiescere possint. Qui ergo vult de salute sua dubitare, amplectatur doctrinam Pontificiam: hoc enim est, quod de summa & fine doctrinæ suæ pollicentur.

Non autem hic consistunt Tridentini patres, sed ulterius progrediuntur, & decernunt: Neminem, etiam si vera fide credat, gratis diuina misericordia propter Christum peccata sibi remitti, debere certò statuere, se à peccatis absolui. Imò addunt: Qui credit peccata non remitti, nisi gratis diuina misericordia propter Christum, si in illa fiducia acquiescat, tunc & ideo peccata illi non dimitti. Huic verò blasphemias, propter gloriã Christi & conscientiarum consolationem resistendum est. Et insignis contumelia est, doctrinam cœlestem hoc titulo infamare, quòd sit doctrina & materia dubitationis in articulo de remissione peccatorũ. Idèd enim diuinitus patefacta est generi humano doctrina cœlestis, ideo proponitur in Ecclesia: ut verè credentes habeant certam & firmam consolationem, in qua contra omnes tentaciones tutò acquiescere possint, in promissione Euangelij de reconciliatione sua cum Deo, de adoptione & acceptatione ad vitam æternam. Sicut igitur libenter damus, & pleno ore confirmamus, Pontificiorum doctrinam de iustificatione esse officinam dubitationis & desperationis: ita pro fiducia gratuita reconciliationis cum Deo propter Christum mediatorem, omnino pugnandum est in Ecclesia. Hæc enim est doctrina Euangelij, & Ecclesiæ propria. Non autem proluxa oratione disputationis huius explicationem persequemur: sed fundamenta tantum, qua fieri poterit breuitate, notabimus.

Ut autem èd commodius illud fieri possit, primum paucis illa remouebimus, quorum confusione Pontificij callide & insidiosè statum disputationis coram imperitis transponere conantur.

Non igitur disputatio est de fide hæreticorum, qui falsas & blasphemias opiniones, pugnãtes cum fundamento amplectuntur & tuentur: Nec de Epicuræ persuasione, pollicente sibi in perseuerãtia scelerum impunitatem, quæstio est: illis enim non dubitationem, sed certam asseuerationem iræ diuinæ, nisi conuertantur proponimus: Qui talia agunt, non habent partem in regno Dei & Christi.

Fatemur etiam, veram fidem in hac carnis infirmitate non esse perfectam, sed sæpe tentari multis & variis dubitationibus: ita ut in tentationibus sæpe inter trepidaciones, valde languida sit fiducia. Docemus autem non indulgendum

dum dubitationi, sed perpetuò cum ea luctandū, & orandum: Credo Domine, sed tu opem fer incredulitati meæ. Item: Domine adauge nobis fidē. Monentur etiā iustificati ne fiducia misericordiæ Dei ad alendam & confirmandam securitatem & petulantiam carnis abutantur: illa enim semper freno timoris Domini coercenda & reprimenda est. Nec sanè quando respicimus ad infirmitatem nostram, ad novas nostras qualitates, seu virtutes, inde concipimus fiduciam, quòd Deo certò simus accepti ad vitam æternam: disertè enim cum Paulo fatemur, In hoc non sum iustificatus.

Has quæstiones ideo ab hac disputatione separo. Video enim Pontificios harū confusione hanc doctrinam turbare. Verus igitur controuersia huius, inter nos & Pontificios status hic est: quòd ipsi docent, Peccatorem quando in seria pœnitentia, vera fide, ex verbo Dei per Spiritum sanctum concepta apprehendit promissionem gratuitæ misericordiæ, & in ea simul apprehendit ipsum mediatorē filium Dei, qui est iustitia nostra, nec posse nec debere, certa fiducia statuere, peccata sibi remitti: posse quidem bene sperare, & de Dei misericordia optima quæq; sibi polliceri: sed hæc tamē sine certa fiducia in medio fluctuantis dubitationis suspensa esse relinquenda: quia fidei possit subesse falsum, & spes possit fallere. Et hanc dubitationem numerant nō inter infirmitates & maculas carnis, sed inter virtutes fidei: vt nisi dubitatio adsit, ornet & cōmendet fidem, sit inanis hereticorum fiducia nō fides iustificans. Quia verò vident duo hæc manifestè esse pugnantia, credere & dubitare: fingunt fidem in genere quidem statuere promissiones diuinas de misericordia Dei, de merito Christi, & de Sacramentorū efficacia veras & certas esse: sed de applicatione ad credentes, fidem debere in perpetua dubitatione suspensam manere: an scilicet mea fides, quæ pmissione Dei nititur, certò iuxta dicta Euāgelica statuere debeat: Confide filii, remittuntur tibi peccata tua. Item: Fides tua te saluum fecit.

Iuxta Pontificios igitur, fides inter vniuersalia siue realia siue nominalia, inter ideas Platonicas in aere generali persuasionē suspensa volitabit: de applicatione ad personam credentem vel non sollicita, vel non certa.

Quia verò vilis & necessaria est illa doctrina, quæ Euangelij propria est: quomodo conscientia, quæ pauore iræ Dei propter peccata anguntur, possint habere certā & firmam consolationē, in qua certa fiducia de remissione peccatorū acquiescere possint: nō prolixè sanè rhetoricabimur, sed præcipientia tantum fundamenta eius doctrinae notabimus.

Primò, Fundamentum firmum & manifestum sumitur ex natura & proprietate pmissionis gratuitæ: fiducia enim salutis nostræ non eo nititur, quasi ingenij nostri perspicacia, acumine suo possit penetrare cœlos cœlorum, & scrutari quid de me in arcano consilio Trinitatis decretum sit: sed hoc fundamēto nititur, quòd Deus ex arcana luce prodiens, voluntatem suam nobis in verbo patefecit: vt Paulus 2. Cor. 2. non dubiter affirmare, nos mētem Christi tenere. Et in lege quidem volūtas Dei ita patefacta est: Qui fecerit hæc, viuet in eis. Quòd si per dubitationē apprehendi posset vita æterna, nulla magis idonea esset promissio quàm legis: propter annexā enim conditionem perfectæ implerionis, conscientias relinquit in perpetua dubitatione. Rom. 4. Quia verò non dubitatio, sed fides iu-

stificat: nec qui dubitat, sed qui credit, habet vitam æternā: ideo Deus proposuit gratuitā promissionē Euangelij, quæ nititur non nostris operibus, sed misericordia Dei propter obedientiā filij Mediatoris. Et quare hæc promissio sit proposita, Paulus ostendit Rom. 4. Ideo ex fide, vt secundū gratiam, vt sit firma promissio. Num verò vt tantum in genere, & per se firma sit promissio? Imo, inquit Paulus, vt firma sit omni semini. Quomodo verò? Scriptum est, inquit, propter nos, quibus imputabitur creditibus. In genere enim & per se, firma est etiam legis pmissio. Vt verò nobis sit firma, ideo secundum gratiā, & ex fide. Ita Heb. 6. extat pulcherrima sententia, Deum in gratuita promissione interposuisse iusiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmam consolationē habeamus, qui confugimus ad tenendam ppositam spem. Audis non in genere tantum, nec per se firmam tantum esse promissionem: sed vt nos, qui confugimus ad apprehendendam propositam spem, firmā consolationem habeamus. Ex hoc fundamento Ioannes ducit argumentū. 1. cap. 5. Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Nec verò de generali assensione Ioannes loquitur. Subiungit enim: Hæc scribo vobis, qui creditis in nomen filij Dei, vt sciatis quòd vitam æternā habetis.

Nam si credo in filium Dei, & tamen dubito, an habeam vitam æternam: non credo huic promissioni, Qui credit in filium, habet vitam æternam. Iuxta Ioannem igitur facio Deum mendacem.

Secundò, Ex proprietate fidei iustificantis. Tribuitur enim fidei *πληροφορία, ὑπόστασις, ἐλεγχος, παρρησία, πιστοίησις*: quæ certè non dubitationem, sed certam & firmā fiduciam significant: sicut exemplis probare possem, nisi vererer prolixitatem. Ioannes peculiari consilio de fide ita loquitur, 1. cap. 3. Scimus quòd translati sumus à morte ad vitam. cap. 5. Vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomē filij Dei. 1. Pet. 1. Perfecit sperate in eam quæ ad vos defertur gratiā. Hebr. 3. Si fiduciam & gloriationē spei ad finem vsq; firmā tenuerimus. Hebr. 10. Accedamus vero corde in plerophoria fidei, tenentes confessionem spei *ἀκλινη*. Hebr. 6. extat dulcissima metaphora ancora. Quando enim ancora in terriā sabulosam incidit, non potest nauem firmiter retinere: quando verò in fundum firmū & tenacem iacta est, firmiter retinet nauem contra omnes fluctus. Ita, inquit, ancoram spei nostræ iactam esse in ipsum cœlum: & quidem vbi Christus pro nobis Pontifex est, qui apprehendit, fulcit & retinet ancoram illam, sicut inquit Iohan. 10. De manu mea nemo rapiet eas. Et sicut Paulus inquit Philip. 3. Apprehendi, imo magis apprehensus sum. Ita Roma. 15. Iustificati fide, pacem habemus apud Deum. Item: Stamus in gratia Dei, & gloriamur spe gloriae Dei. Roman. 4. Ideo ex fide, vt firma sit promissio. Has dulcissimas consolationes, sceleratè nobis dubitatione sua deprauare & eripere conantur Pontificij Academici. Quòd si virtus esset dubitatio, non rectè præciperetur esse luctandum contra dubitationem: nec iuberemur petere: Adauge nobis fidem, Adiuua incredulitatem. Est & hoc valde firmum argumentum, contra Pontificiam dubitationem, quod 2. Corinth. 13. Paulus inquit: Tentate & probate vos ipsos, an sitis in fide. Annè cognoscitis vos ipsos, quòd Iesus Christus in vobis sit, nisi forsan reprobi estis. Audis quemq; debere se ipsum probare, an sit

an sit in fide: & illos qui nō agnoscunt Christum in se esse, reprobos esse. Hęc copiosa oratione possent explicari: sed nos tantum fundamenta nunc monstramus. Illud tantum addam, quam variis artificiis locum Rom. 8. Iudificare contentur Pontificij. Pighius ex Thoma dicit, Paulum ibi tantum de suæ salutis certitudine quam ex peculiari reuelatione habuerit, loqui: non vero affirmare omnem Christi fidelem, eiusmodi certitudinem habere: sed hoc manifeste falsum est. Paulus enim in tota illa sententia in plurali loquitur, & fundamenta illius certitudinis ponit: Christus mortuus est, imo sedet ad dexteram patris interpellans pro nobis.

Andradius. Andradius igitur videns, has iudificationes non posse consistere, dicit verbum *πέποιμαι* significare non certam fiduciam, sed verisimilem existimationem seu persuasionem: quæ tamen falli possit, quia in quibusdam Scripturæ locis ita vsurpetur. Atqui vsurpatur etiam pro certa, firma & indubitata persuasionem, 2. Tim. 1. Certus sum, quod potes est depositum meum seruare. Et ab hoc themate *πεποιμαι* deducitur.

Quæstio iam est: Vtra significatio conueniat loco Rom. 8. Illud vero totus contextus tantum non clamat: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quomodo non omnia cum filio nobis donaret? Quis accusabit, quis cōdemnabit? Deus iustificat, Christus mortuus est. Quis separabit nos à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Num periculum, nū gladius? &c. Imo in his omnibus plus quam vincimus, per eū qui dilexit nos. Et post hæc sequitur verbū *πέποιμαι*. Manifestissimū autē est, eum cū ratione (quod dicitur) insanire, qui totam illam orationem, de dubitatione conaretur explicare. Et inter ipsos Pontificios, nemo hactenus ausus fuit dicere, Paulum Rom. 8. de sua etiam salute incertum dubitare: nisi quod Iesuitarum impudentia hoc tentauit, quam Andradius non æquare tantum, sed & superare contendit.

3. Doctrina de vero vsu Sacramentorum, præbet suauissima argumēta de certitudine salutis credentium, cōtra dubitationem Pontificiorum. Certum enim est, filium Dei promissioni gratiæ, sua institutione addidisse signa illa quæ Sacramenta vocantur: vt promissio Euangelij non tantum in genere proponeretur, sed vt in actione Sacramentorum, generalis illa promissio singulis fide vtentibus offerretur, applicaretur & obsignaretur: & quidem vt fidei infirmitas, quæ generali & nuda promissione contra spem in spem ægre se potest sustentare, efficacia Sacramentorum subleuaretur & confirmaretur. Ita Rom. 4. Circumcisio vocatur sigillum iustitiæ fidei. Gal. 3. Quotquot baptisati estis, Christū induistis. 1. Petri 3. Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ. In vsu Cœnæ Dominicæ, singulis non indigne accedentibus filius Dei applicat illud: Accipe, ede: hoc est corpus meum, quod pro te traditum est: hoc poculum, nouum Testamentum est, &c. Ita oratio Damasceni, in sumptione mysteriorum inquit: Dignare vt accipiam, *eis ἀρραβὼνα τῆς μελλέουσας ζωῆς καὶ βασιλείας*. De absolutione quæ dulcis est promissio: Quorum remisit peccata remissa erunt eis. Quicquid solueritis in terra, solutum erit in cœlo. Hinc Gerson recte disputat, absolutionem non in Optatiuo modo, sed propter certitudinem pronunciamdam esse in Indicatiuo modo, sicut hac forma absolutionis Nathan vitur: Dominus abstulit peccatum tuum. Et Christus

Luçæ 7. Fides tua te saluū fecit, vade in pace. Matthæi 9. Confide filii, remittuntur tibi peccata tua. Hæc dulcissimæ consolationes non tantum labefactantur, sed omnino conscientis eripiuntur per Pontificiam dubitationem.

4. Firmissima argumenta cōtra Pontificiorum dubitationem, sumuntur ex testimoniis Scripturæ de obsignatione credentium per Spiritū sanctum. Ephes. 1. Postquam credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ. 2. Cor. 1. Deus est, qui obsignauit nos, deditq; arrham spiritus in cordibus nostris. Ephes. 4. Non contristetis spiritum, quo obsignati estis in diem redemptionis, &c. Emphases vocabulorum obsignationis & arrhabonis, pulcherrime confirmant hanc doctrinam. Obsignatio enim extra omnem controuersiam iis adhibetur, quæ volumus aliis ad quos illa pertinent, indubitata, & quam certissima esse, & quidem in hunc finem adhibetur, vt omnis dubitatio & hæsitatio, quæcunque incidere posset, per obsignationem remoueat. Nec vero obsignatio spiritus in singulis credentibus, ad generalem tantum persuasionem pertinet: sed vt singuli statuunt sibi firmam & certam esse promissionem, & quidem contra dubitationem, quæ naturaliter hæret in animis nostris, Deus adhibet obsignationem preciosissimam & firmissimam, ipsum scilicet Spiritum sanctum.

Alterum vocabulum, est arrhabo, quod origine Hebraicum esse, certum est. Significat autem hypothecam, cautionem seu symbolum, quodcunq; sit, quo ratificatur & confirmatur fidei iussio, non certe vt de ea dubitetur, sed vt ei fides indubitata habeatur. Hoc etiam vocabulo appellatur obsides, 4. Reg. 14. vsurpatur & Genes. 28. sicut à Latinis arrha, pro parte aliqua persoluti precij, qua fides fit persoluede reliquæ summæ. Et hæc vocabula præbent dulcissimam consolationem. Quia enim salui sumus, sed spe, Rom. 8. & interim variis tentationibus fides quassatur & concutitur, ne propterea de bona Dei erga nos voluntate, de remissione peccatorū, adoptione, salute, & vita æterna dubitemus, dedit nobis quasi obsidem, pignus & arrham, non Angelum, vel creatum aliquid, sed ipsum Spiritum sanctum, qui est *ἀρότος* patri & filio, vt contra omnem dubitationem, in fiducia salutis nostræ, quæ in nobis reuelabitur, acquiescere possimus. Et illæ metaphore manifestis sententiis alibi explicantur. 1. Ioan. 5. Qui credit in filium, habet testimonium in seipso, Rom. 8. Spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Galat. 4. Deus misit Spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. 1. Cor. 2. Accepimus Spiritum ex Deo, vt sciamus quæ nobis à Deo donata sunt. Ephes. 1. Illuminati oculos mentis, vt sciamus quæ sit spes hereditatis nostræ, &c. Insignis igitur contumelia est in Spiritum gratiæ, decretum Tridentini Concilij de dubitatione veræ fidei.

De his dulcissimis sententiis Andradius inquit, ridicule magis quam acute dici, credentes inde etiam certos reddi de reconciliatione, quod Spiritus sanctus id intus in animo testetur. Quia inquit, sine peculiari reuelatione nemini certo consistere potest, illam quam multi sentiunt mentis testificationem, esse Spiritus sancti voces. Et certum quidem est, non omnes humani animi cogitationes & impetus, esse motus & impulsus Spiritus sancti: sed quia verbum Euangelij est ministerium

Spiritus, 1. Cor. 3. Ioan. 6. & ex auditu fidei Spiritus accipitur, Galat. 3. testificationem igitur in mente credentium, ex fide secundum promissionem Evangelij conceptam, certum est esse oblationem Spiritus sancti, sicut Paulus inquit: Postquam credidistis, oblationati estis spiritu promissionis sancto, Ephes. 1. Andradius vero vult, hæc iudicari non secundum verbum promissionis, sed expectandas esse peculiare reuelationes alias, sine quibus ambiguum, dubiam & incertam, forsitan etiam falsam esse credentium, fiduciam, ipsam etiam oblationem spiritus, de qua Paulus loquitur.

5. Idem probatur ab exemplis sanctorum, vt de Abraham, Rom. 4. Paulus dicit: Contra spem in spem credidit. Et non infirmatus est fide, in promissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, plenissime sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Ideo & reputatum est ei ad iustitiam. Hæc non verba, sed fulmina sunt contra Tridentinum decretum, quod dicit: Nemi- ni qui in fiducia remissionis peccatorum iuxta promissionem acquiescit, peccata remitti. Paulus vero dicit: Ideo reputatum est ei ad iustitiam. Nec de generali assensione loquitur Paulus, sed de applicatione ad indiuiduum, ad Abraham scilicet.

Dauid inquit Psalm. 23. Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Psalm. 26. Dominus salus mea, quem timebo? à quo trepidabo?

Psalm. 30. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Item: Qui confidit in Domino, sicut mons Sion in æternum non commouebitur.

Paulus Rom. 8. Quis accusabit, quis condemnabit? quis separabit? &c. persuasum enim mihi habeo, quod nulla creatura poterit nos separare à dilectione Dei, qua diligit nos in Christo Iesu Domino nostro.

Lucæ 7. Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, fides tua te saluum fecit. Matth. 9. Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua.

6. Dubitatio pugnans cum fiducia, disertis verbis in Scriptura reprehenditur. Matth. 6. O modicæ fidei. Matth. 14. Modicæ fidei, quid dubitasti? v- titur verbo *δισταζειν*, quod significat, quando animus affectibus, nunc huc nunc illuc impellitur, vt non maneat in vna sententia. Ita vsurpatur 7. Ethicor. ca. 2. Et idem est quod Pontificij dicunt, spem assentiri quidem propter probabiles rationes vni parti, sed tamen cum formidine partis alterius. Ro. 4. Iacob. 1. Marci 11. fidei opponitur verbum *διακρίνειν*, quod Budeus inde dici sentit, quod illi qui hæsitant, secum ipsi alternantibus sententiis quasi litigant & disceptant. Et plane talem fidem fingunt Pontificij.

Lucæ 12. loco *δισταζειν*, vtitur verbo *μεπερείθειν*, quod significat animum ancipiti & sollicita dubitatione suspensum, quo res euasura sit: sicut quæ in sublimi suspensa sunt, facili momento huc illuc impelluntur. Ita Thucyd. li. 2. Tota Græcia *μεπερείθειν*. Græci interpretes Psalm. 41. 92. 87. de fluctibus maris vehementioribus hoc vocabulum vsurpant. Et hæc antithesin Iacobus c. 1. explicat: Postulet in fide, nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento circumagitur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino. Loquitur autem Iacobus nõ simpliciter de infidelitate, sed vtitur verbo *διακρίνειν*: de quo

iam dictum est. Simpliciter igitur damnat Tridentinam dubitationem. Et obseruet Lector, quod Tridentinum Decretum hæsitationem facit virtutem fidei: Paulus vero Rom. 4. eam tribuit *ἢ ἀπιστίας*, incredulitati. Et Rom. 14. Synonyma sunt. Quicquid non est ex fide, Et: Quicquid fit dubitante conscientia. Et affirmat, dubitationem non tantum per se esse vitium, verum etiam contaminare alia opera vt fiant peccata.

7. Vtilis est hæc etiam obseruatio, vnde sumpta sit doctrina, quæ iubet vere credentes dubitare de remissione suorum peccatorum. Nam Matthæi 9. Scribæ, de generali quidem promissione remissionis peccatorum, non dubitant, sed Christum blasphemiam arguunt, propterea quod doceat, se tam certo promittere, & donare remissionem peccatorum credentibus, vt iubeat paralyticum *θαλασσεῖν*, hoc est, bono & tranquillo animo esse. Ita Lucæ 7. cum Christus mulierem absolueret: Remittuntur tibi peccata tua, & iuberet eam in pace ire. Pharisæi mussitant, blasphemiam esse.

Et Nouatiani, conuersis post lapsum non simpliciter negabant remissionem peccatorum, sed iuebant illos bene quidẽ sperare, non tamen certo statuere, vel posse, vel debere peccata sibi remitti. Ita enim in Tripart. li. 9. error ipsorum describitur: esse quidem lapsos inuitandos ad pœnitentiã, remissionem vero Dei potestati relinquendam. Ita etiam Ambrosius de pœnitentia, li. 1. c. 2. Nouatiani dicunt, se soli Deo remittendorum criminum potestatem reseruare. Sed Christus mandauit discipulis, soluere peccata, Et lib. 2. ca. 5. dicit: Nouatianos pro stabilienda dubitatione de remissione peccatorum, obiecisse locum ex Actis c. 8. vbi Petrus dicit: Pœnitentiã age, si forte tibi remittatur iniquitas peccati tui. Ibi dicunt: Petrum non certo affirmasse, pœnitentibus peccata dimitti. Ambrosius vero respondet: Petrum ita loqui, quia Simon Magus non ex fide credebatur, sed dolũ cogitabat. De phrasi vero, inquit, ego nec Petrum dubitasse dico. Nec verbi vnus præiudicio, totam causam frangulam arbitror. Nam & Christus dicit Ioan. 8. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. Et addit: Nec poterat Petrus dubitare de Christi munere, qui sibi soluendorum peccatorum dederat potestatem. Obseruet Lector, Nouatianos in suo certamine nõ simpliciter disputasse, Deum nemini qui post lapsum pœnitentiã agit, velle peccata remittere, sed hæc fuit iuxta Ambrosiũ controuersia, an minister Ecclesiæ, cui commissa est potestas soluendi peccata, certo debeat affirmare, an vero dubitatiue proponere illis, qui pœnitentiã agunt, peccata dimitti. Itẽ, an pœnitens, qui vera fide amplectitur Christum, certo statuere, an vero dubitare debeat, sibi peccata dimitti. Et ad hanc descriptionem certaminis Nouatiani, conferatur doctrina Pontificia, de dubitatione. Addã vero & hoc, quod alius quidam supposititijs libellus de exhortatione ad pœnitentiã, sub titulo Ambrosij dicit: Pœnitentiã dare possum, securitatem dare non possum. Non dico damnabitur, sed nec liberabitur dico. Non præsumo, non promitto, prorsus nescio de Dei voluntate. Aut ignoscetur tibi aut non ignoscetur, quid horum tibi futurum sit, nescio.

Hæc certe contradictoria plane sunt eius sententiæ, quam Ambrosius contra Nouatianos ex Scriptura defendit. Et hoc obseruet Lector, multa supposititia interspersa esse scriptis Patrum, vt

ita specie antiquitatis simplicioribus facilius imponatur.

Postremo extant & veterum Scriptorum præclara testimonia, quæ ostendunt nouitium & adulterinum esse Pontificiorum dogma, de dubitatione. Nos illa tantum annotabimus, in quibus cõspicitur plane eadem tunc cõtra fiduciam fidei fuisse obiecta, quæ nunc agitantur & opponuntur à Pontificiis.

De obiectione enim arrogantia & superbia Augustinus inquit Sermo 28. de verbis Domini: Omnia tibi peccata tua dimissa sunt. Ideo præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, inquit Apostolus. Non ergo hinc arrogantia est, sed fides, prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. De obiectione indignitatis & indispositiõis Augustinus in Psal. 88. ita inquit: Hoc dixit Deus; Hoc promisit, si parum est, hoc iurauit. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare, Bernhardus de fragmentis septem Sermo. 3. Tria considero, in quibus tota spes mea consistit. Charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis, murmure iam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens: Quis es tu, aut quanta est illa gloria, quibusue meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondeo: Scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax est in promissione, quia potens in exhibitione. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur: quem nobis è patria nostra in hunc carcerem vsque demissum, firmiter obsecro teneamus, vt ipse nos subleuet, ipse nos trahat, & pertrahat vsque ad conspectum gloriæ magni Dei.

Ad obiectiones ex Ioele & Iona, Nazianzenus in oratione consolatoria in grandinis calamitate ita respondet: Quis scit, nunquid conuertatur & pœniteat, & relinquat benedictionem? Atqui manifeste hoc scio. Ego diuinæ clementiæ fidei iussor sum. Ad sententiam Solomonis, quæ ab adulterariis semper opponitur, Bernhardus pulcherrime respondet Serm. 5. in dedicat. Quis poterit saluus esse? dicunt discipuli. Et apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum, sed de possibilitate iam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit, si est dignus amore vel odio? Quis nouit sensum Domini? Hic iam plane fidem nobis subuenire necesse est. Hic oportet succurrere veritatē, vt quod de nobis latet in corde patris, nobis per ipsius spiritum reueletur, & spiritus eius testificans, persuadeat spiritui nostro, quod filij Dei sumus: persuadeat autem vocando, & iustificando gratis per fidem.

De præsumptionis obiectione, Augustinus respondet Tractat. 22. in Ioan. Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi, & tibi aude promittere, quia in iudicium nõ venies? Absit, inquis, vt ego hoc mihi promittere audeam: sed credo promittenti (in iudicium non veniet.) Ideo non præsumptione mea, sed ipsius promissione in iudicium non venio.

Ad obiectionē de fide generali, respondet Bernhardus. De annunciatione Serm. 2. Necesse est primum omnium credere, quod promissionē habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Sed adde, vt credas hoc, quod per ipsum peccata tua donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo: Dimissa tibi sunt peccata tua.

Dubitationem & incertitudinem pugnare cum ipsa fide & iustificatione, Hilarius pronunciat in 5. Matth. Regnum cœlorum quod Dominus noster in se esse positum, est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperare, quod alioqui iustificatio ex fide nulla est, si fides sit ambigua.

Cyprianus Sermo. 4. de mortalitate: Quis hinc anxietatis & sollicitudinis locus est? Quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Eius est enim mortem timere, qui ad Christum transire nolit: eius est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim, iustum fide viuere. Si iustus es, & fide viuus, si vere in Deum credis: cur nõ cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, amplecteris? Item, Deus tibi de hoc mundo recedenti, immortalitatem pollicetur, & tu dubitas & fluctuas? hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est in Ecclesia constitutam fidem in domo fidei non habere.

Hæc fundamenta profecto tam sunt firma & perspicua, vt mirum sit inuenire homines, & quidem titulo Ecclesiæ glorientes, qui ausint contrarium statuere, & quidem cum anathematis denunciatione, veram, firmam & certam consolationem conscientias eripere, vt homines in pristinam rursus conscientiarum carnificinam detrudant.

Sed inquis: Habent & ipsi dubitationis suæ rationes. Respondeo: Antea diximus, quia simpliciter legem tantum docent, hoc est, hominem suis qualitatibus & operibus iustificari, non possunt aliud doctrina sua efficere, quam perpetuas dubitationes, & tandem desperationem. Hæc vero supra sunt explicata. Videbimus iam de reliquis obiectionibus.

Et quod primo dicunt, hæreticos qui falsas & blasphemias opiniones defendunt, Epicureos etiam in medijs sceleribus sine pœnitentia, posse talem persuasionem certitudinis sibi fingere, facilis est responsio. Non enim loquimur vel de falsa, vel de mortua aut Diabolica, sed de vera fide, & vere credentibus. Nihil igitur amplius dico quam prodigiosam esse argumentationem, propter falsam fidem labefactare & conuellere veram fidem.

Secundo opponunt contra fiduciam, respectum propriæ infirmitatis & indignitatis. Et speciose amplificant, quam grata Deo virtus sit, vera animi humilitas, agnoscens & confitens propriam indignitatem, quando in conspectum Dei progrediendum est. Respondeo: Fides nostra omnino habet, & debet habere adiunctam veram humilitatem, quæ serio considerat, agnoscit & fatetur propriam nostram indignitatem, ita vt non ausit nostram dignitatem opponere iudicio Dei, in articulo iustificationis: sed serio statuit, & ex animo confitetur: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hæc vero humilitas non facit fidem dubiam & fluctuantem, quia non detinet conscientiam in lege, vt propriam dignitatē opponat iudicio Dei, sed impellit & vrget, vt quærat aliam promissionem, in qua gratis propter filium Mediatorem, pater credentibus donet reconciliationem, vt quia in propria dignitate nõ potest inuenire, quo tuto coram iudicio Dei nitatur, apprehendat illum Mediatorem, in cuius vulneribus firma tutaq; securitas est vere credentibus, sicut Bernhardus loquitur.

Tertio doctrinam de prædestinatione siue electione, opponunt cōtra fiduciam salutis, utq; specie aliqua illud faciant, dicunt temerariam præsumptionem arcani mysterij prædestinationis cauendam esse. Et verum sane est, quod sedulo etiam apud nos docetur, non esse arcanum cōsiliū Dei inquirendum, ut inde statuamus, an simus in numero electorum: hoc enim præcipitum est in multis erroribus, & deniq; in ipsam desperationem. De electione enim nō est iudicandum ex rationis cogitationibus, aut dubiis speculationibus, quid in arcano consilio Dei, de cuiusque vel salute, vel dānatione decretum sit, sed ex verbo Dei, in quo voluntatem suam Deus nobis patefecit: non autem ex lege, quæ de nostris operibus, meritis & dignitate concionatur, sed ex Euangelio. Loquitur autem Euangelium de electione, non sicut Poetæ de tabulis Parcarum fabulantur, alios ad vitam, alios ad mortem adscriptos esse: qua de re plane nihil nobis constet, an simus in numero saluandorum, an vero damnandorum. Sed doctrina prædestinationis proponit decreta à Deo facta, & postea in verbo reuelata, de causis & modo saluandi aut damnādi, ut est 1. Decretum Dei de redimendo genere humano, per obedientiam & passionem Christi Mediatoris. 2. Decretum de vocandis per ministerium verbi, tam Iudæis quam Gentibus, ad communionem meriti Christi ad salutem. 3. Decretum Dei, quod Spiritu suo velit per auditum verbi in cordibus hominum operari, ut agant pœnitentiam, & credant Euangelio. 4. Decretum Dei, quod illos qui cum sentiunt peccata sua & iram Dei, fide confugiunt ad thronum gratiæ, & Christum Mediatorem in promissione Euangelij propositum amplectuntur, velit iustificare & saluare: abiicientes vero verbum, aspernantes & non amplectentes promissionem, velit damnare.

Hæc est summa & ἀράυσις doctrinæ de prædestinatione, sicut illa in verbo patefacta est, quæ nō docet vere credentes debere dubitare, an sint in numero electorum, sed sicut Paulus Romanor. 8. gradationem instituit: Quos elegit, hos vocauit: Quos vocauit, iustificauit. Ergo quos Deus vocat & iustificat, illi certo debent statuere se esse electos. Et Lector si inspexerit Scripturæ sententias de electione, manifeste videbit doctrinam prædestinationis in Scriptura patefactam esse, non ut dubiam & incertam redderet salutem credentium, sed ut esset fundamentum certitudinis. Ephes. 1. Elegit nos in Christo, ante creationem mundi. 2. Timoth. 2. Fundamentum Dei stat firmum, habens hoc sigillum: Nouit Dominus suos. Iohannis 10. Oves meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea. Romanor. 8. Qui secundum propositum Dei vocati sunt. Quis igitur damnabit? quis separabit? Roma. 11. Dona & vocatio Dei sunt sine pœnitentia. 2. Tim. 1. Non dedit nobis spiritum timoris. Vocauit enim nos secundum propositum suum, & gratiam quæ data nobis est in Christo Iesu, ante tempora secularia, &c.

Et nunc quidem totam doctrinam prædestinationis non constitui explicare: sed tantum ostendere volui, electionem Dei, sicut in verbo Dei patefacta est, non labefactare, sed confirmare & stabilire certitudinem salutis, & fiduciam credentium. Falsum enim est, quod in 12. ca. dicit Tridentinum Conciliū, ex verbo Dei non posse sciri, quos

Deus sibi elegerit, nisi præter & extra verbum specialis reuelatio accedat. Neque hoc verum est: neminem vere credentem, ex verbo Dei, sine peculiari reuelatione certo posse statuere, se esse in numero prædestinatorum. Pugnāt enim hæc cum Scriptura, sicut ostendimus. Non ignoro autem, multa inextricabilia & portentosa neci de prædestinatione, à spinosis ingeniis, sed quam iudicem esse simplicissimam sententiam, breuiter exposui.

Quarto obiiciunt etiam sententias de perseverantia. Ut maxime de præsentī gratia certi sint credentes, neminem tamen certum esse, an sit perseveraturus in finem. Et quia illi soli salui fiunt, qui vsque in finem perseverant: non igitur posse certam fiduciam esse de salute credentium. Respondeo: Multos non perseverare, sed gratia excidere, & Scriptura & experientia docet. Sed hoc fit non inde & ideo, quasi Deus nolit credentes, quos semel in gratiam recepit, ad finem vsque conseruare, sed ideo fit, quia multi securitate, diffidentia & operibus carnis, Spiritum sanctum effundunt, & fidem excutunt. Non igitur docendi sunt homines, quomodocunque se gerant, non posse ipsos excidere gratia Dei. Scriptum est enim Romanor. 11. Si permanferit in bonitate Dei. Hebræorum 3. Modo fiduciam retineant vsque ad finem. Sed monendi sunt, ut actiones carnis spiritu mortificent, & fide firmiter inhæreant Christo, illique per vsum verbi & Sacramentorum magis magisque vniantur, & petant à Deo donum perseverantiæ: uctenturque ne carnis petulantia donum perseverantiæ excutiant.

Et hoc modo non debent dubitare de perseverantia, sed statuere, iuxta promissiones Phil. 1. Qui cœpit in vobis, perficiet vsque in diem Iesu Christi. Vocati enim sumus ad consortium Christi sempiternum: non ut mox iterū abiiciat, quos sibi adiunxit, sed (sicut inquit) non peribunt in æternum. Nemo rapiet eas de manu mea, 1. Cor. 1. Confirmabit vos vsq; in finem, sine crimine, in die aduentus Domini. Ita David inquit: Nō confundar in æternum. Et Iohannes dicit: Hæc scribo vobis, ut sciatis, quod vitam habetis æternam. Item, scimus cum apparuerit, quod similes ipsi erimus. Rom. 8. Quis separabit? certus sum enim, quod nec præsentia, nec futura nos separabunt. 2. Tim. 4. Reposita mihi est corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, Rom. 5. Gloriamur spe gloriæ Dei. Hæ sententiæ manifeste ostendunt, spem fidelem de perseverantia, non esse inter cœlum & terram in ambigua dubitatione suspensam.

Quinto agitant has & similes Scripturæ sententias, 1. Corinth. 10. Qui stat, videat ne cadat. Philip. 2. Cum timore & tremore operemini salutem. Romanor. 11. Noli altum sapere, sed time. 1. Pet. 1. In timore incolatus vestri tempore conuersamini. Prouerb. 28. Beatus qui terret assidue cor suum. Ad has sententias responsio generalis est. Monent enim, ne persuasione certitudinis de salute, degeneremus in carnalem securitatem, qua ipsa fides suffocatur & extinguitur. Nec indulgeamus vitiolis affectibus: ita enim fides excutitur. Et nisi permanferimus in bonitate Dei, excindemur, Roma. 11. Non manet autem fides in illis, qui sine pœnitentia indulgent prauis affectibus. Sunt ergo hæ sententiæ non concionæ de dubitatione fidei, sed exhortationes, ne fides possidens certitudinem salutis, vel securitate extingatur, vel actionibus

carnis excutiatur, sed ut exerceatur perpetuo in lucta contra carnem, ne illius petulantia effundatur gratia, Spiritus sanctus, & certitudo salutis. Quædam etiam tales sententiæ, credentibus ob oculos ponunt suam infirmitatem, non ut fidem in dubitationem coniciant, sed ne credentes insolescant, fiducia donorum, sed ut toti à Domino pendeant, ardentius & firmiter inhæreant misericordiam promissam propter Christum.

Sexto, Andradius vitur etiam hoc argumento contra fiduciam. Paulus dicit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus, quia qui me iudicat, Dominus est. Ergo Paulus de sua iustificatione non fuit certus. Respondeo: Paulus non tantum dubitat, an sua nouitate & suis operibus sit coram Deo iustificatus, sed disertè dicit: In hoc non sum iustificatus. Et rationem addit: Quia licet ipsum conscientia non reprehendat, & coram hominibus sit irreprehensibilis: tamen coram Dei iudicio non possit illa iustitia consistere. Aliam igitur querit, in obedientia & merito Christi, quam opponere possit iudicio & iræ Dei, ut reconcilietur, adoptetur, & acceptetur ad vitam æternam. Et de illa iustificatione non dubitatie loquitur, sed Roma. 5. Iustificati fide, pacem habemus. Fide accessum habemus ad gratiam, in qua stamus & gloriamur, Romanorum octauo: Quis condemnabit? Deus est qui iustificat, &c. Paulus igitur veræ fidei in Christum non adimit fiduciam & certitudinem iustificationis: sed suis operibus non dubitatie, sed simpliciter adimit iustificationem: non tantum quæ fecit ante conuersionem, sed cum renouatus per spiritum, in nouitate eo usque iam esset progressus, ut dicere posset, nihil mihi sum conscius, tamen addit: In hoc non sum iustificatus, quia qui me iudicat, Dominus est, cuius iudicium requirit talem perfectionem, ut qui in vno delinquit, reus sit omnium.

Solomonis sententiam Ecclesiast. 9. Tam amorem quam odium nescit homo: Andradius ita explicat, tam esse hominis viuendi rationem obscuram, ut nesciat, quid potius mereatur, odiumne an amorem. Ergone dubium est in Ecclesia, an Sodomitarum scelera displiceant Deo? Paulus certe magna asseueratione aliquoties repetit: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Et ipse Solomon in eodem capite mox dicit: Quia Deo placent opera tua. Quid igitur (inquis) est quod Solomon dicit: Tam amorem quam odium nescit homo? Respondeo: Quilibet verborum luorum ipse optimus interpret est. Salomon igitur mox addit sententiæ illius rationem: Et amorem & odium nescit homo, eo quod vniuersa æque eueniant iusto & iniusto, vnde corda hominum implentur malitia: hoc est: ex euentibus externis in hac vita, non debet nec potest statui, vtrum Deo placeamus, hoc enim iudicium seducit impios. Non autem sequitur. Ex euentibus non potest statui, ergo fides etiam ex verbo Dei debet incerta esse. In eodem enim libro etiam dicitur: Ex euentibus externis non posse cognosci, vtrum differat anima hominis à pecude, quia idem sit vtriusque interitus. Recte igitur Bernhardus dicit, rationem per se & ex euentibus non posse statuere de amore Dei erga nos, sed fidem ex veritate verbi diuini hoc statuere, & posse, & debere.

Locum Syracidis capite quinto, dixi esse deprauatum à monachis, qui fecerunt (De propitiato

peccato noli esse sine metu) ut dubitationem inde possent stabilire. Andradius vero contendit, ex Græco etiam textu illud posse probari, quia propitiatum illud dicatur, quod iam est condonatum. Ergo fides etiam post acceptam iam reconciliationem debet dubitare. Atqui in Græco non est Participium præteritum, sed *περὶ ἐξίλασιν*, de propitiatione. Et ipse textus se explicat. Inquit enim: Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit? Et postea: Ne sis sine metu, ut adicias peccatum super peccatum, eo quod miseratio Domini magna est. Concionatur itaque contra carnalem securitatem, ne quis cumulet peccata sine pœnitentia, ideo quia proposita sit propitiatio, vel ne quis ita sit securus, ut differat reconciliationem. Hæc vera sunt, quæ & nos sedulo monemus. Inde vero non sequitur: Ergo fides debet dubitare de accepta propitiatione peccati.

Hæc fundamēta perspicua, firma & solida sunt. Quod enim obiicitur, multos hac doctrina abuti ad securitatem: vera est responsio: propter abusum non mutandam doctrinæ veritatem, sed seruandum esse præceptum Pauli, de recte secando verbo Dei. Impœnitentibus enim non proponuntur hæc consolationes, sed fulmina, Ephes. 5. Gal. 5. Coloss. 3. 1. Cor. 6. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Illis vero qui in pauoribus fide confugiunt ad thronum gratiæ, proponimus non dubitationem, sed certam & firmam consolationem, ex promissione Euangelij. Quia vero in ipsis credentibus est adhuc caro & spiritus, vetus & nouus homo, semper inculcantur etiam illæ commonefactiones, ne abutantur promissione Euangelij, ad stabiliendam securitatem, & petulantiam carnis: qui vero contemptis illis commonefactionibus, doctrina hac abutuntur, cogitent quod scriptum est. 2. Pet. 3. Deprauant Scripturas ad suam ipsorum perditionem.

Postremo addenda est hæc commonefactio, nos non loqui de Idea quadam certitudinis fidei, quæ in hac carnis infirmitate nulla prorsus tentetur dubitatione, quæ nihil sentiat trepidationem: quasi infirma & languida fides, quæ non sentit perfectam fiduciam, & absolutam certitudinem, iudicanda sit, non esse vera fides: supra enim ostendimus, fidem quantumuis infirmam, modo verum obiectum apprehendat, veram esse. Sed inquis: Cur igitur proponitur doctrina de fiducia & certitudine fidei, in hac carnis infirmitate? Respondeo: Propter duas causas. I. Ut sciamus, quicquid sentitur dubitationum seu trepidationum, non esse de natura fidei, sed pertinere ad illas sententias: In carne mea non habitat bonum. Volenti mihi agere bonum, adiacet malum. Credentes igitur, coram Deo has sordes dubitationum non iactant quasi virtutes fidei, sed agnoscunt, fidem quatenus opus & virtus est in nobis, esse imperfectam, & illas sordes, quæ fidei ex carne asperguntur, petunt tegi & ignosci. Et tamen propter obiectum, quod in illa infirmitate fides apprehendit, habent certam & firmam consolationem. II. Proponitur ideo, ne indulgeamus dubitationibus, sed luctemur cum infirmitate fidei, ut semper ita enitmur ad certitudinem, ne patiamur nobis excuti fiduciam, sed ut illa confirmetur, crescat & augeatur. Ideo enim Deus in exercitiis fidei proposuit remedia verbi, Sacramentorum & orationis. Imo ideo Spiritus adiuuat infirmitates nostras, ut fides possit eluctari, ne li-

num fumigans extingatur, utque in ipsa infirmitate, fides nihilominus habeat certam & firmam consolationem, sicut Paulus dicit: Non tam apprehendi quam apprensus sum, non tam cognoui, quam cognitus sum.

Ita contra omnes sophisticas cavillationes plana, vera, utilis & necessaria est doctrina de certitudine reconciliationis, iuxta promissionem Evangelij: in qua vera fiducia credentes acquiescunt, aut saltem acquiescere conantur.

DE BONIS OPERIBVS.

DE OBSERVATIONE MANDATORUM, deq; illius necessitate & possibilitate.

CAPVT XI.

Nemo autem quantum iustificatus, liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debet, nemo temeraria illa, & a patribus sub anathemate prohibita voce dicit, Dei precepta homini iustificatio ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod potest, & petere quod non potest, & adiuuat ut possit, cuius mandata graua non sunt, cuius iugum suauē est, & onus leue. Qui enim sunt filij Dei, Christum diligunt, qui autem diligunt eum, & ipsemet testatur, seruant sermones eius, quod utique cum diuino auxilio prestare possunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumuis sancti & iusti, in leuia saltem & quotidiana, qua etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti. Nam istorum illa vox est, & humilis & verax: Dimitte nobis debita nostra. Quo fit, ut nulli ipsi eo magis se obligatos, ad ambulandum in via iustitia sentire debeant, quo liberati iam à peccato sunt, autem facti Deo, sobrie, iuste & pie viuētes, proficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, prius fide sola se heredem esse constitutum, hereditatemq; consequitur: etiamsi Christo non comparatur, & congruatur. Nam & Christus ipse, & inquit Apostolus, cum esset filius Dei, didicit ex his, qua passus est, obedientiam & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae. Propterea Apostolus ipse monet iustificatos, dicens: Nescitis, quod quod, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit praemium? Sic currite, & comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis predicauerim, ipse reprobus efficiar. Item princeps Apostolorum Petrus: Satagite, inquit, ut per bona opera certam vestram uocationem & electionem faciatis. Hac enim facientes, non peccabitis aliquando. Unde constat: eos orthodoxa religionis doctrina aduersari, qui dicunt in sum in omni bono opere, saltem venialiter peccare, aut, quod est intolerabilius, penas aeternas mereri, atq; etiam eos, qui stant in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & se in stadio ad currendum cohortando, cum hoc & in premis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam, cum scriptum sit, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes suas, propter retributionem. Et de Mose dicit Apostolus, quod respiciebat in remunerationem.

DE FRVCTV IUSTIFICATIONIS, hoc est, de merito bonorum operum, deq; ipsius meriti ratione.

CAPVT XVI.

Hac igitur ratione iustificati hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo conseruauerint, siue amissam recuperauerint,

proponenda sunt Apostoli Verba: Abundantes in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et nolite amittere confidentiam vestram, qua magnam habet remuneratiuam. Atque ideo bene operantibus proponenda est vita aeterna, & tanquam gratia filij Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus & merito fideliter reddenda. Hoc est enim illa corona iustitiae, quam post suum certamen & cursum, repositam sibi esse sciebat Apostolus, a iustis suae sibi reddendam, & non solum sibi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Cumenim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat: qua virtus bonorum eorum opera semper antecedit, comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo gratia & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificationis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, qua in Deo sunt facta diuina legi, pro huius vita statim suscipiatur, & vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint consequendam, vero promeruisse censeantur, cum Christus Saluator noster dicat: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Itaque neque propria nostra iustitia tanquam vitis in palmites stantur, neque ignoratur aut repudiatur iustitia Dei. Quae enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inherentes iustificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum.

Neque vero illud omitterendum est, quod licet bonis operibus in saeculis literis, & quae a Deo tribuatur, & eum, qui vni ex minimis suis potum aqua frigida dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum, & Apostolus testatur id quod in praesenti est momentaneum & leue tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate, aeternum gloria pondus operari in nobis, abist tamen & Christianus homo in scripto, vel confidat, vel gloriatur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, & eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, & nusquam sicut miseram ordiam & bonitatem, ita sceleratam & iudicium ante oculos habere debet, neque se ipsum diligens, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita, non humano iudicio examinanda & iudicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit conuicque à Deo, qui (ut scriptum est) reddet unicuique secundum opera sua.

Post hanc Catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterq; receperit, iustificari non poterit, placuit sanctae Synodo hos Canones subiungere, & omnes sciant, non solum quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

CANON XVIII.

Si quis dixerit, Dei precepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.

XIX.

Si quis dixerit, nihil preceptum esse in Evangelio praeter fidem, cetera esse indifferenta, neque precepta, neque prohibita, sed libera, aut decem precepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.

XX.

Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi vero ad Euangelium sit nuda & absoluta promissio vita aeterna, sine conditione obseruationis mandatorum, anathema sit.

XXI.

Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, & redemptorem eius fidant, non etiam & legulatores eius obediant, anathema sit.

Si quis

XXV.

Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilis est, mortaliter, atque idcirco poenae aeternae mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera bona non impulet ad damnationem, anathema sit.

XXVI.

Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus quae in Deo fuerint facta, expectare & sperare aeternam retributionem a Deo, per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo, & quae in finem perseverauerint, anathema sit.

XXXI.

Si quis dixerit, iustificatum peccare, duno iniustus aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.

XXXII.

Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsam iustificationem, bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, eius membrum vivum est, sunt, non vere mereri augmentum gratiae, & aeternam, & ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia discesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.

EXAMEN.

Non instituemus nunc integram explicationem loci de bonis operibus, sed illa quae in Concilij Tridentini decretis, & in Andradij explicationibus contra nostras Ecclesias disputantur, breviter examinabimus, & explicabimus. Possunt autem illa 4. capitibus comprehendi.

I.

An facienda sint bona opera.

II.

Quae sint bona opera, in quibus Deus vult renatos exercere obedientiam.

III.

An obedientia renatorum in hac vita, sit perfecta legis impletio.

IV.

De meritis & praemiis bonorum operum.

PRIMA QVAESTIO.

AN FACIENDA SINT BONA OPERA.

De hac quaestione, prorsus nulla apud nos quidem est controuersia, nisi quoddam Pontificij illa calumnia Ecclesias nostras falsò & iniuste à multis iam annis onerant, quasi ipsa verè bona opera prohibeamus, & omne studium eorum damnemus. Tridentinum Concilium capite vndecimo insinuat nos, quasi in sola fide ita nobis blandiamur, ut existimemus nos prorsus liberos esse ab obseruatione mandatorum Dei. Et Canone decimonono nobis obliquè tribuunt illam doctrinam, nihil esse praecipuum praeter fidem, caetera omnia esse indifferentia, neque praecipua, neque prohibita, sed libera, & quidem ita, ac si doctrina Decalogi nihil ad Christianos pertineat. Hæc verè Pontificiae calumniae, sapius verè & grauius à nostris refutatae sunt. Et quidem scripta nostrorum, praecipue verò ipsa vox doctrinae, quotidie sonans in nostris Ecclesiis, luculentum dicit coram toto mundo testimonium, ipsis etiam Pontificiis omnino con-

scientiis non ignotum, falsò nobis talia tribui. Ipsi verò quaestionem hanc idèò tam operose disputant, ut imperitis fucum faciant, quasi illa potissimum inter Pontificios & nos sit controuersia, an facienda sint bona opera. Ad refutandam igitur illam calumniam, pauca quaedam reperenda sunt. Utque eò breuius illud fieri possit, tantum capita exhortationum, ad studium bonorum operum, quae ex Scriptura in nostris Ecclesiis proponi solent, breuissimè recitabo.

1. Inculcatur hoc, Deum iustificatis & renatis nullo modo dare licentiam, ut liberè & securè possint & ausint prauis suis cupiditatibus indulgere, impio mundo se conformare, Diabolo & peccato seruire, mandata Dei violare & cõculcare. 1. Thes. 4. Non vocauit nos Deus ad immundiciem, sed ad sanctificationem. Roman. 6. Peccabimus ergo, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Rom. 3. Quid dicunt, Faciamus mala ut eueniant bona, illorum damnatio iusta est.

2. Certum est & hoc, Deum iustificatos & renatos nõ velle ociosos esse sine bonis operibus. Matth. 20. Quid statis totum diem ociosi? 2. Pet. 1. Hæc si vobis adsint, non ociosos nec infructuosos nos constituent in agnitione Christi. Matt. 3. & 7. Omnis arbor quae non facit fructus bonos, excindetur, & in ignem conficietur.

3. Nec dubia, nec obscura sunt Scripturae sententiae, quae iustificatis & renatis studium bonorum operum commendant. Tit. 2. Christus dedit semetipsum pro nobis, ut mundaret sibi populum peculiarem, & sanctum, hoc est, qui peculiari zelo sit sectator bonorum operum. Ephes. 2. Ipsius factura sumus, creati in Christo Iesu ad bona opera, quae Deus praeparauit, ut in illis ambulemus. 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Et summa proponitur ex Psal. 34. Declina à malo, & fac bonum. 1. Petri 2. Mori peccato, viuere Deo, seu iustitiae. Ephes. 4. Deponere veterem hominem, & induere nouum. Roman. 13. Abiicere opera tenebrarum, & induere arma lucis.

4. Illam verò obedientiam Scriptura in iustificatis & renatis non tantum consulit, nec ut rem indifferentem aut arbitrariam proponit, sed tradit necessariam esse propter voluntatem & mandatum Dei. Rom. 8. Debitores sumus, non ut secundum carnem viuamus, Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Luc. 17. Quae debuimus, fecimus. 1. Ioan. 4. Et nos debemus mutuo nos diligere, 1. Thes. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificationis nostra, Rom. 12. Probetis quae sit voluntas Dei. Ioan. 14. Mandatum do vobis, ut diligatis vos inuicem. 1. Ioan. 4. Hoc mandatum habemus, ut qui diligit Deum, diligit & fratrem.

5. Scriptura addit, non veram esse fidem, quae non est efficax per charitatem, 1. Ioan. 4. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non facit, mendax est. 1. Tim. 5. Qui suorum curam non habet, fidem abnegauit, & infideli deterior est. Iacob. 2. Fides sine operibus, mortua est.

6. Violatoribus proponuntur comminationes poenarum corporalium, spiritualium & aeternarum. 1. Thes. 4. Deus ultor est de his omnibus. Psalm. 89. Si mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Col. 3. Propter hæc venit ira Dei super filios inobedienciae. 1. Tim. 1. Repel-

Repellētes bonam conscientiam, circa fidem naufragium fecerunt. 2. Petri 1. Cui hęc non ad sunt, obliuionē cœpit purgationis peccatorum. Et qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, &c.

Quia igitur & doctrina de necessitate bonorum operum, & seriæ exhortationes ad studium bonorum operum, sedulo apud nos traduntur, vrgentur & inculcantur, vnde quæso Pontificij sumunt occasionem, texendi virulentam illam calumniam, quasi prohibeamus, damnemus, aut certè arbitraria faciamus bona opera: Illud verò Tridentini Patres Can. 20. non obscurè significant. Quia enim docemus, promissionem Euangelij de remissione peccatorum & vita æternâ, non pendere ex conditione nostræ obseruationis mandatorum diuinorum, sed ex gratuita misericordia Dei, ppter obedientiam & meritum Christi Mediatoris: fingunt Pontificij inde consequens esse, iustificatos, nō teneri ad obseruantiam mandatorum. Quasi verò Prophetæ & Apostoli prohibeant & damnent studium bonorum operum, quando (sicut demonstramus) docent ex gratuita misericordia, fide propter Christum Mediatorem, sine operibus homines iustificari. Neq; enim quia opera nostra ex articulo aut negotio & officio iustificationis excluduntur, propterea nullas planè habent causas, nullum vsū quare sint faciēda. Pontificiorum verò imaginatio est: Si bona opera non idē sunt faciēda, vt illis promereamur reconciliationem cum Deo, adoptionē & vitam æternam, tunc potius omittenda esse. Ita verè sunt mercenarij, qui nihil liberaliter vt obedientes filij, prestare velint, sed vt mercenarij, seruiliter spe tantum, & expectatione præmij operari volunt: nec verò ignorare debent, quid Augustinus de huiusmodi operatoribus, ex Scripturæ sententia pronunciet.

Quamuis igitur operibus non promereamur remissionem peccatorum, reconciliationem, adoptionem & vitam æternam, aliæ tamen multæ veræ & graues causæ sunt, ppter quas iustificari & renati debitorum sunt, vt non secundum carnem, sed secundū spiritum viuam & ambulent. Est enim voluntas & mandatum Dei, vt liberati seruiamus ipsi in iustitia & sanctitate corā ipso, Luc. 1. sicut testimonia suprā annotauimus. Et illud debitum inchoandæ nouæ obediētiæ, nō soluitur aut tollitur per gratuitam imputationem iustitiæ Christi: sed ex gratuita illa reconciliatione, accedunt multæ grauissimæ impulsuæ causæ, præstandæ nouæ obediētiæ, quarum primæ quædam respiciunt ipsum Deum, vt sunt testimonia Scripturæ de Deo Patre. 1. Petri 1. Si Deum inuocatis Patrem, sicut filij obediētiæ, sancti estote conuersantes in timore. 1. Ioan. 3. Sumus filij Dei, & qui hanc spem habent, in eo sanctificant se. 1. Ioan. 4. Si Deus dilexit nos & misit filium, debemus ergo & nos alterutrum diligere. Lucæ 1. Fecit redemptionem plebis suæ, vt liberati seruiamus ipsi. 1. Thes. 4. Non vocauit nos Deus ad mundiciem, sed ad sanctificationem.

De filio. Tit. 2. Dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. 1. Petri 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viueremus. 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuam, sed Christo. Ephes. 2. Creati in Christo Iesu ad bona opera. Rom. 6. Sepulti sumus vnà cum Christo

per Baptismum in mortem, vt posthac non seruiamus peccato, sed in nouitate vitæ ambulemus.

De Spiritu sancto. Gal. 5. Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Ephes. 4. Ne contristeris Spiritum sanctum. 1. Thes. 4. Qui hęc spernit, non hominem, sed Deum spernit, qui Spiritum sanctum dedit in nobis. Rom. 8. Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Ephes. 5. Sitis imitatores Dei. 1. Ioannis 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Coloss. 3. Condoneate vobis inuicem, sicut & Deus per Christum. 1. Petri 2. Reliquit nobis exemplum, vt insequeremini vestigia eius. Coloss. 1. Ambulate dignè Deo. Phil. 1. Dignè Euangelio Christi ad laudem eius & gloriam Dei. 1. Petri. 4. Vt in omnibus glorificetur Deus. Tit. 2. Vt doctrinā Saluatoris ornēt in omnibus. 1. Tim. 6. Ne nomē Dei & doctrina malè audiat.

2. Quædam causæ impulsuæ, respiciunt ipsos renatos, vt quia sunt renati in Christo, ergo debent esse noua creatura. 2. Cor. 5. & Rom. 6. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo? Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Ephes. 5. Vt filij lucis ambulate, nec commercium habeatis cum operibus tenebrarum. Ephes. 4. Dignè ambulate vocatione vestra. 1. Corin. 6. Hęc eratis quondam, sed sanctificati estis, &c. 1. Ioan. 3. Qui peccat, non vidit nec cognouit ipsum. Qui nō diligit, manet in morte. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij Diaboli. 1. Tim. 5. Qui suorum curam non habet, fidem abnegauit. 1. Tim. 1. Quidam repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragium fecerunt, &c.

3. Quædam causæ respiciunt proximum, vt nostris officijs subleuetur. Luc. 6. Ne cuiquā offensus sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo? Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Ephes. 5. Vt filij lucis ambulate, nec commercium habeatis cum operibus tenebrarum. Ephes. 4. Dignè ambulate vocatione vestra. 1. Corin. 6. Hęc eratis quondam, sed sanctificati estis, &c. 1. Ioan. 3. Qui peccat, non vidit nec cognouit ipsum. Qui nō diligit, manet in morte. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij Diaboli. 1. Tim. 5. Qui suorum curam non habet, fidem abnegauit. 1. Tim. 1. Quidam repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragium fecerunt, &c.

Sed de causis finalibus bonorum operum, postea quædam repētenda erunt. Nunc breuiter tantum Pontificiorum calumnia refutanda fuit, quasi nostra doctrina vel prohibeat bona opera, vel faciat illa arbitraria, vel certè in dubium reuocet, an faciēda sint bona opera. Recitavi autem præcipua Scripturæ testimonia, vt ostenderem, nos exhortari renatos ad studium bonorum operum, ex illis ipsis fontibus & fundamentis, sicut in Scriptura traduntur, vt que monstrarem, multò rectius in nostris Ecclesijs tradi doctrinam de bonis operibus, quàm apud Pontificios, qui apud se solos gloriantur esse possessionem bonorum operum. Clare enim ex verbo Dei docemus, non tantum quod faciēda sint bona opera, sed explicatur veræ causæ, propter quas faciēda. Traditur etiam, qualia debeant esse opera renatorum, bona opera: vt discretim sit inter virtutes philosophicas, inter opera Pharisæica, & inter renatorum nouam obediētiā, & quomodo in hac nostra infirmitate fieri possit à persona scilicet fide reconciliata, & à Spiritu sancto renata. Sed integra harum quæstionum explicatio, non est huius loci.

SECUNDA QUÆSTIO.

Quæ sint bona opera, in quibus Deus vult renatos exercere obediētiā.

De hac quæstione Concilium Tridentinum capit. 10. inquit iustificatos per obseruationem mandatorum

datorum Dei & Ecclesie, in ipsa iustitia crescere, & magis iustificari. Et Can. 20. dicunt, iustificatum teneri ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesie. Et moderatior quispiam per mandata Ecclesie forsitan intelligeret, quae Ecclesia per ministerium verbi Dei ex Scriptura proponit & prescribit, vt ita plane eadem sint mandata Dei, ratione autoritatis & Ecclesie, ratione ministerij. Sed Concilij interpretes Andradius hanc mitigationem non admittit, disertè enim mandata Dei & mandata Ecclesie contra se distinguit. Et differentiã hanc constituit, quod Dei mandata sint ab ipso Deo, in verbo ipsius tradita: Ecclesie verò mandata sint de iis rebus, quae non habent in verbo Dei expressum mandatũ aut testimonium. Vt autem status quæstionis rectè constitutur, repeto quæ supra in loco de traditionibus dicta sunt, quãdo disputatur de iis, quae habent testimonium in verbo Dei, intelligenda esse non illa tantum, quæ totidem literis & syllabis in Scriptura extant, sed illa etiã, quæ ex certa & manifesta Scripturae sententia, bona consequentia deducuntur. Et si talia intelligerent madata, nulla esset cõtrouersia: Sunt enim non minus diuina mandata, quàm quæ totidẽ literis & syllabis in Scriptura exprimentur. Sed Andradius allegat illud Matt. 23. Super cathedram Moysi sedent Scribae & Pharisei, omnia quaecũq; dixerint vobis, seruate & facite. Et inde argumentatur: Si in veteri Testamento, non ea solum obseruanda erant, quæ Moses præceperat, sed illa etiam, quæ ii imperassent, qui in Moysi locũ successerant, vt Scribae & Pharisei: nõ minor ergo obedientia & obseruantia debetur Prælatis Ecclesie, in nouo Testamento. Ex hac argumentatione Lector nõ obscure intelligit quorsum tradant decreta de madata Ecclesie, vtq; eò propius ad statũ quæstionis accedamus, addenda est hæc declaratio. Sunt in Ecclesia ordinationes quaedã de ritibus aut obseruationibus quibusdam externis, de quibus quæ sit Scripturae sententia, in loco de traditionibus explicauimus. Ritus enim qui sunt Scripturae cõsentanei, quia hætenus habet verbi Dei testimonium, rectè possunt retineri, qui verò cũ Scriptura pugnat, iusto iudicio & temeritate reiciuntur & abolentur.

Sunt verò præterea adiaphori quidam ritus, qui cum Scriptura quidẽ non pugnant, sed tamen non habent expressum in Scriptura mandatũ aut testimonium. De illis simplex & plana est responsio: Si ordini, decoro & ædificationi seruiant, & ita opponuntur, vt non pugnent cum Christiana libertate, hoc est, vt non proponantur vel obseruentur cum opinione necessitatis, cultus & meriti, posse de illis Ecclesia statuere, prout ædificationi pro temporis, morũ & gentium varietate cõducere iudicabitur. Sunt plurib. explicata, supra de traditionibus.

Quod si hic esset quæstionis huius status, non magnoperè contendendum esset.

Sed Andradius Concilij mentem ita explicat: Romanũ Pontificem accepisse à Christo integrã, perfectã atque plenã potestatem regendi vniuersam Ecclesiam, ita vt leges ab illo late, omnibus in rebus non aliter sint obseruandæ, quàm diuine. Et addit: Sæpe euenire, vt maiore scelere inuoluantur, qui tales Ecclesiasticas, quàm qui diuinas leges perfrerit, si præsertim prælatorum despicientia feratur. Et huius exemplum cum Iesuitis hoc adducit, illos veluti ethnicos & publicanos habendos, qui Ecclesie præscriptione ab vtraq; Eucharistia specie sumenda non retardantur. Hæc omnia

sunt Andradij verba, ex quibus Lector intelliget: quale *τρυφονειον* sit locus Pontificiorum, de mandatis Ecclesie. Tridentini verò patres, præter hæc addunt cap. 10. hominem iustificari obseruatione mandatorum Dei & Ecclesie.

Est igitur iuxta Andradij explicationem status cõtrouersie in hac quæstione, 1. Leges à Romano Pontifice & Prælatis Ecclesie datas, licet non habeant mandatũ aut testimonium verbi Dei, non aliter tamen omnibus in rebus obseruandas, quàm diuinas. 2. Sæpe maius esse scelus, huiusmodi traditiones, quàm diuinas leges perfringere. 3. Obligationem talium traditionum talem ac tantam esse, vt illi qui in sumenda vtraque Eucharistia specie, malunt testamentariam filij Dei institutionem, quàm Prælatorum Ecclesie præscriptionẽ, sequi, habendi sunt veluti ethnici & publicani. 4. Obseruatione talium traditionum, homines coram Deo iustificari ad vitam æternam. Non fingo hæc, id eò ipsa verba & Concilij, & Andradij, qui Tridentini in Concilio scripsit, annotaui.

Quæ verò insolentior potest excogitari impudentia, quàm hominum traditiones pari, imò eodem gradu æquare mandatis diuinis? & quid dico æquare, imò præferre, & quidem ita præferre vt malus pronuncietur esse scelus humanas traditiones, quàm diuinas leges perfringere, imò scelus esse anathemate dignum, si quis noluerit humanam prohibitionem præferre institutioni filij Dei, de vtraq; Eucharistia specie sumendã. Agedum purpurata bestia, homo peccati, & filii perditionis, imple mēsuram eius quod scriptum est, 2. Thess. 2. vt ex coloribus pij te cognoscere possint. Extolle te super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Colloca te in templo Dei, tanquam Deum, ostēta & renuncia te ipsum quod sis Deus. Quin quod res est, apertè dic, Isaia 14. In cœlum conscendam, iuxta altra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, ascendã super altitudinẽ nubium, similis ero altissimo. Faxit autem Deus, vt propediẽ sequatur alter ille versiculus: veruntamen ad infernũ detraheris, in profundũ lacus, Amen, amen.

Olim Pelagius damnatus est, quod iustificationem tribuebat obseruationi legis diuinæ. Nunc verò in Concilio Tridentino, non verentur pronunciare hominem gratis iustificatum, magis iustificari per obseruationem mandatorum Dei, & traditionum humanarum, ita vt meritum vitæ æternæ distribuatur inter obseruationem mandatorum Dei, & traditionum humanarum. Quomodo verò putas, Paulum ad hanc blasphemiam si audisset, exclamaturum fuisse? qui de operibus legis diuinæ inquit: Si per legem iustitia, gratis ergo Christus mortuus est. Euacuati estis à Christo, à gratia excidistis qui in lege iustificamini.

Augustinus de suo tempore inquit Epistola 119. Hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrimè præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, vt grauius corripatur, qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit. Et addit: Vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnouerunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciebantur. Quid verò existimas optimum illum virum dicturum, si legisset illa blasphemiarum monstra, quæ in Concilio decernere non verentur de humanis tradi-

traditionibus æquandis, imò præferendis mandatis diuinis, & de iustificatione hominis, per observationem traditionum humanarum? & debebat quidem in hominibus in Ecclesia, ea esse lux, & is zelus, vt ne ad auditum quidem admitterentur talia portetiloquia, sicut Irenæus loquitur. Sed quia postrema iam sunt tempora, in quibus iuxta Christi & Apostolorum vaticinia regnat efficacia erroris, talia impunè nò tantùm scribuntur, sed in Tridentina Synodo, tanquam Spiritus sancti oracula promulgantur. Breuiter autem recitabimus firmam, perspicua & immota Scripturæ testimonia, ea esse opera, in quibus Deus vult renatos exercere obedientiam, quæ ipse in verbo suo præscripsit & mandauit. Res enim si iuxta Scripturæ testimonia iudicetur, manifestissima est. Nam & affirmatiuè & negatiuè Deus sententiam suam de hac quæstione in Scriptura patefecit, propterea quòd omnibus temporibus fuerunt, qui pietatis specie, & prætextu bonæ intentionis, à norma bonorum operum in verbo Dei nobis propofita discesserunt, facturi vel plura, vel præstantiora opera, quàm quæ Deus ipse nobis præscripsit. Est enim Pharisaica quædam animi humani superbia, quæ non libenter patitur ad præscriptum verbi diuini se astringi & alligari, sed electitios cultus, vel à se, vel ab aliis excogitatos, iudicat esse præstantiores. Hinc luci, hinc excelsa, & multi tales cultus, apud populum veteris Testamenti, qui diuinitus non erant mandati, in quibus, prætextus bonæ intentionis ita regnauit, vt lapidaret & occideret Prophetas, reprehendentes tales electitios cultus. Verè autem sunt sarcasmi Diaboli, acerbè illudentis miserimæ infirmitati corruptæ nostræ naturæ.

Quia enim propter carnem in hac vita adhaerentem, ne renati quidem legi Dei perfecta obedientia satisfacere possunt, inistillat Diabolus tales opiniones, naturam humanam plura & præstantiora posse supererogare, quàm quæ Deus præceperit. Et sit, ac si seruus, neglectis & posthabitis Domini mādatis, occupetur aliis laboribus ex suo arbitrio delectis & susceptis. Ita autè loquitur Deus in Scriptura, Deut. 12. Nò faciat vnusquisq; quod in oculis suis rectum videretur, sed quicquid ego præcipio, hoc obseruabitis, vt faciatis Domino, nec addas ad illud quicquā, nec minuas quicquam ab eo.

Numeri 15. Non sequantur cogitationes suas, & oculos post quos fornicantur, sed memores præceptorum Dei, faciant ea, eruntq; sancti Deo suo.

Ezechielis 20. In præceptis patrum vestrorum nolite incedere. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate. Obseruetur addita ratio, quare non in patrum, sed in Dei præceptis ambulandū sit: quia inquit, Ego sum Dominus Deus tuus. Hac enim præfatione in Decalogo vendicat sibi præcipiendi autoritatē, & nos ad verbi sui obedientiā alligat. In eius autem præceptis ambulare debemus, qui est Dominus Deus noster. Hunc titulum, qui vel verbis, vel facto, tribuit Rom. Pontifici, & Prælati Ecclesiæ, manifestè blasphemus est.

Deuter. 5. Facite quod præcepit Dominus Deus vester, non declinabitis, neq; ad dextram, neq; ad sinistram, sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis.

Ier. 1. Quis requisit hęc de manibus vestris? Matth. 15. ex 29. Esaiæ: Frustrà colunt me mandatis, quæ ab hominibus docentur. Colof. 1. expresse damnatur ἰθελθηρησια, cultus electitij. Eph. 2. dicit

Paulus, Deum præparasse opera, in quibus ambulent, qui in Christo Iesu ad bona opera creati sunt.

Et Rom. 12. traditurus doctrinā de bonis operibus inquit: Vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, placens & perfecta. Voluntas autem Dei, ex verbis ipsius æstimanda & discenda est. Ita Rom. 13. ostensurus quomodo & vnde voluntas illa Dei sit probanda, nominat legem, & ad verbū recitat præcepta Decalogi. Ita Gal. 5. charitatē quæ radix & summa est bonorū operum, dicit nihil aliud esse quàm plenitudinem legis, & summam mandati, 1. Tim. 1.

2. Tim. 3. Omnis scriptura Dei utilis est, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonū instructus.

Verbum igitur suum Deus proponit normam bonorum operum: & quidem ita, vt cultus electitios, & mandata quæ ab hominibus opinione cultus docentur, reiiciat. Et affirmat, verbum suum normam esse perfectissimam, inquit enim: Nec addas quicquam, nec minuas, Deut. 12. Nec declines vel ad dextram, vel ad sinistram, Deut. 5. Ios. 1. Iniuria igitur sit normæ diuinæ bonorum operū, quam ipse pronunciat esse perfectissimam, quando ei aliquid ab hominibus superadditur. Et norma bonorum operū, præter cæteras causas etiam idèd ex verbo Dei proponi debet in Ecclesia, vt de imperfectione nostra nos admoneat, in ipso exercitio & cursu bonorum operum. In humanis enim traditionibus, & in electitiis cultibus, mens humana facillè potest persuasionem perfectionis, imò supererogationis sibi fingere, quæ pernicies est doctrinæ iustificationis.

Hęc Scripturæ testimonia manifestè docent, quæ sit Dei sententia de propofita quæstione: Lectorè autem oro, vt ea, quæ Prophetæ contra cultus electionis, & quæ Christus contra traditiones seniorum disputant, cōferat ad Andradij axiomata suprā recitatā, quæ ex Tridentino durante concilio in orbem Christianū sparsit: & videbit, qualis spiritus præfederit in Tridentino concilio.

Propter cauillationes verò hoc addam, non intelligendas esse captiose breuissimas illas lineas, quæ in Decalogo signatæ sunt, sed sicut norma illa bonorū operum à Prophetis, Christo & Apostolis in Scriptura tradita & explicata est. Et simul intelligimus, quæ in diuina illa norma comprehenduntur & continentur, vt cum Paulus gratis prædicet Corinthiis, ne offendiculum det Euangelio, 1. Cor. 9. &c.

Audiamus iam porrò, quæ argumenta contra hęc Scripturæ testimonia, Andradius mandatis Prælatorum Ecclesiæ, eo sicut dictum est modo, patrocinatur opponat.

1. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit, Lucæ 10. Mandatum ergo Christi est, vt Prælatos Ecclesiæ non secus ac se ipsum audiamus, illis omnibus in rebus obtemperemus, eorum præcepta non aliter obseruemus quàm diuina, & existimemus, magis esse diuina iussa quàm humana. Hęc Andradius. Respondeo: Dulcissimam doctrinam & consolationem continet hęc Christi sententia, quòd ministri verbi, quando ea quæ docent, ex verbo Dei probant, non secus audiendi sunt, ac si vox diuina cœlitus nobis insonaret. Deus enim ministerio adest, & per illud medium nobiscum loquitur, & efficax est, sicut Baptista inquit: Ego sum vox clamantis. Deus enim est, qui per Baptistam clamat. 2. Corinthiorum 13. Paulus inquit: An experimentum quæritis eius, qui

in me loquitur Christus? Ita 2. Cor. 5. inquit: Deus exhortatur per nos. Quomodo vero? quia verbū reconciliationis posuit in nobis. Sicut Isa. 59. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, &c. Hæc doctrina conciliat ministerio verā reuerentiam, & flectit animos ad obedientiā, iuxta dictum Heb. 13. Obedite prepositis vestris. Vt quādo ministri afferunt & proponunt verbum Dei, auditores accipiunt illud, nō uti verbum hominum, sed sicut vere est verbum Dei, sicut Paulus inquit 1. Thessal. 2. Et dulcissima est consolatio, quod vere possumus statuere, quando ex ore ministri verbū Dei audimus, ipsum filium Dei nobis adesse, nobis loqui, & per illud verbum efficacem esse. Inde enim pendet quod Christus pronunciat: Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: quicquid solueritis in terra, solutum erit in cœlo. Sed hæc dignitas, reuerentia, obedientia & efficacia ministerij, inde pendet, ut verbum Dei afferat & proponat.

Hoc vero Andradius non vult, sed concedit, Christum prælati Ecclesiæ dedisse potestatem, non limitatam, sed quasi infinitā, ut quæcunq; proponant, statuunt & præcipiant, siue habeant mandatum & testimonium verbi Dei in Scriptura, siue non habeant, Ecclesia nihilominus alligata sit ad obedientiā, ut omnibus in rebus Prælati suis obtemperet, & illorū præcepta non aliter obseruet quam diuina, ita ut nulla ratione de illorū præceptis disceptandum sit, an scilicet verbo Dei sint cōsentanea. Et ex Hieronymo huc accommodat dictum illud: Audi Israel & tace. Sed hæc nullo modo est verborum Christi sententia. Cum enim ad ministerium emitteret Apostolos, Matth. 10. & 17. Luc. 10. addit quidem ipsorum ministerio hoc priuilegium: Qui vos audit, me audit. Num vero hanc habet sententiā: Quicquid hominibus tradideritis, etiam si eius rei nullum à me habeatis mandatū vel verbi mei testimonium, nihilominus pari reuerentia & pietatis affectu obseruandum erit, ac si esset diuinum mandatum? Nullo vero modo: sed certa mandata ministerio Apostolorum & septuaginta, Matth. 10. Luc. 10. præscribit, quibus tanquā certis limitibus, & quasi cancellis ministeriū ipsorum includit & circumscribit. Et de illa administratione ministerij, certis mandatis Christi circumscribita dicit: Qui vos audit, me audit. Ita Matt. 28. dicit: Vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi, sed addit: Docete eos seruare quæcunq; præcepi vobis, & tunc recte dicitur: Qui vos audit, me audit. Ioan. 20. Christus dicit: Sicut me misit pater, ita ego mitto vos. De sua vero missione dicit Io. 14. Sicut mandatum mihi dedit pater, sic facio. Qui vero ab ipsis Apostolis egressi sunt, quando non afferunt doctrinam Apostolicam: num in omnibus reb. ipsis obtemperandū est, nū præcepta ipsorū non aliter ac diuina obseruanda sunt? nullo vero modo, inquit Io. sed nolite eos in domū recipere, nec aue eis dixeritis. Itē, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, nū ex Deo sint. Multi enī Pseudoprophetæ exierūt in mundū. Ita Paulus ipsos Apostolos docet alligatos esse ad certā vocē doctrinæ, à Christo traditæ & acceptæ, ita ut anathema dicat, si vel Angelus è cœlo præter illud annūciat. Gal. 1. Falsum igitur est quod Andradius dicit, Ecclesiam diuinā habere autoritatē in ferendis legib. quæ nullum habeant vel mandatum, vel testimonium in Scriptura. Si enim habent verbi Dei testimonium, tunc diuinas esse, nullum est dubiū.

2. Texti argumentum ex loco Acto. 15. Christus non instituerat ut conuersi ex Gentibus abstinerent sanguine, suffocatis, &c. imo ex Paulo discimus, abrogatos tunc & antiquatos fuisse omnes veteris legis ritus. Et tamen Apostoli de illis legem imponunt Gentibus, & confidenter asseuerant, non sibi modo, sed Spiritui sancto etiam ita visum fuisse. Ergo Ecclesia diuinam habet autoritatem ferendi leges, etiam de illis, quæ à Christo, vel non sunt tradita, vel etiam ab ipso abrogata.

Fortè mehercule argumentum, quod Prælati Ecclesiæ tribuere potest infinitam licentiam, non tantum quiduis sine verbo Dei instituendi, sed & ea quæ Christus prohibuit permittendi, vel quæ ipse instituit prohibēdi. Vbi igitur manet iste titulus. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate? Num gloriā illam alteri nunc dedit? Nū inter 15. annos obliti fuerāt eius mandati. Matt. 28. Docentes eos seruare quæcunq; ego mandauī vobis, & quod Acto. primo in vltimo colloquio constituantur doctrinæ Christi testes, non nouæ doctrinæ legislatores. Et si quis Apostolis in carne viuētib. hoc tribuere voluisset, quod haberent diuinam autoritatem ferēdi leges, de quibus nullum haberēt vel mandatum, vel testimonium verbi diuini: imo quod possent ea, quæ Christus abrogaret restituere, vel quæ instituerat abrogare: sine dubio sonora voce & scissis vestibus ostendissent, se illud nec agnoscere, nec probare.

Illa enim adulatoria prædicatio vere esset accusatio παραπροβέας, quod legationē suā 2. Cor. 5. nō fideliter obtinerent, sed excederent fines mādati, quod de iure etiam communi infamiæ genus est.

Ad ipsum vero argumentum hoc respondeo: propter illā etiam causam Apostoli dicunt, Visum est Spiritui sancto, & nobis, ne purarentur, pro imperio, sine mandato & testimonio diuino, tale decretū facere. Vnde vero certi fuerint Spiritui sancto ita videri, ex oratione Petri & Iacobi manifestū est, vbi certe votatio gentium, & articulus gratuitæ iustificationis, quod onus legis non sit imponēdum conscientijs: & ex Scriptura, & miraculis Spiritus sancti probantur. Et hæc sunt præcipua capita decreti Apostolici. De reliquis vero quatuor capitibus, ut de idolothytis, sanguine, suffocato, & fornicatione, planā etiam est responsio. Fornicatio enim quæ inter gentes pro se indifferente habebatur, certe voce diuina prohibetur, & quibus argumentis Apostoli eam gentibus conuersis prohibuerint, manifestū est. 1. Cor. 6. vbi certe non dicit, se pro arbitratu suo eam prohibere, sed grauissimis utitur argumentis. De reliquis tribus, obscurior videtur ratio, sed fundamenta sunt manifesta. Ritus enim illi legales erant antiquati, non quod simpliciter interdicta & prohibita esset eorum obseruatio: sed quod illorū obseruatio iam non erat amplius eo modo necessaria, sicut sub lege fuerat, sed libera erat facta. Illa vero libertate in rebus medijs seu adiaphoris, verbum Dei docet non esse vtendū; Si charitas mōstret, infirmos in fide offendendi: & si libertas illa non vsurpata, possit sine fidei detrimento, infirmos inuitare ad fidem. Quia igitur talis tunc erat ratio eorum, qui inter Iudæos infirmi erant: Apostoli ex illo verbi Dei fundamento, decretum hoc fecerunt, ut qui ex Gentibus conuersi erant, libertate sua, in illis ritibus, qui iam facti erant adiaphori, ad tempus non vtentur, ne offenderent infirmiores inter Iudæos, sed

in libertate
utrumque
quando non

sed ut ita per charitatem eos ad fidem Christi inuiterent.

Non igitur sine fundamento & testimonio verbi Dei, Apostoli ex plenaria potestate decretum istud fecerunt: nec per illud quod Christus prohibuit, ipsi lata lege gentibus imposuerunt: sed ex regula verbi Dei, de vsu libertatis in ritibus ad iaphetis, decretum illud sumpserunt. Quod verò capita illa vocant necessaria, non hunc habet sensum, quasi ea, quæ Christus libera reddidit, Apostoli eo modo necessaria faciant Gentibus, sicut sub lege fuerant. Hoc enim Paulus acriter reprehendit, Gal. 2. & Col. 2. Sed quia tunc charitas exigebat, ut illa sua libertate, qui ex Gentibus conuersi erant, propter proximi ædificationem inter Iudæos non vterentur, sed ab ea abstinerent: hæcenus & hoc modo Apostoli dicunt ea, quæ per se libera sunt, necessaria fieri, non per se, non generaliter, nec semper, sed pro ratione ædificationis infirmiorum. Nam 1. Corinth. cap. 10. Paulus dicit: Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. In Epistola verò ad Galatas, & ad Coloss. erga eos, qui non infirmi, sed præfracti sunt, & vigent opinionem legalis necessitatis illorum rituum ad salutem, Paulus docet non cedendum, sed necessariò vsurpandam libertatem. Diuersitas verò non pendet ex plenitudine quadam potestatis, ut sine fundamento & testimonio verbi Dei, pro arbitrato quiduis possint, modò constituere, modò abrogare, sed habet certa fundamenta, & firma testimonia in verbo Dei. Talem verò potestatem & auctoritatem ministerij, libenter agnoscimus & prædicamus.

Spiritus sanctus igitur, qui adest ministerio in Ecclesia, non præbet infinitam licentiam quiduis statuendi, sed gubernat Ecclesiam, iuxta verbum patet factum. Nam & Apostolis Christus dicit, Iohannis 14. Spiritus sanctus suggeret vobis omnia quæcunq; dixi vobis. Non enim inquit (sicut Pontificij textum deprauarunt) Quæcunq; dixerò vobis. Et tamen differentia est. Apostoli enim habent diuina testimonia miraculorum, & Spiritus sancti, quòd non errent in doctrina. Talia verò testimonia, reliqui Prælati Ecclesiæ non habent, sed alligati sunt ad vocem doctrinæ cœlestis, sonantis in Scriptura, sed talem subiectionem ægerrimè ferunt Prælati Pontificij, tam procul scilicet absunt à politica etiam modestia, quæ in laudatissima illa sententia celebratur. Digna est vox maiestate Imperatoris, legibus subiectum se principem fateri.

3. Ad obiectionem illam verissimam: Omnia quæ à ministris Ecclesiæ proponuntur, sacrarum literarum trutinâ examinanda esse. Audi quæso, quid Andradius in Tridentino Concilio didicerit respondere: Christi, inquit, verba sunt: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei, omnia quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite. Hæc verò verba ita interpretatur: Non ea solùm obseruanda esse decernit Christus, quæ Moyses præceperat, sed illa etiam quæ ij imperassent, qui in Moysi locum succederent: Scribæ scilicet & Phariſei. Et inde à minori ad maius argumentatur, de obseruantia Prælatorum Ecclesiæ in nouo Testamento. Hoc argumentum non idèò recito, quasi requirat operosam aliquam explicationem: sed ut Lector videat, qualem dominatù quærant Pontificij in Ecclesia, & quàm religiosi sint tractatores, & interpretes Scripturæ. Ut enim de veterum explicationibus non dicam, qui

interpretantur scribas tunc sedere super Moysi cathedrâ, quando non suas traditiones, sed doctrinâ à Deo per Moysen traditam proponunt, & tunc propter personarum vitia, ministerium verbi non esse contemnendum, vel abiiciendum, certè ipsarum euidencia, impudentem & parasiticam Andradij interpretationem refutat. In illo ipso capite Christus dicit: Væ vobis Scribæ & Pharisei, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Væ vobis duces cæci, qui dicitis, &c. Lu. 17. Væ vobis Legisperiti, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Mat. 16. Videte & caute à fermento Phariseorum & Sadducæorum. Quod Euangelista postea expresse interpretatur de doctrina Phariseorum & Sadducæorum, Matth. 15. vbi de traditionibus Phariseorum quæstio proposita erat, Christus disertè dicit: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum, cæcus verò si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Et quid multis manifestissimè enim est, in tota Euangelica historica, Christo certamen esse cum Pharisæis, propterea quòd sine verbo Dei extra & præter verbum Dei, hominum conscientias traditionibus seniorum onerabant. Et ab illis Christus homines reuocat ad verbum Dei: Frustrâ enim, inquit, colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Et hæc cum sint euidentissima, cogitet Lector, quale sit Concilium, in quo Andradius non veretur ad stabiliendâ Romanorum Pontificum tyrannidem, tam impudenter falsam fingere interpretationem verborum Christi, Mat. 23. quæ vno calculo Pharisæos potest absolvere, Christum verò & omnes Apostolos damnare. Ut quid enim, si vera est Andradij interpretatio, omnia Pontificum dicta & mandata ad trutinâ verbi Dei examinabât, & nõ potius simpliciter quæ ab ordinariis imperabantur, obseruabât? Dignum certè est hoc emblemâ, Põtificia Synodo.

4. Verbum Dei nihil statuit de ieiunio Sabbati. Ignatius verò scribit, Apostolos fecisse decretum, eos esse interfectores Christi, qui Sabbato ieiunarent. Habent ergo Prælati Ecclesiæ, diuinam auctoritatem in ferendis legibus, quæ nullum habent vel mandatum, vel testimonium in verbo Dei. Respondeo: Hoc ipsum argumentum ostendit, qualia sint fundamenta decretorum Pontificiorum. Suprà enim in loco de traditionibus, clarè ostendimus, supposititium esse, quod ex Ignatio citatur, & falsò hoc decretum, cum tali quidem appendice, Apostolis tribui. Augustin. enim Epist. 86. ex professo disputat, Sabbato ieiunare vel non ieiunare, non esse traditionem Apostolicam, sicut tunc etiam à quibusdam ceperat disputari. Et Socrates lib. 5. ca. 22. in genere ostendit, Apostolos nullas leges de ieiuniis condidisse. Supposititium igitur & falsum est fundamentum illud. Hoc quidem fieri potest, quòd in gratiam infirmorum, qui ex Iudæis vel conuersi vel conuertendi erant, tale quid constitutum & seruatum fuerit ex regula charitatis in Christiana libertate, sicut dictum est de decreto Apostolorum, Act. 15. Paulus verò accuratè discernit ea, de quibus expressum Dei mandatum habet, & de quibus ipse Apostolico spiritu contulit. Illis enim hoc addit: Nõ ut laqueum vobis iniiciam, 1. Cor. 7. Nõ igitur Apostolici spiritus est appendix illa, eos esse interfectores Christi, qui Sabbato ieiunent.

5. In antiquissimis & probatissimis Concilijs, multæ factæ sunt constitutiones, quæ à pijs Imperatoribus, & à reliqua Ecclesia, religiosè obserua-

ta fuerunt. Habet ergo Ecclesia diuinam autoritatem in ferendis legibus, &c. Respondeo: Qua moderatione, & quo fine in rebus adiaphoris Ecclesia ad ædificationem possit aliquid statuere, supra explicatum est. Et hac ratione, hoc fine vtiles & pias ordinationes non damnamus, modo non fiant laquei conscientiarum, & in Christianam libertatem impingant. Nullo modo vero quod Andradius contendit, concedimus, inde stabiliri tyrannidem Romani Pontificis, quæuis impia decreta, superstitionas opiniones & laqueos conscientiarum. In illa enim libertate standum est, qua nos filius Dei liberavit, ne iugo seruitutis subiiciamur, Galat. 5. Col. 2. Hæc sunt Andradij argumenta. Reliqua vero de operibus indebitis & supererogationis, pertinent ad locum de pœnitentia.

TERTIA QVÆSTIO.

AN BONA OPERA RENATORVM
in hac vita ita sint perfecta, vt legi diuina plene,
cumulate & perfecte satisfaciant.

Vera explicatio huius quæstionis, omnibus temporibus, variis corruptelis, turbata & deprauata fuit, propterea quia non sola scripturæ testimonia, sed rationis etiam iudicium adhibetur in consiliū. Eius vero axioma est, sicut Plutarchus in Solone inquit: *δὲ κατὰ τὸ δυνατόν τῆς θεοῦ τὴν νόμους*. Lex debet habere hanc conditionem, quod sit possibilis illis, quibus proponitur. Hæret præterea in tristissima miseræ naturæ deprauatione, Pharisæica præsumptio perfectionis, imo supererogationis. Inde in ipsa promulgatione legis populus dicit, cuncta quæ locutus est Dominus faciemus. Exodi 19. Deut. 5. Deus vero vt persuasionem illam retunderet, specie tam terribili legem promulgauit, vt ter: iti dicerent: Non audiamus ultra vocem Domini, ne moriamur. Cumque peteret vt Moses esset Mediator, ipse vero diceret: Exterritus sum, & tremebundus, Heb. 12. Deus repetiuit promissionem de Messia, & de doctrina Euangelij, Deut. 18. Act. 3. Et Deut. 5. inquit: Bene locuti sunt. Sed quis det talem eos habere mentem, vt custodiant vniuersa mandata mea, omni tempore? Cum Pharisæis etiam Christo multum fuit negotij, de illa persuasione perfectionis, Matth. 19. Lucæ 10. Omnia hæc seruauit à iuuetute mea, quid adhuc mihi deest? Et Lucæ 18. Pharisæus coram Deo gloriatur, se ultra mandata Dei, multa etiam supererogasse. Et nostro tempore vna ex præcipuis controuersis est, quæ magna contentione à Pontificiis disputatur, perfectam impletionem legis adeo esse & possibilem & facilem, quod renati in hac vita sua obedientia non tantum plenè & perfecte legi diuinæ satisfacere possint, sed quod ultra legem Dei, multa etiam opera indebita possint supererogare.

Valde magni autem momenti est hæc controuersia. Primo enim non recte tradi, intelligi aut usurpari potest doctrina scripturæ, de agnitione & cōfessione peccatorum, quæ etiam in sanctis in hac vita hærent & manent, nisi recte explicata hac quæstione. Secundo, Puritas articuli iustificationis non potest retineri, nisi ex scripturæ sententia hæc quæstio recte explicetur: vt scilicet monstratur, ubi renati quærere debeant perfectam impletionem le-

gis, quam coram iudicio Dei opponere possint accusationi legis & iræ Dei aduersus peccata, vt iusti pronuncientur ad salutem & vitam æternam. Habent quidem renati per spiritum renouationis inchoatam obedientiam legis: sed quia minimus apex in lege diuina non potest cadere quin perfecte impleatur, renati inchoata illa sua obedientia, quæ nõ est perfecta, non possunt in iudicio Dei consistere, vt propter illam iustificentur ad salutem & vitam æternam. Christum igitur fide apprehendunt, qui est impletio legis ad iustitiam omni credenti, Ro. 10. Persuasio vero, quæ renatorum bonis operibus in hac vita tribuit perfectionem, facit Christum post primam reconciliationem ociosum, vt nõ amplius sit nostra iustitia, Jerem. 25. sed iustificatione transfert à Christo ad nostra opera. Tertio, ipsa doctrina de bonis operibus, non potest recte tradi sine vera quæstionis huius explicacione. Neque enim vera & necessaria animi humilitas, in ipso exercitio & cursu bonorum operum, præstari potest, sed Pharisæica gloriatio, quam Paulus Rom. 3. 1. Cor. 1. exclusam esse vult, sequetur, si doceatur renatos suis operibus in hac vita perfecte satisfacere legi diuinæ. Ostendit etiam quæstionis huius explicatio, cum Scriptura manifeste affirmer, credentium bona opera Deo placere, quomodo & quare placeant, scilicet non ideo quod legi perfecte in hac vita satisfaciant, sed quia omnia mandata tunc facta deputantur: quando quicquid non fit, propter Christum ignoscitur, sicut August. loquitur lib. 1. Retractatio. cap. 19. Et Pontificij nõ sine causa, tanta contentione de hac quæstione dimicant. Vident enim præcipuos regni sui neruos in ea consistere, renatos scilicet bona sua opera posse & debere opponere iudicio & iræ Dei, vt propter illa digni iudicentur vita æterna, imo multa ipsos posse supererogare, quæ per nundinationem Pontificiam aliis possint accommodari.

Remouendæ autem sunt calumniæ, vt status quæstionis recte constituatur. Non enim docemus, impletionem legis ita esse impossibilem, vt qui per spiritum renouationis renati sunt, nec possint nec debeant in hac vita inchoare obedientiam legis. Neque hoc etiam principaliter contra Pontificios disputamus, quod homines nõ renati naturalibus liberi arbitrij viribus, non possint legi Dei perfecte satisfacere. Dicimus enim, licet externam disciplinam aliquo modo præstare possint homines etiam non renati, verum tamen hoc est, spiritualement legis obedientiam ne inchoari quidem posse sine Spiritu sancto. De renatorum igitur bonis operibus, qualia in hac vita sunt, quæstio est, an scilicet perfecta impletione legi diuinæ plene & cumulate ita satisfaciant, vt lex diuina nihil habeat, quod in illis bonis renatorum operibus in hac vita accusare & damnare possit, si Deus in iudicium cum ipsis, sine venia & remissione intrare vellet.

Quibus vero, & quam insidiosis technis fabricatum sit 11. capitulum Tridentini Concilij, lectori paucis monstrandum est. Studiosè enim vitarunt vocabulum perfectionis. Non expressè dicunt, quod tamen sentiunt & volunt, perfectam impletionem legis diuinæ, operibus renatorum in hac vita possibilem & facilem esse, sed in genere dicunt, obseruationem mandatorum Dei, homini iustificato, iuuantem Deo non esse impossibilem. Quod si de obseruatione mandatorum Dei, quæ in renatis per Spiritum renouationis in hac vita inchoatur, quæ etiam subinde crescere debet, intelligerent: nulla esset con-

Effectus persuasionis de perfectione bonorum operum.

Insidia vnicuique capituli.

Supererogatio operum indebitorum.

trouersia. Ideo enim spiritu renouantur iustificati, vt possint inchoare nouam obedientiam iuxta madata Dei. Ita etiam allegant Scripturæ sententias, quæ monent iustificatos debere inchoare nouam obedientiam, & quæ docent renatos habere talem inchoatam obedientiam. Sed hæc nullam plane apud nos habet controuersiam, sicut in prima quæstione ostendimus. Sine distinctione etiam loquuntur de bonis iustificatorum operibus, qualia sint in se, quando ad normam legis diuinæ exiguntur: & quo loco apud Deum reputentur, quando propter Christum nati & defectus non imputantur. Quid vero sub illis indistinctis generalitatibus quærant, in fine non obscure indicant: iustificatorum scilicet bona opera in hac vita tam esse perfecta, vt nihil illis adhareat quod venia opus habeat. Illud vero non statim in principio 11. capituli proponunt, sed ludunt generalibus sententiis & argumentis, vt ita imperito & incauto Lectori facum faciant: vt priusquam animaduertat, irretitus teneatur.

Eodem artificio ludunt vocabulo impossibilitatis. Meminerunt enim Pelagianos olim Augustino negocium fecisse illa cauillatione: quod secundum absolutam Dei potentiam, non sit impossibile, vt per gratiam Dei renatus aliquis in hac vita sit sine peccato. Augustinus vero de peccatorum meritis lib. 2. ca. 6. respondet: aliam esse quæstionem vtrum esse possit, & aliam vtrum sit. Et addit ca. 7. Si quærat, vtrum in hac vita aliquis sit sine peccato, esse nō credo: magis enim credo Scripturæ, vbi sanctorum vox est: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nō est. Inde igitur Augustinus dicit ibidem ca. 6. & de natura & gratia cap. 43. Deum non præcepisse homini impossibilia. Illud vero dupliciter exponit, primò ad Bonifacium lib. 3. ca. 7. Gratia Dei tribuit in hac vita studium præcepta seruandi, & eadem, si quid etiam in illis præceptis minus seruatur, ignoscitur. Et primo Retractat. ca. 19. Omnia mandata Dei facta deputantur, quando quicquid non sit, ignoscitur. Secundò, in libro de perfectione iustitiæ, dicit non versari in quæstione, an possit homo omni prorsus culpa vacare: sed quando atque per quem: hoc est, neque in hac vita, neque naturæ, sed solius diuinæ gratiæ viribus. Ad Valerium lib. 1. ca. 29. Ad hoc lex dicit, Non concupisces: vt medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & qua possit à nobis in illa immortalitate beatissima perueniri. Nisi enim esset quandoq; perficiendum, nunquam iubendum fuisset.

Et propter illas quidem Pelagianorum cauillationes, Augustinus à vocabulo impossibilitatis abstinuit. Postea vero in libello supposititio sub Hieronymi titulo anathema adiectum est: & illud citatur à Tridentinis. Scriptura vero de obseruatione legis non veretur dicere esse iugum, quod nec Apostoli, nec credentes in primitiua Ecclesia, nec Patres ferre potuerint, Acto. 15. quod de iustificatis certe, & renatis dicitur. Et pulcherrima est Bernardi sententia, Sermones 50. in Cantica: Si placet tibi, de affectuali charitate datum fuisse mandatū, non inde contendo: dummodo acquiescas & tu mihi, quod minime in vita ista, ab aliquo hominū possit vel potuerit adimpleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? Nec latuit Præceptorem, præcepti pondus hominum excedere vires: sed iudicauit

vtile: ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admonere & vt scirent sanè, ad quem iustitiæ finem nisi pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia; non præuaricatores homines fecit, sed humiles: vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Accipientes quippe mandatum, & sentientes defectum, clamabimus in cælum, & miseretur nostri Deus: & sciamus in illa die, quia non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

Ex hac commemoratione intelligit Lector, quo consilio Tridentini de vocabulis possibilitatis & impossibilitatis litem moueant: vt scilicet ita homines à vero statu quæstionis abducant. Seposita igitur lite de vocabulis, de rebus ipsis constituatur quæstio: an scilicet renatorum bona opera in hac vita, perfecta impletione legi diuinæ satisfaciunt: sicut supra statum quæstionis constituimus.

Renatorum
opera seruum
perfecta.

Facilior autem & planior erit explicatio. Andradius enim quatuor axiomata, quæ in hac quæstione sunt fundamenta firmissima, concedit & approbat.

Primo, Nouitatem seu sanitatem, quæ in renatis per Spiritum sanctum, inchoata est in hac vita, non esse perfectam & absolutam. Est enim & manet in renatis in hac vita, nouus & vetus homo, caro & spiritus: lex mentis, & lex peccati. Et interior homo de die in diem renouatur: sicut Augustinus multis probat, lib. 2. de peccatorum meritis. Et tractatu in Iohan. 4. Lex vero est spiritualis. Rom. 7. Quamdiu igitur caro repugnat spiritui, lex non potest perfecte impleri. Ita Augustinus integram sanitatem, & perfectam charitatē, quæ sit impletio legis, mutuo se consequi docet, libro de perfectione iustitiæ.

Secundò, Præceptum charitatis de diligendo Deo ex toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus. Item vltimum præceptum, Non concupisces: in hac vita non posse à quoquam perfecte impleri, quamdiu aliquid est carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, & quam diu corruptibile istud incorruptionem non induerit: sicut Augustinus ex Scripturæ fundamentis, multis in locis præclare demonstrat, lib. de perfectione iustitiæ, de spiritu & litera ca. 36. ad Bonifacium lib. 3. ca. 7. Ad Asellicum epist. 200.

Augustinus.

Tertio, Propter carnem, in qua non habitat bonum, sed malū: quod volēti bonum facere, adiacet malum: & propter legem peccati in membris renatorum, quæ repugnat legi mentis: nemo renatorū in hac vita est sine peccato. Rom. 7. I. Ioa. 1. Psal. 32. & 129. Proue. 20. Sicut Augustinus multis disputat de peccatorū meritis lib. 2. De perfectione iustitiæ. Et de natura & gratia, cap. 36. pulcherrime dicit: Si omnes sanctos & sanctas cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato, quantalibet fuerint excellentia sanctitatis: si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatū non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Peccatum vero iuxta Ambrosium, est præuaricatio legis diuinæ. Non ergo perfecte in hac vita lex potest impleri à renatis, qui peccatis carere non possunt.

Quarto, Paulus expresse dicit Ro. 7. Velle adiacet mihi: perficere autē bonum, non inuenio. Phil. 3. Non quod iam apprehēderim, aut perfectus sim. Hæc fundamenta quæ sunt firmissima & manifestissima, Andradius concedit & comprobat. Et tamen simul etiam defendit Pontificium axioma

ma

impossibili-
tas.

Augustinus.

Bernhardus.

ma: Legem diuinam à renatis, in hac vita plene & perfecte seruari & impleri posse. Fatetur autem hæc contraria, & inter se quam maximè pugnantia videri. Sed tamen pollicetur se demonstraturum, vtraque esse verissima. Tanta scilicet est hominis persuasio siue eruditionis, siue eloquentiæ. Reliqui Pontificij scriptores, fundamenta illa variis modis conati sunt arrodere. Andradius vero tumidæ suæ grandiloquentiæ tantum tribuit, vt speret se etiam vera dicendo posse fallere, & ex veris ea quæ falsa sunt, posse probare & defendere. Nihil tamen adfert, quod non iam dudum in reliquorum Romanensium scriptis protritum sit: nisi quod forsitan cogitavit de prouerbio, Quisquiliæ in aureo flumine. Disputat igitur ea parte legis, quæ in hac vita dum in carne sumus, perfecte impleri non potest, homines in hac vita non teneri obstrictos: ea solum Deum præcepisse, quæ præstare diuinis viribus adiuti, secundum vitæ huius conditionem possemus. Reliqua vero in lege non obligare homines in hac vita sed pertinere tantum ad futuram immortalem vitam. Inepti igitur fuerunt filij Israel, vna cum Mose, qui exterriti clamarunt. Si audierimus ultra vocem Domini, moriemur. Frustra enim iuxta Andradij opinionem, illis mandatis legis se obstrictos teneri timuerunt, quæ in hac vita perficere non possent. Nec debuerat tunc Deus in illa populi cõsternatione promittere Messiam, Deuter. 18. vt eos qui sub lege erant, redimeret, Galat. 4. sed debuerat potius iudicare: Non est quod timeatis, tanquam enim lusi vobiscum, terribili illa promulgatione legis. Illa enim quæ secundum vitæ huius conditionem perficere non potestis, ad vos non pertinent. Non igitur Apostolica, sed muliebris, inepta & ridicula erit euulsiõ Pauli, qui in curriculo nouæ obedientiæ eo vsque progressus fuerat, vt dicere posset, 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum. Et tamen Rom. 7. longam & lamentabilem texit querelam, se non posse legem ea perfectione quam flagitat, perficere. Moses vero non sanctis glorificatis in altera vita, sed hominibus in hac vita proponit hanc legis sententiam: Maledictus qui non in omnibus permanserit quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Atqui inter omnia illa quæ in libro legis scripta sunt, est illa lex præcipua: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item mandatum, Non concupisces. Et Paulus illam Mosis sententiam, ad homines in hac vita adeo pertinere existimat, vt inde pronunciet, eos qui ex operibus legis sunt, sub maledicto esse: quia etiã qui faciunt legem, nõ tamen in omnibus quæ in libris legis scripta sunt permanent. Galat. 5. Et propter hanc etiam causam, Ro. 4. vbi de Abraham loquitur, pronunciat hereditatẽ vitæ æternæ non esse ex lege. Quæ profecto argumentationes Pauli, ineptæ, ridiculæ & falsæ erunt, si vera est Andradij & Pontificiorum opinio. Et talis etiam erit argumentatio Petri, Acto. 15. Quia iugum legis neque patres nostri, neque nos ferre potuimus, ideo per gratiam Christi credimus saluari. Andradius enim excipit, ea, quæ in lege ferre non possumus, ad nos non pertinere. Paulus Ro. 8. cum questus esset, se nõ posse in hac carne legem perfectam obedientiã implere, mox subiicit hanc consolationem: Quod impossibile erat legi, Deus misit filio, qui victima pro nobis factus est, præstitit, &c. Andradij vero opinio sentit, non opus esse tali vel remedio, vel cõsolatione: quia ea solum Deus præceperit, quæ præstare diuinis viribus adiuti, secun-

dum vitæ huius conditionem possumus: reliqua vero ad nos non pertinere. Atqui Christus Matth. 5. similem plane Phariseorum opinionem, de mandatis Dei maximis & minimis acriter reprehendit. Et Andradius quidem varie ludit in explicatione minimorum mandatorum. Sed quæ exempli gratia à Christo de interpretatione aliquot præceptorum, Matth. 5. adducuntur, manifeste ostendunt, quæ Pharisei intellexerint minima mandata: nõ irasci fratri, dicere Racha, vel fatue: qui viderit uxorem ad concupiscendum eam: diligere inimicos. Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est, &c. Et cum dixisset: Iota vnũ, & apex vnus non preteribit à lege, donec omnia fiant, subiicit: Qui ergo soluerit vnũ ex mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Manifesta igitur est declaratio, de quibus mandatis loquatur: quæ Phariseorum Cabala minima vocauit, & sine detrimento iustitiæ solui posse docuit, si modo reliqua in lege seruari. Christus vero pronunciat: Nisi facta fuerit reconciliatio cum Deo, & remissio in hac vita, in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec solueris nouissimum quadrantem. Pugnat igitur cum tota Scriptura illa Pontificiorum opinio.

Sed argumenta quædam ex decretis Tridentini Concilij contexit Andradius, quibus opinio ista confirmare nititur. Dicit igitur, cõtumeliosum esse in ipsum legislatorem Deum affirmare, ipsum præcepisse aliquid, quod in hac vita, & in hac naturæ corruptione nemo perfecte implere possit. Quasi vero propter naturæ deprauationem, mutanda & inflectenda fuerit regula legis, quæ est perpetua & immutabilis norma iustitiæ in Deo: imo cum ne vnũ quidem iota legis præterire possit, quin perfecte impleatur: ideo Deus misit filium suum, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Adeo lex illam ludificationem Pontificiorum nõ admittit, quod scilicet ea tantum flagitet quæ in hac vita præstare possumus. Sed Iohannes inquit, Filios Dei in hac vita habere charitatem Dei: & charitas Dei iuxta eundem, est seruare mandata Dei. Respondeo: Non est quæstio, an renati habeant charitatem, & incipiant facere legem: hoc enim concedimus & docemus, sed quæstio est, an charitas renatorum in hac vita sit integra, perfecta & absoluta. Item: an perfecta obedientia satisfaciat legi.

Illud vero argumentum aliquanto speciosius est, quod Ioannes dicit, mandata Dei non esse grauias: & quod Christus pronunciat, onus suum esse leue. Item, quod Augustinus ad Bonifacium lib. 3. ca. 7. dicit obedientiam renatorum perfectam dici posse pro statu viatoris. Ibidem: Secundum hominis mortalis & capacitatem, pro huius vitæ modico, perfecti sumus. Sed plana est responsio: Qui fide propter mediatorem Deo reconciliati sunt, donantur Spiritu sancto, qui renouat ipsos. Et in illa inchoata nouitate est aliquis in hac vita gradus bonæ conscientiæ renatorum: vt scilicet præbeant membra arma iustitiæ Deo: nec admittant vel errores contra fundamenta fidei, vel lapsus contra conscientiam. Quod vero perfectioni deest, & sordes quæ ex lege peccati in membris asperguntur, malum item quod adiacet, fides petit propter Christum tegi, & non imputari. Et hoc modo mandata Dei non sunt grauias. Primo, quia sunt Dei filij. Secundo, quia ducuntur spiritu Dei. Tertio, quia quicquid nõ sit, propter Christum ignoscitur: sicut Augustinus

*Refutatio
argumentorum
Andradij.*

inquit. Hoc etiam modo renati dicuntur perfecti. Philip. 3. & 1. Cor. 2. imputatione scilicet & inchoatione. Primo enim fides in Christo accipit, habet & possidet per imputationem, integerrimam & perfectissimam impletionem legis, ad iustitiam & salutem. Secundo, Spiritus sanctus renouat corda credentium, accensa charitate, ut incipiant facere legem. Tertio, quod in inchoata illa obedientia imperfectum, & propter carnem immundum est, credentibus propter Christum non imputatur, sed tegitur. Pontificij vero has sententias ita deprauant, quasi id quod in obedientia renatorum, in hac vita perfectioni quam lex requirit deest, non sit peccatum quod à lege accusetur: nec opus habeat renati, illud imperfectionis vitium agnoscere: affirmant enim illud non ob stare, quo minus bona renatorum opera in hac vita opponantur iudicio & iræ Dei, ad iustificationem & vitam æternam. Sed Paulus manifeste, & ex professo opinionem istam refutat, Rom. 7. 1. Cor. 4. Et Augustinus ad Bonifacium lib. 3. cap. 7. discrete declarat, quomodo perfectione viatoris intelligi velit, cum inquit: Virtus quæ nunc est in homine iusto, hæc tunc perfecta nominatur: ut ad eius perfectionem pertineat, etiam ipsius imperfectionis & in veritate agnitio, & in humilitate confessio. Tunc enim secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta est ista parua iustitia, quando etiam quid sibi desit intelligit. Ita Apostolus perfectum & imperfectum se esse dicit. Ibidem: Gratia Dei tribuit hic studium præcepta seruandi: & eadem si quid etiã in illis præceptis minus seruatur, ignoscit. Ita primo Retractat. 16. disputans de perfectione renatorum in hac vita, vitur hac dulcissima sententia: Omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non sit, ignoscitur. Et in confessionibus: Væ hominum vite, quantumuis laudabili, si remota misericordia iudicetur. De ciuitate: In hærens iustitia sanctorum in hac vita magis remissione peccatorum constat, quam perfectione virtutum. In Epistola vero 26. ad Hieronymum, discrete dicit: Propter illud imperfectionis vitium, si dixerimus quia peccatum nõ habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: propter illud etiã vitium, quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra, ex quo vitio non iustificabitur in conspectu Dei, omnis viuens. Ita Hieronymus dicit: Quid ergo sapimus, imo quid sapere debemus, qui perfecti sumus? imperfectos nos esse confiteri, & nondum comprehendisse, nedum accepisse. Hæc est enim hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse. Atque (ut ita loquar) omnium in carne, iustorum, imperfecta perfectio est. Et quod in hanc sententiam intelligenda sint & Scripturæ, & Patrum sententiæ de perfectione, Augustinus in multis locis ostendit, ad Bonifacium lib. 3. cap. 5. De Gratia, ca. 48. & 49. &c. de perfectione iustitiæ.

Neminẽ perfectẽ satisfacere legi.

Illud enim argumentum est firmissimum: Peccatum est præuaricatio legis diuinæ. Sed nemo sanctorum in hac vita caret peccato. Ergo nemo in hac vita perfecte satisfacit legi, sed omnes sunt præuaricatores legis, quia peccatores. Audiamus vero quid & quomodo respondeant. Ante Andradius dixit, iustos licet aliquando & alicubi offendant & labantur, multa tamen & pleraque edere opera, omnis vitij & peccati prorsus expertia. Sed Paulus Ro. 7. de vno & eodem opere, imo de singulis operibus renatorum in hac vita dicit: Volenti mihi fa-

cere bonum, adiacet malum. Velle adiacet mihi perficere vero non inuenio. Ipse ego mente serui legi Dei, carne vero legi peccati. Non quod ipsum opus lege Dei mandatum, malum sit, & peccatum: sed id quod minus est quam debebat, vitium est: sicut Augustinus loquitur. Et vitiositas ex carne ad hærens peccatum est. Atque hoc modo iustum in omnibono opere peccare, Lutherus dixit. Hoc loco vero Andradius dicit, non esse intelligendum de peccatis mortalibus, sed de venialibus. Et hoc quidem recte. Peccata enim mortalia excutiunt fidem & Spiritum sanctum, & tunc desinunt esse iusti: venialia vero peccata sunt etiã in renatis: nec propterea desinunt esse iusti. Dicitur & hoc recte. Sed questio est, quomodo & quare renati, propter peccata venialia nõ damnentur, quia scilicet beati sunt, quorum tecta sunt peccata, & quibus non imputantur peccata. Psa. 32. Ro. 4. Nulla enim condemnatio est his, qui in Christo Iesu sunt, Ro. 8. Et 11. capitulum Tridentinum videri posset in illam etiam sententiam inclinare. Ratione enim quare sancti in hac vita, etiam si labantur in venialia peccata, non desinant esse iusti, hanc reddit: quia iustorum illa vox est, & humilis, & verax, Dimitte nobis debita nostra. Sed Andradius Concilij interpres, hoc nõ admittit. Contendit enim, venialia peccata per se tam esse minuta & leuia, ut non aduersentur perfectioni charitatis, nec impedire possint perfectam & absolutam legis obedientiã: ut pote quæ nõ sint ira Dei & condemnatione, sed venia digna, etiã si Deus cum illis in iudicium intret. Sicut Lindanus inquit, Leuicula vitiosa lapsu quotidiano, aspergines & nauili sunt: qui per se non maculant & contaminant, sed quasi puluisculo leuiter aspergunt vitam Christianã: ut nihilominus tamen per se sint perfecta, & vndique immaculata renatorum opera in hac vita. Sed falsum hoc esse, supra demonstratum est. Licet enim sint differentia & gradus peccatorum, nullum tamen tam minutum & leue est peccatum, quod non sint *iniqua*, hoc est, præuaricatio legis diuinæ.

Andradino de peccatis venialibus.

Lindanus.

Lex vero maledictione denunciat, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Qui enim totã legem seruat, & in vno aliquo delinquit, reus factus est omnium. Nam ne vnum quidem ex minimis mandatis Dei soluendum est.

Iam vero in multis labimur omnes, ait Iacobus. Lex igitur accusat & damnat etiã illa peccata quæ venialia vocantur, nisi tegantur, & non imputentur propter Christum. Aliter igitur iuxta August. est beatus sine peccato, quod futurum est in altera vita. Aliter autem beatus cui non imputat Dominus peccatum: quod fit in credentibus, in hac vita. Non autem potest esse absoluta & perfecta legis impletio, ubi peccatum non potest deesse. Sed de peccato mortali & veniali, locus dicendi erit in doctrina de penitentiã.

Accedo iam postremo ad insignem illam, sicut Typographus eam vocat, orationem Andradij: qua me ut falsarium, conuersa ad Ecclesiam Brunsvicensis & ad totam Germaniam oratione, quasi in triumpho in frequentissimis totius orbis theatris traducit. Sed bene adhuc res habet: est enim *ἐπιβίβιον* ante victoriam. Primo enim non est accusatio de falsatione vel Scripturæ, vel verbi Dei: sed de Augustini quadam disputatione, controuersia est, de qua tamen res ipsa planissima est, ut nullum plane locum habeant tragica illæ Andradij exclamationes: nisi quod videtur, talem sibi locum communem in omnem euentum contra Lutheranos antea

Responsio ad accusationem Andradij.

antea præparasse, is ne periret, arripienda fuit qualiscunque occasio. Res autem ita se habet: de qua cuius lectori iudicium permitto liberrimum. Scripsit Augustinus librum de perfectione iustitiæ contra Cœlestinum, in quo docet, in hac vita neminem peruenire ad tantam perfectionem charitatis seu inhaerentis iustitiæ, ut perfecta & absoluta implementatione satisfaciat primo & ultimo præcepto, ita ut sit sine peccato. Iam quæstio est: an Augustinus illam perfectionem tantum adimat non renatis, qui sine Spiritu sancto, solis liberi arbitrij viribus conantur legem implere? Ego dixi, & adhuc dico, Augustinum etiam illis, qui per Spiritum sanctum renati sunt, in hac vita ex scripturæ sententia, adimere illam perfectionem. Et hoc certe verissimum & manifestissimum est. Nam & in aliis multis locis, quæstionem illam Augustinus ita tractat, ut de peccatorum meritis lib. 2. ad Bonifacium lib. 3. de spiritu & litera, de natura & gratia, &c. Sed, inquit Andradius, sunt in illo Augustini libro multæ ratiocinationes Cœlestini, quæ de solis liberi arbitrij viribus non renatorum loquuntur. Scio hoc. Sed addo & illud, quod negare non potest: Cœlestinum in illo libro obiicere Augustino multas etiam scripturæ sententias de perfectione, quæ loquuntur non de infidelibus, sed de illis, qui per Spiritum sanctum renouati sunt. Et illas sententias Augustinus ita explicat, ut perfectionem charitatis, quæ sine peccato sit, adimat etiam renatis in hac vita. Quod verò Andradius dicit: Pelagianorum disputationes prorsus exclusisse gratiam Dei, & solius naturæ viribus sine Spiritu sancto ascripsisse perfectionem: non existimet nos adeo rudes esse antiquitatis, ut ignoremus, quod & quomodo Pelagiani subinde statum controuersæ mutarunt. Cum enim animaduertent, omnium piorum aures abhorreere à blasphemia illa sententia, quæ gratiam Spiritus sancti prorsus ut non necessariam excludebat, cœperunt ita loqui: Gratiam Spiritus sancti ad hoc valere, ut quæ homines per liberum arbitrium facere iubentur, facilius possint implere per gratiam. Postea verò, sicut in libris ad Bonifacium Augustinus recitat, ita loqui cœperunt Pelagiani: Gratiam adiuuare bonum cuiusque propositum. Item: voluntatem in omni bono opere à gratia semper adiuuari: ibi certe gratiam non excludunt. Augustinus verò quando de perfectione, quæ sine peccato in hac vita sit, disputat, negat illam non tantum, quando Pelagiani prorsus excludunt gratiam Dei, verum etiam, quando gratiam coniungunt libero arbitrio: hoc est, etiam illis, qui per Spiritum sanctum renati sunt, & in illa nouitate auxilio Dei adiuuantur, talem perfectionem in hac vita adimit. Hæc sunt, quæ ego dixi de disputatione Augustini, in libro de perfectione iustitiæ contra Cœlestinum, & quæ Andradius tam atrociter accusat. Et non tantum ferre possum, sed oro Lectorem, ut inspiciat illas Augustini disputationes.

Agnoscat enim, Andradium ex fulgore tragicarum exclamationum, fumum tantum edere, seu potius vendere. Nam Augustinus ipse in illo libro statum controuersæ dicit versari in duabus illis quæstionibus. Primum, per quem homo possit peruenire ad talem perfectionem, ut sit sine peccato: scilicet non per liberum arbitrium, sed per gratiam Dei. Secundo, quando ad talem perfectionem homo peruenturus sit: scilicet non in hac, sed in futura vita. Sed in re plana nolo Lectorem diutius detine-

re: & sicut iniqua præiudicia non curo, ita æqua iudicia in hac accusatione non pertimesco.

Huius verò commonefactum velim Lectorem, ut obseruet quid Andradius quærat: ut scilicet & scripturæ, & veterum sententiæ, quæ perfectionem charitatis, quæ sine peccato sit, hominibus in hac vita adimunt, restringantur simpliciter tantum ad non renatos: ita ut renatorum bona opera, in hac vita per se ita sint perfecta, ut seueritatem diuini iudicij, sine remissione peccatorum sustinere possint. Hoc agit: sed ne animaduertatur, strepitum illud exclamationum contra me excitauit. Hoc enim est artificium oratorium, si non potius sophisticum.

QVARTA QVÆSTIO.

DE PRAEMIIS ET MERITIS bonorum operum.

Hæc doctrina in nostris Ecclesiis plane & distincte ex verbo Dei proponitur: expiationem scilicet peccatorum, seu propitiationem pro peccatis non debere tribui meritis nostrorum operum. Pertinet enim ad officium, quod solius Christi mediatoris proprium est. Ita remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, adoptio, salus & vita æterna, non pendunt ex nostris meritis: sed donantur gratis, propter meritum & obedientiam filij Dei: & fide accipiuntur. Sed in reconciliatis postea bona opera cum placeant fide propter mediatorem, habent præmia, spiritualia & corporalia in hac vita, & post hanc vitam: idque ex gratuita promissione diuina, non quod Deus propter perfectionem & dignitatem nostrorum operum sit debitor: sed quia ex misericordia & paterna liberalitate, propter Christum, promisit se præmiis ornaturum quamuis inchoatam, languidam, imperfectam, & immundam filiorum suorum in hac vita obedientiam. Et illæ promissiones debent in renatis excitare studium bona operandi. Inde enim intelligimus, quam grata patri cœlesti sit filiorum qualiscunque illa, quam Spiritu S. ducente in hac vita sub hoc corruptibili onere carnis inchoant, obedientia: ut quam præmiis spiritualibus & corporalibus, quæ sua dignitate non meretur, ex gratia & misericordia propter filium ornare velit. Et in hanc sententiam, nostri etiam à vocabulo meriti non abhorrent: sicut etiam patribus usitatum fuit. Præmia enim promittuntur ex gratia & misericordia: non tamen dantur ociosis, vel male agentibus, sed laborantibus in vinea Domini. Atque ita in Apologia Confessionis Augustinæ, in confessione VVirtenbergensi, & in aliis nostrorum scriptis, usurpatur vocabulum meriti. Hoc modo, & in hanc sententiam, proponimus in nostris Ecclesiis scripturæ sententias, de præmiis bonorum operum. 1. Tim. 4. Pietas ad omnia utilis est, habens promissiones & huius & futuræ vitæ, Luc. 14. Retribuetur tibi in resurrectione iustorum. Mat. 5. Merces vestra erit copiosa in cœlis, Matt. 10. Non perdet mercedem suam. Gal. 6. Bonum faciendo non defatigetur: tempore enim suo metem non defatigati. Ephes. 6. Scientes quod quisque fecerit boni, hoc reportabit à Deo. Hebr. 6. Non iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis vestri, & dilectionis qua ministratis sanctis. 2. Thess. 1. Si tamen iniustum est apud Deum, retribuere tribulationem illis, qui tribulant vos, & vobis, qui tribulamini requiem, &c. Et plena est scriptura talium promissionum, de spiritualibus & corporalibus præmiis.

*Status con-
trouersia.*

Hæc verò cum ita se habeant: quid igitur in controuersia positum est, inter Pontificios & nos, quod attinet ad doctrinam de præmiis bonorū operum? Respondeo: Controuersia consistit in duobus potissimum capitibus. Primò, quod docent, renatos suis operibus, vere promereri non alia tantum spiritalia & corporalia præmia, sed ipsam etiā vitam æternam: quæ tanquam merces bonis renatorum operibus & meritis reddenda sit. Secundò, quod censent dari præmia bonis operibus, non ex gratia, misericordia, & paterna liberalitate patris cœlestis, sed ex debito: quia renatorum bonis operibus nihil desit, quo minus diuinæ legi, pro huius vitæ statu plene satisfecisse, & vitam æternam vere promeruisse censentur. Hæc extant in 16. cap. Tridentini Concilij. De quibus quædam dicenda sunt: quæ ideo paucioribus absoluti possunt, quia pleraq; quæ huc pertinent, in loco de iustificatione, & in tertia quæst. quomodo & quare bona opera Deo placeant, explicata sunt.

Concilium igitur Tridentinum dicit, bona renatorum opera vere promereri vitā æternam. Atq; ita simpliciter repetunt & stabiliūt scholasticorum commenta de merito condigni: quod scilicet renatorum opera in hac vita in charitate facta, ex condigno mereantur vitam æternam: hoc est, quod vita æterna ex debito iustitiæ diuinæ retribuenda sit bonis operibus. Ita enim definiunt meritum condigni. Lindanus dicit, bona opera esse peccatorum prius admissorum expiationes & propitiationes. Petrus à Soto dicit, Pontificia Ecclesiæ sensum esse, bonis operibus, quæ ex gratia fiunt, ita esse fidendum, vt ad expianda peccata, iram Dei placandam, & vitam æternam consequendam necessaria sint & vtilia. Et addit: Si aliquid his inferius retribueretur, non esset verum & proprium bonorum operum præmium. Andradius Concilij interpret, multis improbat, & reicit nostrorum explicationem, quod vita æterna sit merces, quia compenset benefacta, etiam si detur propter aliud, scilicet propter Christum: sicuti patrimonium est merces filij obedientis, etiam si cōtingit propter aliam causam. Et dicitur, non minus sempiternam felicitatem iustorum esse præclaris operibus debitam, quam æternos cruciatos impiorum sceleribus: Item vitam æternam ita esse bonorum operum retributionem, quod non tam gratis & liberaliter à Deo cōferatur, quam debita sit bonis operibus. Atq; ita vera & integra ratio meriti consistet: vt scilicet æqualitas sit Geometrica meriti ad premium. Disputat etiā meriti & mercedis rationē cum gratiæ nomine ex aduerso pugnare: atq; ideo vitam æternam tanquam mercedem, non debere secundum gratiam, sed secundum debitum imputari bonis renatorum operibus; Quia Paul. Rom. 4. dicit: Operati merces imputatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum. Hæc ascripsi, vt plenior extet explicatio 16. c. Concilij Tridentini, de merito bonorū operum. Et obseruet Lector, quod Tridentinis patrib. nimis impudens visum fuit, vitam æternam tribuere solis nostris meritis: ideo dum aliquam modestiæ significationem dare student, honoris gratia, vitā æternam partiuntur inter meritum Christi, & nostrorum operum merita. Sed illa ipsa qualiscunq; modestia nō probatur Pontificiis scriptoribus. Lindanus enim acriter reprehēdit, quod quidam, qui inter Pontificios modestiores videri volunt, dicunt Deum bona iustorū opera, vita æterna remunera-

Petr. à Soto.

re, ex gratuita dignatione suæ clementiæ. Contendit enim illud fieri secundum veram rationē meriti. Andradius verò argumentatur ex Paulo, nō posse consistere illam partitionem, quæ donationem vitæ æternæ partitur inter misericordiā Dei propter meritum Christi, & inter debitum propter merita nostrorum operum. Et certe fortissimum est argumentum Rom. 4. Si secundum gratiam, iam nō secundum debitum: si verò secundum debitum, iam nō secundum gratiam. Et Rom. 11. Si ex gratia, iam non ex operibus: alias gratia non esset gratia: si verò ex operibus, iam non amplius est gratia: alias enim opus non esset opus. Iuxta Paulum igitur, non possunt simul in articulo salutis æternæ consequendæ, consistere gratia & opera seu debitum, lex & fides, seu Christus. Rom. 4. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, & abolita promissio. Gal. 5. Euacuat estis à Christo, gratia excidistis, qui in lege iustificamini. Quod enim Pontificij fingunt, Paulum loqui de operibus infidelium tantum, supra in loco de iustificatione refutauimus. Loquitur enim de operibus Abraham & Galatarum, post conuersionem, nec de ceremonialibus tantum, sed de moralibus præcipue. Vel igitur ex solis nostrorum operum meritis, vel ex sola gratia Dei propter meritum Christi datur vita æterna. Scriptura verò eam simpliciter operibus etiam renatorum adimit, & tribuit misericordiæ Dei, propter meritum Christi, Rom. 4. Dauid pronunciat, beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. I. ē: Non operanti, credenti autem fides imputatur ad iustitiam. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides. Ephes. 2. Gratia saluari estis, non ex operibus. Tit. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. 2. Tim. 1. Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu. Mat. 20. 1. Tim. 2. Dedit animam suam premium redemptionis pro omnibus. 1. Ioann. 2. Si quis peccauerit, advocatū habemus apud patrem, Iesum Christum, iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Blasphema igitur Lindani vox est, opera iustorum esse expiationes peccatorum, & propitiations pro peccatis prius admissis. Paulus Rom. 9. in quæst. Quis accusabit? quis condemnabit? interponit non merita suorum operum, sed Christus, inquit, mortuus est, imò resuscitatus est, & intercedit pro nobis. Quam frequens est repetitio illius sententiæ apud Ioannem: Filium suum unigenitum misit, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Iohann. 6. Viuet propter me. Ioan. 11. 14. Ego sum vita. 17. Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. 20. Vt credentes habeatis vitam in nomine Christi. 1. Ioan. 1. Hæc vita est in filio eius: qui habet filium, habet vitam æternam. Act. 4. Non est aliud nomen datum in hominibus, in quo oportet nos saluari. In nullo alio est salus, nisi in illo, qui est lapis primum reprobatus, postea factus in caput anguli. Rom. 6. Stipendium peccati, mors est, donum verò Dei, est vita æterna. Deniq; tota scriptura plenissima est talium sententiarum. Ita Augustinus de gratia & libero arbitrio, loquens de operibus sanctorum post iustificationem: Non meritis nostris Deus nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducit. Et Bernhardus: Necessè est primò credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indul-

Andradina.

Vitam nostris operibus mereamur vitam æternam.

indulgentiam Dei: deinde quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse: postremo, quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & ipsa. Et rationem addit: Quia si bene cogitare volueris, inuenies procul dubio, quod nec cum decem millibus possis occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad te.

Quanta verò impietas & blasphemia est, gloriam illam propitiationis pro peccatis, salutis & vitæ æternæ, quæ obedientiæ & merito Christi debetur, ipsi detrahere, & transferre ad nostrorum operum merita, aut certe partiri inter Christi meritum, & nostra merita: quasi non esset summum sacrilegium, & extrema idololatria, gloriam Christi alteri tribuere. Sed excipiunt, hominem non debere in seipso vel cõsidere, vel gloriari, sed in Domino. Quomodo verò? Quia scilicet non artibus liberi arbitrij, sed virtutibus à Deo donatis mereamur vitam æternam. Atqui tales erant Abrahamæ virtutes, Rom. 4. quando Paulus dicit: Non operanti, sed credenti. Item: Beatitudo sine operibus. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, &c. Et Ierem. 9.2. Cor. 1. Non gloriatur sapiens in sapientia sua, non fortis in fortitudine sua, sed qui gloriatur, in Domino gloriatur. Quomodo verò? Quia Iesus factus est nobis à Domino sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Et ne ad nouitatem hæc detorqueantur, Ro. 3. Paulus dicit: Non per legem operum, sed per legem fidei excludi gloriationem. Et cap. 4. Exemplo Abrahamæ iam renouati hoc explicat: ipsum scilicet in articulo iustificationis & beatitudinis, non habere gloriationem coram Deo, quasi secundum debitum, & non secundum gratiam, fiat imputatio, sed beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputet iustitiam sine operibus. Et cap. 5. subiicit: Per Christum accessum habemus fide in gratiã, in qua stamus, & gloriamur super spe gloriæ Dei. Ephes. 2. Gratia saluati estis, non ex operibus, ne quis gloriatur. Falsa est igitur Tridentina explicatio. Scriptura enim quando tradit homines non debere in seipsis, sed in domino gloriari, adimit gloriationem de vita æterna, etiam renatorum operibus, & tribuit gratiæ seu misericordiæ Dei propter filium mediatorem.

Hoc verò candoris est, quod in conclusione aperte declarant, quis sit fructus & exitus doctrinæ, de vita æterna, nostris operibus promerenda: vt scilicet de salute sua homines dubij, incerti, & suspensi fiat, donec vnicuique reddatur secundum opera sua: quia scilicet scriptum est: In multis offendimus omnes. Atqui ideo non ex operibus, nec secundum opera, sed gratis, secundum gratiam, propter Christum mediatorem datur, & fide accipitur remissio peccatorum, reconciliatio, adoptio, salus & vita æterna, vt promissio nobis sit certa & firma, Rom. 4. Pontificij verò, vt promissionem illam nobis incertam & infirmam reddant, ideo hæreditatem à misericordia Dei, & à Christo transferunt ad merita nostrorum operum. Ita verò exinanita est fides, & abolita promissio, si vera sunt, quæ Paulus scribit, Rom. 4.

Operæ precium vero est, paucis etiam argumenta considerare, quibus Tridentini meritum vitæ æternæ, quod ex nostris operibus pendeat, stabiliunt.

Primò, iustificatis nihil deesse affirmant, quo minus suis operibus in hac vita plene diuinæ legi, pro huius vitæ statu satisfaciunt. Ergo suis operibus vere promerentur vitam æternam. Respondeo: Maior propositio huius argumeti, quæ subicitur, ve-

rissima est. Et si quis in hac vita suis operibus absoluta obediẽtia, legi plene & perfecte satisfaceret, omnino sequeretur cõclusio. Vox enim & promissio legis est: Si vis in vitam ingredi, serua mandata. Sed minor propositio, quod renati in hac vita suis operibus legi perfecte satisfaciunt, falsissima est, sicut in 3. quæst. demonstratum est. Et hoc ipsum decretum citat dictum illud de renatis: In multis offendimus omnes, atqui non tantum, qui in multis, sed qui in vno delinquit, reus est omnium. Qualis igitur perfecta satisfactio esse potest? Quod verò pro vitæ huius statu fingunt, nihil deesse, supra refutatum est.

Secundò, dicunt opera renatorum nõ ex seipsis, sed à Christo, cui renati insiti sunt, & à Spiritu S. cuius renouatione opera illa fiant, accipere & habere vim & efficacitatem promerendi remissionem peccatorum, adoptionem, salutem, & vitam æternam. Et sane non aspernanda, sed insignis est dignitas operum, quæ in Deo facta sunt, si in suo loco & ordine relinquatur. Sed quæ sit illorum vis & efficacitas, non ex nostris ratiocinationibus, sed ex scriptura iudicandum est. Illa verò gloriam & dignitatem promerendi remissionem peccatorum, adoptionem & vitam æternam, Christo mediatori, non operibus renatorum vult tribui, sicut testimoniis ostendimus. Non enim passus est Christus, vt nostris operibus tribueret talem vim & efficacitatem, vt illis demum promeremur remissionem peccatorum, adoptionem, & ipsam vitam æternam: sed illos immensos thesauros filius Dei mediator, sua obedientia & passione, factus sub lege, nobis ipse acquisiuit: vt omnis gloriatio de operibus exclusa sit, Rom. 3. Et qui gloriatur in Domino gloriatur. 1. Corint. 1. Lectori igitur propono consideranda illa verba Andradij: Præclaræ actiones, ad quas diuinus spiritus mentem inhabitans incitat & impellit, diuinitatem quandam habeat, necesse est. Agnoscit Andradius remissionem peccatorum, reconciliationem, adoptionem, salutem & vitam æternam, non humana, sed diuina esse beneficia. Ideo enim mediatorem oportuit esse Deum & hominem, vt obedientia & passio eius æquiuales esset precium tantis thesauris promerendis. Quia verò renatorum operibus Pontificij hoc tribuunt, ideo Andradius scribere non veretur, necesse esse vt renatorum opera diuinitatem quãdam habeant. Nihil addo: sed Lectorem oro, vt nouam diuinitatem nostrorum operum, quam Andradius in Tridentina officina fabricatus est, consideret.

Est verò & hoc considerandum. Magna est dignitas, quod renati sicut palmites Christo insiti, fructum faciunt, Iohan. 15. & quod ipsorum opera sint fructus spiritus, Ephes. 5. Sed rursus etiam hoc consideretur, quod lex peccati in membris renatorum in hac vita, legi mentis ita repugnat, vt bonum quod agere spiritu volunt, non periciant. Et quia lex illa carnis facit, vt volenti bonum agere, adiaceat malum: inquinat igitur, & commaculat ea, quæ spiritus in renatis operatur. Si igitur Deus in iudicium, etiam cum renatorum operibus intraret, non pronunciarentur merita condigna vita æterna, sed rei constituerentur renati, quod fructus spiritus carne sua impediunt, inquinant & commaculant. Et hoc ipsum sancti consentunt: Quis gloria bitur, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Et Esa. 64. Non de impiis tantum, sed de se etiam; nec de lapsibus, sed de bonis operibus loquitur, cum inquit: Quasi pannus menstruatae vniuersæ iustitiæ nostræ. Sicut Bernhardus pulcherrime dicit

Nostra

Diuinitas
operum.

Argumenta
Tridentino-
rum pro bonis
operibus, eo-
rumque re-
futatio.

Nostri si qua est humilis iustitia, recta forsitan, sed non pura: nisi forte meliores nos esse credimus, quã patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter aiebant: Omnes iustitiã nostrẽ tanquam pannus mulieris me est. uarã: Quomodo enim pura iustitia, vbi adhuc non potest culpa deesse? Et pulchra est Augustini sententia: Multum nobis in hac carne tribueremus, si non vsque ad eius depositionem sub venia viueremus.

Alterum caput controuersie, est de reliquis præmiis bonorum operum, spiritualibus & corporalibus: an renatorum bona opera, præmiis illis à Deo ornentur, ex debito iustitiã diuinã: an verò ex gratia, clementia & bonitate patris cœlestis, erga filios suos propter Christum mediatorem. Dixi autem supra, Lindanum serio irasci illis, qui cœsent Deum remunerare iustorum bona opera, ex gratuita dignatione suã clementiã. Andradius etiam contendit, non secundum gratiam, sed secundum debitum, ex vera & propria ratione meriti, mercedem bonis operibus à Deo promitti & dari. Et Tridentinum decretũ, meriti rationem ita explicat: Quia iustificatis nihil desit, quo minus operibus suis in hac vita diuinã legi satisfaciant, & ita vere promeantur præmia.

Et si igitur fatemur, in reconciliatis bona opera habere præmia spiritualia & corporalia, in hac vita & post hanc vitam: non tamen concedimus illud fieri (sicut Pontificij dicunt) non secundum gratiam, sed secundum debitum iustitiã diuinã, propter veram rationem meriti: quia nihil desit operibus, quo minus legi diuinã satisfaciant. Scriptura enim aliquot recitat rationes, bona opera habere præmia, non ex debito iustitiã diuinã, propter rationem meriti, sed ex gratuita dignatione paternã erga filios, quos gratis propter filium adoptauit, clementiã.

Primò, Christus Luc. 17. longa similitudine ostendit, Dominum ex debito non obligatum esse, vt gratiam habeat seruo, quia fecerit, quã ipsi imperata fuerant. Et addit: Sic & vos, cum omnia feceritis, quã vobis præcepta sunt, dicite: Serui inuitiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Est enim Deus Dominus noster, nos serui ipsius, multis nominibus: vt ratione creationis, redemptionis, & sanctificationis, sicut Paulus inquit, 1. Cor. 9. Non estis vestri. Precio enim empti estis. Ergo non est nobis ex debito obligatus, ad retribuenda præmia pro operibus debitis.

Secundò, propter legem peccati, in membris imperfectio, & malum adhærens bonis operibus renatorum in hac vita. Rom. 7. Atque ideo seueritatẽ iustitiã & iudicij diuini sustinere non possunt, si remota misericordia iudicentur. Quod igitur non abiiciuntur & damnantur, sed acceptantur, & præmiis etiam ornantur: non fit secundum debitum, propter rationem meriti. Ita enim legis sen-

tentia diuersum pronunciarer: Qui non in omnibus permanserit, quã in lege scripta sunt, maledictus esto. Item: Qui in vno delinquit, reus est omnium. Fit ergo ex gratia & dignatione paternã bonitatis erga filios suos, propter filium mediatorem.

Tertiò, non sunt condignã passionis huius temporis, ad futuram gloriam, quã reuelabitur in nobis, Rom. 8.

Quartò, non sumus idonei ex nobis ipsis. 2. Cor. 3. sed Deus est, qui operatur in nobis, & vt velimus, & vt faciamus aliqua ipsi grata. Philipp. 2. Quod si igitur accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 4. Non igitur debitum ex vera & propria ratione meriti, sed misericordia & bonitas Dei est, quod dona sua in nobis Deus coronat.

Et propter hanc causam scriptura, quã mercedem & retributionem nominat, vocabulum tamen meriti non vsurpat. Quod enim Eccles. 16. & Hebr. 13. interpres reddidit meritum: Scriptura vocabulum illud non habet.

Hęc verò commonefactio ideo necessaria est, ne Pharisæica superbia, persuasione propriã dignitatis in exercitio bonorum operum renatorum animos occupet: sed vt semper & vbique exuberet & regnet gratia Dei, & celebretur gloria bonitatis & misericordiã eius: vtque renati in ipso cursu bonorum operum, imò inter ipsa bonorum operum præmia, humili confessione indignitatem suam agnoscant, & omnem gloriam tribuant misericordiã & bonitati clementissimi patris cœlestis, sicut exemplum pulcherrimum describitur, Apocal. 4. vbi seniores coronas suas mittunt ante thronum, & dicunt: Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem. Et Matth. 25. electi nolunt agnoscere merita, & dignitatem operum suorum, etiam quando coram angelis & hominibus ab ipso filio Dei opera ipsorum celebrantur: sed dicunt: Domine, quando vidimus te esurientem, & paui-

mus? &c. Et hęc sunt præcipua capita, quã in 6. Sessione Tridentini concilij tractantur. Doctrina enim de lapsis, & reparatione eorum, pertinet ad locum de pœnitentia. Reliqua verò, quã in Andradij scripto, & in decretis Tridentinis, de doctrina sacramentorum sequuntur, vno quasi continuo contextu coherant. Et quia prima hęc scriptio pars, præter institutum & opinionem longius excurrit: visum fuit, propter alias etiam certas causas, responsionem ita distribuere, vt hęc sit prima pars.

Deum verò æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, toto pectore oro, vt lucem verbi sui, diuinitus in nostris Ecclesiis accensam, Spiritu suo sancto conseruet: nec eam vel tenebris Pontificiis, vel nebulis phanaticorum extingui sinat:

sed in vera sui agnitione nos conseruet ad vitam æternam,

Amen.

F I N I S.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QUI IN HAC PRIMA PARTE EXAMINIS OBITER ALLEGAN- tur & explicantur.

A primam columnam: B secundam significat.

G enef. 1. Principio creavit Deus cœlum & terram, 9. b. ad imaginem & similitudinem suam, 90. b	18. Prophetam excitabo de fratribus tuis, 181. a. 183. a
3. Ipsum conteret caput tuum, 56. b	25. Iustificare iustum, 132. a
4. Cain discedit ab Ecclesie doctrina, 7. b. quam ut veniam merear, 57.	28. Cuius linguam non poteris intelligere, 54. a
5. Secundum suam imaginem, 91. a. Adæ longœvitas, 7. b	29. Non dedit vobis Dominus cor ad intelligendum, 120. a. 191. b
6. Non disceptabit Spiritus meus, 7. b. omnis caro corrumpit viam suam, ibid.	30. Circumcisio cordis, 120. b. proposui tibi benedictionem & vitam, 160. a
8. Figmentum cordis humani malum, 7. b. 57. a. 91. b. 92. b. 93. a. 110. b. 119. b	31. Ut audientes discant sermones legis, 9. a. novi signum eius, 93. a. liber legis in latere arca reponendus, 9. a. 10. a
9. Qui effuderit sanguinem hominis, 56. a	I os. 1. Non recedat liber legis ab ore tuo, 41. b. 61. b
11. Populus omnis erat labij vnus, 54. a. confusio linguarum, 54. a. 155. b. Thareh & Abraham in Vr Chaldaeorum, 134. b	3. Hodie incipiam te exaltare, 10. a
12. Abraham in terra Canaan viuit, 54. a. in Aegypto peregrinatur, 54. a	10. Liber iustorum, 8. b
14. Obtulit panem & vinum, 57. a	15. Kiriath sopher, vrbs literarum, 8. b
20. Abraham Propheta est, 8. a	24. Seruierunt diis alienis, 7. b. 134. b. liber legis in latere arca positus, 10. a
22. Nunc cognoui quod timeas Dominum, 151. b	I udic. 11. De altera matre natus es, 56. a
26. Deus Isaaco loquitur, 8. a	17. Non erat Rex in Israel, sed quisque quod sibi rectum videbatur, faciebat, 11. a
29. Seruus mihi gratis? 138. b. vocauit nomen eius Ruben, 54. a	1. R eg. 19. Interficiens Dauidem gratis, 138. b. cecidit nudus tota illa die, 56. a
31. Extranea reputata sumus patri nostro, 150. a	30. Samuelis liber coram Domino repositus, 10. a
Idolum Labani, 7. b	2. R eg. 12. Dominus abstulit peccatum tuum, 169. a
Aceruus testimonij, 54. a	15. Qui habet iudicium veniat, ut iustificem eum, 132. a
39. Inuenit gratiam in oculis eius, 139. a	19. Non imputet mihi rex iniquitatem, 149. b
41. Ioseph dicitur Abrech, 54. a	24. Non offeram holocausta gratis, 138. b
44. Quomodo iustificabimur, 132. a. 133. a	3. R eg. 2. Sanguines gratis effusos, ibid.
E xod. 2. vocauit nomen eius Mose, 54. a	8. Condemnes impium, & iustifices iustum, 132. a
10. Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus, 181. a	133. a. non est qui peccet, 142. a
20. Lex in monte Sinai data. 8. b. Ego sum Dominus Deus tuus, 178. a. 179. b. non occides, 114. b. non audiamus ultra vocem Domini, 181. 183. a	19. Solus sum relictus, 43. b
21. Egredietur gratis sine pecunia, 138. b	22. Ero spiritus mendax, 7. a
23. Infontem ne occidas, 132. b	4. R eg. 2. Eliseus aquas iniecto sale restituit, 59. b
24. Volumen fœderis, 8. b	16. Ahas altare Domini tollit, & nouum constituit, 10. b
25. Tabernaculum extruendum, 9. b. propitiatorium texit arcam, 104. a	21. Quemadmodum quis patinam detergit, 104. b
34. Deus scribit legem in tabulis, 8. b. scribe tibi verba ista, 9. a	22. Librum legis reperi in domo Domini, 11. a
L euit. 4. & 5. Sacrificium πειρὰ ἀμαρτίας, 141. a	23. Iostas legit librum legis coram populo, ibid.
N ym. 11. Pisces gratis comedimus, 138. b	1. P Arat. 21. Satanas commouet cor, 115. a
15. Non sequantur cogitationes suas, 178. a	28. Figmentum cogitationum, 93. a
18. Reputabitur vobis sicut frumentum ex arca, 150. a	2. P Arat. 17. Docebant ex libro legis Domini, 11. a
21. Liber bellorum Domini, 8. b	23. Regi Ioas traditur liber legis, ibid.
22. Asina Bileam loquitur, 116. b	31. Operatus est rectum iuxta legem, ibid.
23. Non est Deus vr homo vt mutetur, 139. b	34. Deum emollire cor, 120. b
D eut. 3. Sit ibi contra te in testimonium, 9. a	E zra 9. Paxillus in loco sancto eius, 56. a. daret nobis sepem in Iuda, ibid.
5. Quæ locutus est Dominus, faciemus, 181. a. Bene locuti sunt, 181. a. viam quam præcepit Dominus Deus, ambulabitis, 178. a	I ob. 5. Voca si est qui respondeat, 57. a
6. & 11. Verbum Domini in postibus & foribus scribendum, 9. a	14. Quis dabit mundum de immundo conceptum, 92. b
6. Diliges Deum ex toto corde, 182. b. 183. a	P sal. 1. Non abiit in consilio impiorum, 3. a. in lege eius meditabitur die & nocte, 117. a
12. Non facietis quod vobis bonum videtur, 38. a. 178. a. nihil addas, nihil minuas, 38. a. 178. b	2. Conuenerunt aduersus Dominum, 144. b
13. Pseudopropheta faciens signa, 107. a	5. Vanum cor, 120. b
17. Describet exemplar huius legis, 9. a. 11. a. ne recedat ab ab ea ad dextram aut sinistram, 9. a. b	8. Omnia subiecisti pedibus eius, 59. b
	12. Linguam nostram magnificabimus, 112. b
	Probat a septuplum, 3. b
	18. Seruus tuus custodit mandata tua, 135. a
	19. In omnem terram exiuit regula eorum, 45. a. b. præceptum Domini illuminat oculos, 44. a. delicta quis intelligit, 88. a. 92. a
	22. Concilium malignantium, 3. a
	R 23. Si

I N D E X

23. Si ambulauero in media vmbra mortis non timebo, 170.a
 25. Delicta iuuentutis mea, 93.a
 26. Cum Concilio vanitatis, 3.a
 27. Dominus salus mea, quem timebo? 170.a
 30. In te Domine speraui, non confundar, 170.a non confundar in eternum, 172.b
 32. Beati quorum testia sunt peccata, 95.a. 104.a. 128.a.b. 142.b. 152.b. 165.a. 184.b. in cuius spiritu non est dolus, 104.a. pro hac te orabunt omnes Sancti, 96. 135.a. 138.a. 142.b. 182.b
 34. Declina à malo & fac bonum, 121.a. 175.b
 40. Sana animam meam, 120.b
 48. Frater non redimet fratrem, 140.a
 51. Dele iniquitates meas, 104.b. 105.a. amplius laua me ab iniquitate mea, 104.b. vt iustificeris & vincas cum iudicaris, 132.a. in peccatis concepit me mater, 69.a. 92.a. b. 104. b. 106.a. cor mundum crea in me Deus, 120.a. cor contritum, 120.b
 54. Oderunt me gratis, 138.b
 70. Memorabor iustitie tue solius, 164.b
 73. Frustra ergo iustificauit cor meum, 131.a
 78. Patres annunciauerunt nobis, 10.b
 89. Si mandata mea non custodierint, 176.a
 90. Absconditum nostrum ponis in illuminatione vultus tui, 90.b
 102. Scribantur hac in generationem alteram, 31.b
 103. Qui coronat te in miseratione, 142.b
 106. Imputatum est ei ad iustitiam, 150.a
 108. Expugnauerunt me gratis, 138.b
 109. Fiat oratio eius in peccatum, 111.b
 115. Omnis homo mendax, 142.b
 119. Lex tua meditatio mea est, 117.a. lucerna pedib. meis verbum tuum, 44.a
 Seruus tuus dilexit mandatum tuum, 135.a
 125. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, 170.a
 130. Si iniquitates obseruaueris Domine, 142.b
 143. Ne intres in iudicium, 131.b. 134.b. 135.a. 162.b. non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, 142.a
 144. Quid est filius hominis, vt reputes eum. 150.a
 150. Laudate Dominum in Sanctis, 57.a
Prouerbiorum 12. Homo astutus tegit sententiam, 104.a
 15. Sacrificium impiorum est abominatio, 111.b
 17. Qui iustificat impium, & condemnat iustum, 132.a. 139. 140. 150.a
 24. Ne gratis sis testis contra proximum, 138.b
 28. Beatus qui terret assidue cor suum, 172.b
Eccl. 7. Deus fecit hominem rectum, 91.a
 9. Nescit homo, an odio an amore dignus sit, 57. a. 171.a. 173.a
Esaie 1. Quis hac requisit, 133. a. 178.a. incensum est mihi abominatio, 111.b. vinum aqua mixtum, 7.a. 12.b. 155.b
 2. De Sion exhibit Lex, 18.a
 5. Va qui iustificatis impium, 132.a. b. 139.a. 140.a. 150.a
 8. Sume tibi librum & scribe, 10.a. ad legem & testimonium, 10.b. 109.b
 9. Magni Consilij Angelus, 144.a
 14. In caelum conscendam, 177.b
 28. Pallium breue vtrunq. operire non potest, 143.a
 40. Parate viam Domino, 155.b
 41. Narra si quid habes, vt iustificeris, 132.a
 48. Ceruix ferrea, frons aenea, 119.b
 49. Frustra me colunt, 133.a
 53. Correctio super eum, vt nos pacem habeamus, 141.a. notitia sua iustificabit multos, 131.a. 163.a
 57. Cor contritum, 120.b
 59. Spiritus meus qui est in te, 179.a
 64. Iustitia nostra sicut pannus menstruata, 142.b. 187.b
 66. Qui immolat bouem, est vt homicida, 111.b. predicabunt gloriam meam inter gentes, 55.b
Ierem. 9. Non gloriatur sapiens, 187.a
 14. Mendacia nomine meo prophetant, 7.a
 15. Dabo thesauros in direptionem gratis, 138.b. non sedi in Concilio irrisorum, 3.a
 17. Prauum cor hominis, 88.a. 92.a. 93.b. 110.b. 119.b
 23. Iehoua iustitia nostra, 141.a. 148.b. 163. a. 181.b. AEthiops non potest mutare pellem, 119.b
 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, 6.a. 14.a. 15.a. 137.a. 147.b
Thren. 3. Ceperunt me vt auem gratis, 138.b
Ezechiel. 6. & 14. Non gratis feci malum hoc, 138.b
 11. & 36. Cor lapideum, 119. 120.b
 12. Tegentes peccata, 104.a
 18. Anima que peccauerit, ipsa morietur, 139.b. Nudum operiet vestimento, 104.a. Facite vobis cor nouum, 120. 124.
 20. Nec idola Aegypti reliquerunt, 8.a. In preceptis meis ambulat, 178.a. 179.b
 43. In Scriptura Israel non scribentur, 10.a
Daniel. 9. Nobis confusio faciei, 99.b. Non in iustificationibus nostris, 139.a. 151.a. 162.b
Ioel 2. Praestabilis super malitia, 56.a. quis scit nunquid conuertatur, 171.a
Iona 3. Operirent se saccis, 104.a. quis scit si forte conuertatur, 171.a
Abac. 2. Scribe visionem & explana eam, 10.a. 32.b. Iustus ex fide sua viuet, 108.b. 153.a
Malach. 3. Ego Deus & non mutor, 139.b
 Sapient. 4. Raptus est ne malitia mutaret animum eius, 52.b. 53.a
Strach. 1. Pietas iustificat cor, 130.b. Iracundia iniusta non potest iustificari, 131.a
 2. Preparabunt corda sua, 155.b
 5. De peccato propitiatio noli esse sine metu, 57.a. 173.a
 18. Non verearis vsque ad mortem iustificari, 131.a
 29. Multi fraudantur gratis, 138.b
 1. **M**achab. 1. Antiochus conatur abolere Scripturam, 12.a
Matth. 1. Saluum faciet populum suum à peccatis, 132.a
 2. Magi Christum requirunt, 30.b
 3. Parate viam Domino, 155.b
 3. & 7. Arbor non faciens fructum excindetur, 175.b
 5. Merces vestra copiosa in caelis, 185.b. Non veni soluere legem, 139.b. Non apex vnus de lege cadet, 181.b. 183.b. qui soluerit vnum ex mandatis, 183. 184. b. Nisi abundauerit iustitia vestra, 133.b. Dictum est antiquis, 12. a. 63.b. qui irascitur fratri, 183.b. Coniiciat te in carcerem, 183. b. qui aspexerit mulierem, 183.b. Diligite inimicos, 183.b
 6. Reperunt mercedem suam, 111.a. 133.a. Sanctificetur nomen tuum, 107.a. Dimitte nobis debita nostra, 101.b. 102.a. 105.a. 131. 136. b. 142.a. 143.b. 184.a. o parum fidentes, 170.a
 7. Attendite à Pseudopphetis, 3.a
 In vestitu ouium, 1.a
 Mala arbor non fert fructus bonos. 111.b. 133.b
 Non noui vos, 159.b
 8. Tantam fidem in Israel non inueni, 163.b
 9. Confide fili, 163. b. 168.b. remittuntur tibi peccata, 170.b. Quis est hic quod remittit peccata, ibid. quis potest peccata remittere nisi solus Deus, ibi. Sani non opus est medico, 156.a. Veni vocare peccatores, 56.a. Credi-

I. Partis Examinis.

- Creditis me hoc posse facere, 162.a
10. Christus dat mandata Apostolis, 179.a. Non perdet mercedem, 185.b
11. Tolerabilius erit Sodoma, 112.a. Nemo nouit patrem, nisi cui filius reuelat, 119.b. Onus meum leue, 183.b
12. Linum fumigans non extinguet, 163.b. Facite arborem bonam, & fructus eius bonos, 111.b. quomodo potestis bona facere, cum sitis mali, 120.a. Ex malo thesauro cordis mala proferunt, 93.b. Ex verbis tuis iustificaberis, 132.a
13. Videntes non videant, 120.a. qui verbum Dei audit & intelligit, 57.b. Modica fidei, 170.a
15. Transgredimini praeceptum Dei propter traditionem, 12.a. Frustra me colunt mandatis hominum, 133.a. 178.a. 180.b. Caci sunt & duces caecorum, 180.b. Magna est fides tua, 163.b
16. Cauete à fermento Pharisaorum, 180.b. Caro & sanguis non reuelauit tibi, 119.a.b. quicquid solueris super terram, 132.a. 170.b. 179.a
18. Quicquid solueritis, 170.b
19. Serua mandata, 133.b. 150.b. 151. 158.a. 181.a. Hac omnia seruauit, 181.a. quis poterit saluus esse, 171.a
20. Quid statis totum diem otiosi, 175.b. Vt daret animam precium redemptionis, 141.a
23. Super cathedram Moysi sedent Scribae, 177.a. 180.a. b. Vt vobis Scribae & Pharisei, 12.a. Clauditis regnum caelorum, 180.b. Reliquistis quae grauiora sunt legis, 12.a. Zacharias inter templum & altare occisus, 80.a. b. quoties voluit congregare, 116.b
24. Qui perseuerauerit vsq; ad finem, 172.b. Vt electi si fieri possit seducantur, 26.a. Dabunt signa & prodigia, 107.a
25. Seruum inutilem eicite, 135.b. quando vidimus te esurientem, 188.b
26. Edite, hoc est corpus meum, 169.a. Bibite ex hoc omnes, 59.b
27. Vt sepulchrum muniatur, 19.b
28. Docentes eos seruare omnia, quae praecepi, 23.a. 179.b. Baptizate omnes gentes, 69.b
- M**arc. 6. Non poterat ibi virtutem edere propter incredulitatem, 162.a
7. Baptismi Pharisaorum, 12.a. Ex corde exeunt mala cogitationes, 91.b
9. Omnia possibilis credenti, 162.a. adiuua incredulitatem meam, 163.b. 168.a
13. Nemo nouit nisi pater, 165.a
16. Praedicate Euangelium, 6.a. 38.a
- L**uc. 1. τὸν πεπληροφωμένον, 16.b. 19.b. Vt agnoscat eorum, de quibus edoctus es, certitudinem, 19.b. 20.a. 24.a. Erant iusti ambo, 73.a. Vt conuertat corda patrum, 122.b. Parare Domino plebem praepratam, 155.b. Beatam me dicent omnes generationes, 107.a. In iustitia & sanctitate coram ipso, 176.a. Scientiam salutis, quae est in remissione peccatorum, 131.a. 139.a. 163.a
6. Estote misericordes, 176.b. perfectus erit, si sit vt magister, 35.a. b. ex abundantia cordis os loquitur, 93.b
7. Dimissa tibi sunt peccata, 169. Fides tua te saluam fecit, 169. 170.a
8. Videte quomodo audiatis, 117.a
9. Filius hominis non venit perdere animas, 69.a
10. Cum mandatis certis emittuntur discipuli, 178.b. qui vos audit, me audit, 3.a. 17.a. 179.a. b. hoc fac & viues, 133.b. 137.a. 150.b. 160.a. volens seipsum iustificare, 171.a
11. Si vos cum mali sitis, 98.a. 102.b. dabit Spiritum sanctum petentibus, 58.b. posteriora deteriora prioribus, 91.b. exteriora poculi mundatis, 12.a. tulistis clauem scientiae, 180.b
12. μή με τρωεῖτε, 170.a
14. Retribuetur tibi in resurrectione iustorum, 185.b
16. Iustificatis vos coram hominibus, 133.a. habent Moysen & Prophetas, 11.a
17. Domine adauge nobis fidem, 168.a. b. serui inutiles sumus, 96.a. 135.b. 188.a. quae debuimus, fecimus, 175.b. fides tua te saluum fecit, 169. 170.a
18. Pharisei iustitia, 133.a. 166.b. 181.a. Ieiuno bis in Sabbatho, 12.a. descendit iustificatus, 131.b. putas quod inuenturus sit fidem, 43.b
19. Negociemini donec veniam, 117.b. talentum suum defodiens, 151.b
22. Vos autem non sic, 59.b. Ecce duo gladij hic, ibid. Petrus Christum abnegat, 74.a
23. ἀναρπείν, 136.b. In manus tuas Domine commendo Spiritum, 143.b
24. Tardi corde, 120.a. Cum aperiret nobis Scripturas, 39.b. Quae scripta sunt in lege Moysi & Prophetis, 42.a. 52.b. 159.b. Aperuit illis mentem vt intelligerent, 44.a. 58.b. 120.a. sic scriptum est, 11.a
- I**ohan. 1. Lux in tenebris lucet, 119.b. tenebrae eam non apprehenderunt, 130.a. qui non ex sanguinibus, 120.a. dedit potestatem filios Dei fieri, 15.a. 147.b. 161.b. Gratia & veritas per Christum, 138.a. Ego vox clamantis, 178.b. Ecce agnus Dei, 69.b
3. Nisi quis renatus fuerit, 69.b. 70.a. 120.b. vt omnis qui credit in eum, non pereat, 160.b. 186.b. non misit filium, vt iudicet mundum, 131.b. qui credit in filium, non iudicatur, 131.b. 135.a. 153.a. magis dilexerunt tenebras quam lucem, 119.b. qui veritatem facit, venit in lucem, 3.b. qui male agit, odit lucem, 3.b
5. Non veniet in iudicium, 135.a. 153.a. 171.a. Scrutamini scripturas, 14.b. 159.b
6. Qui credit in eum, habet vitam aeternam, 153.a. nemo poterit ad me venire, nisi pater traxerit eum, 119.b. 120.a. 122.b. qui audit à patre, venit ad me, 117.a. viuet propter me, 186.b. verba mea spiritus sunt, 169.b
8. Forsitan & patrem meum sciretis, 170.b. nisi credideritis, non habebitis vitam, 162.a. Qui facit peccatum, seruus est peccati, 99.a. 120.a. si filius vos liberauerit, vere liberi eritis, 125.b. Sermo Dei non χαρῆν in vobis, 123.b. qui ex Deo est, verbum Dei audit, 117.a
10. Alienum non audiunt, i. a. oues meae vocem meam audiunt, 40.a. 43.b. nemo rapiet eas de manu mea, 168.b. 172.a
11. Resuscitatio Lazari, 21.b
11. & 14. Ego sum vita, 186.b
13. Qui lotus est, non opus habet iterum lauari, 70.a. Satanas immisit ei in cor, 115.a
14. Mandatum do vobis, vt diligatis, 175.b. suggeret vobis omnia quae dixi, 23.a. 57.a. 180.a. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio, 179.a
15. Pater meus purgat ipsum, 101.a. Mundi estis propter sermonem meum, 101.a. nisi in vite manserit, 165.a. vos estis palmites, 187.b. Sine me nihil potestis facere, 119.b. 125.b
16. Multa habeo vobis dicere, 21.b. 77.a. 82.b. arguet mundum de peccato, 111.b
17. Haec est vita aeterna, 186.b. verba tua dedi eis, 162.a. sanctifica eos in veritate, 109.b
20. Sicuti misit me pater, 179.a. quorum remisistis peccata, 169.a. 179.a. Haec scripta sunt vt credatis, 21.a.

INDEX

34. b. *ut credentes habeatis vitam*, 186. b.
 21. *Hic est discipulus qui hac scripsit*, 47. b. *si scriberentur*,
mundus non caperet, 21. a. b.

ACTO. 1. *De omnibus qua Iesus cepit facere*, 20. a. 23. a.
loquebatur cum eis de regno Dei, 21. b.
 2. *Loquebantur variis linguis*, 54. b. *loquentes magnalia*
Dei, 55. b. *quid faciemus viri fratres*, 151. a.
 3. *Peccata deleantur*, 131. b. *Prophetam excitabo de fra-*
tribus, 181. a.
 4. *Non est in alio salus*, 164. a. *non est aliud nomen*, 186. b.
 5. *Satanas implevit cor tuum*, 115. a.
 8. *Recipere verbum Dei*, 123. b. *miserunt ad eos Petrum &*
Ioannem, 31. a. 36. a. *si forte remittatur tibi iniquitas*,
 170. b. *Eunuchus legit Esaiam*, 54. b. *quomodo possum*
intelligere sine interprete? 57. b. 60. b. *Philippus Eunu-*
chum erudit, 24. a.
 10. *Remissionem peccatorum habere in nomine eius*, 149.
 a. 160. b. 162. a.
 12. 24. 28. *ἀναείρειν*, 136. b.
 13. *Vir iuxta cor Dei*, 135. a. *remissio peccatorum annun-*
ciatur, 132. a. 139. a. 149. a. *quibus non potuistis in lege*
iustificari, 131. b. 165. a.
 14. *Constitutio ministrorum Ecclesie*, 74. b.
 15. *Imponere discipulis iugum*, 182. a. 183. a. *fide purificans*
corda, 111. b. *per gratiam Christi credimus nos sal-*
uari, 132. a. 153. a. *ut abstineant à sanguine & suffo-*
cato, 75. a. 179. b. *Epistola Concilii Apostolici*, tur-
barunt vos sermonibus, 18. a. *visum est Spiritui sancto*
& nobis, 179. b. *nisi à necessariis illis*, 180. a. *Iudas & Si-*
las sunt interpretes scripti Apostolici, 18. a. *Barnabas*
assumit Marcum, 34. a.
 16. *Deus aperuit cor Lydia*, 120. b. *tradebant eis custodire*
dogmata, 61. b. *custodia captiuorum*, 19. b. *quid me o-*
portet facere ut saluer? 151. a.
 17. *Paulus Thessalonica docet*, 25. b. *requirebant in scri-*
pturis an ita se haberet, 11. b. 14. a. 58. b.
 18. *Timotheus à Macedonia venit*, 27.
 20. *Vt iret in Macedoniam*, 28. a. *vna sabbatorum*, 75. a.
annunciaui vobis omnem sententiam Dei, 20. a. 32. b.
 35. b. 77. a. *vincula me manere Hierosolymis*, 30. b. *Bea-*
tius est dare quam accipere, 22. b.
 21. *Dies absoluti & expleti*, 35. a.
 23. *Omni conscientia bona conuersatus*, 135. b. 136. a.
 24. *Sine offensus conscientiam habere*, 135. b.
 26. *Vt aperias oculos eorum*, 119. b. *Nihil docens extra*
Mosen & Prophetas, 11. a.

ROM. 1. *Euangelium per Prophetas in scripturis pro-*
missum, 11. a. *ad confirmandos vos*, 30. b. *Euange-*
lium est potentia Dei ad salutem, 160. b. *qua est ex fide*
in fidem, 153. a. *Iustus ex fide viuet*, 153. a. 171. b. *de co-*
gnitione Dei in Ethnicis, 108. b. *vani facti sunt in co-*
gitationibus suis, 91. b. 119. b. *coluerunt creaturam*, 133.
 a. *mens reproba*, 114. b. *qui talia agunt*, *digni sunt*
morte, 56. a.
 2. *Iudicium Dei est secundum veritatem*, 134. b. *secun-*
dum duritiam cordis, 119. b. 120. b. *perseuerantibus in*
benefaciendo vitam aeternam, 160. a. *super animam*
operantis makum, 139. b. *non auditores sed factores le-*
gis iustificabuntur, 133. b. *legem non habentes natura*
qua legis sunt faciunt, 114. b. *opus legis scriptum in*
cordibus, 15. a. *præputium eius in circumcissionem re-*
putabitur, 150. a.
 3. *Concredita sunt illis oracula Dei*, 9. a. *Deus est verax*,
 omnis homo mendax, 133. b. *faciamus mala ut eue-*
 niant bona, 175. b. *non est qui faciat bonum*, 142. a.
 linguis suis dolose egerunt, 91. b. *totus mundus reus*,
 131. b. *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*,

133. b. *per legem agnitio peccati*, 103. a. 124. a. 133. b.
sine lege reuelata est iustitia, 160. a. 164. b. *habet te-*
stimonium legis & Prophetarum, 134. b. 135. a. *Iusti-*
tia per fidem in omnes & super omnes qui credunt,
 155. a. 162. a. *Omnes peccauerunt*, 91. a. 143. a. *Iustifi-*
cantur autem gratis, *ipsius gratia*, 131. b. 132. a. 138. a.
 b. 139. a. b. 145. b. 152. b. 160. a. 164. b. *per redemptionem*
qua est in Christo Iesu, 141. a. 160. a. *exclusa est gloria-*
rio, 137. a. 141. b. 160. a. 165. a. 181. b. 187. a. *lex operum*
seu factorum, 136. a. *per legem fidei*, 187. a. *iustificari*
hominem fide, *absque operibus legis*, 134. a. 148. a. *sine o-*
peribus legis, 138. a. 148. a. 164. b. *legem stabilimus*,
 139. b.
 4. *Quid dicemus inuenisse Abraham*, 134. b. 148. a. b. *si ex*
operibus iustificatus est habet quod gloriatur, 56. a. 134.
 b. *habet quod gloriatur sed non coram Deo*, 187. a. *cre-*
didit Abraham Deo, 142. b. 152. b. *operanti secundum*
debitum imputatur, 186. a. *merces non imputatur*
secundum gratiam, 138. a. 149. b. 160. a. *non operanti*
sed credenti, 160. a. 165. a. 186. b. 187. a. *Dauid beatitu-*
dinem hominis explicat, 132. a. 134. b. 135. a. *beatitudi-*
nem esse hominis, 148. a. 152. b. 186. *cui Deus iustitiam*
imputat sine operibus, 134. b. *sine operibus*, 164. b.
quorum tecta peccata, 95. a. 104. 128. b. 139. a. 142. b.
 152. b. 162. b. 165. a. 184. b. *sigillum iustitia fidei*, 160. b.
 169. a. *insistentes vestigiis Abrahæ*, 32. a. 45. b. *here-*
dem fore mundi, 183. b. *iustitia fidei*, 155. a. *eximani-*
ta est fides, 137. b. 148. a. 160. a. 186. b. *lex iram ope-*
ratur, 137. b. *ut firma sit & certa promissio*, 137. b. 168.
 b. 187. a. *contra spem in spem credidit*, 170. a. *non ha-*
sitauit, 170. a. *Scriptum est etiam propter nos*, 163. a.
 168. b. *imputabitur credentibus*, 132. a. 139. a. 140. b.
 148. 150. a. *resurrexit propter iustificationem nostri*,
 141. a. 148. b. 149. a. 150. a.
 5. *Pacem habemus cum Deo*, 163. a. 168. b. 173. a. *per Chri-*
stum habemus accessum in gratiam hanc, 152. b. 187. a.
gloriamur spe gloria Dei, 102. a. 163. a. 168. b. 172. b.
commendat charitatem suam Deus, 138. b. *iustificati*
per sanguinem eius, 141. a. 149. a. *Seruabimur per*
eum ab ira, 149. a. *reconciliati sumus Deo*, 132. a.
 141. a. *accepimus reconciliationem*, 162. a. *per v-*
num hominem peccatum intrauit, 69. b. *in omnes*
homines mors transit, *quia omnes peccauerunt*, 105.
 a. *peccatum non imputatur cum non est lex*, 149. b.
donum per gratiam, 138. a. *Iudicium ex vno delicto in*
condemnationem, 69. b. *ad iustificationem aut con-*
demnationem, 131. b. *Gratia vnius hominis Iesu Chri-*
sti, 164. b. *per vnius inobedientiam*, 91. a. 97. a. *per v-*
nius obedientiam iusti constituentur multi, 141. a. *gra-*
tia regnat per iustitiam in vitam aeternam per Chri-
stum, 141. a. b.
 6. *Mortui sumus peccato*, 102. b. *In mortem eius bap-*
ti sumus, 149. a. *consepulti in Christo per Bap-*
tismum in mortem, 99. b. 176. *In nouitate vitæ ambule-*
mus, 149. a. *vetus homo cum Christo crucifixus*, 92. a.
 102. b. *ut destruat corpus peccati*, 92. a. 120. b. *ne re-*
gnet peccatum in mortali corpore vestro, 94. 96. 99. a.
 146. b. *peccabimus quia sub gratia sumus*, 175. b. *obe-*
distis ex animo, 16. b. 122. a. *liberati à peccato serui*
facti estis iustitia, 176. b. *membra vestra serua iustitia*,
 134. a. 147. b. 152. a. *cum effectis serui peccati*, *liberi e-*
rat is iustitia, 115. a. *gratia Dei est vita aeterna*, 164. b.
 186. b.
 7. *Non in vetustate literæ*, 111. a. *non concupisces*, 90. b. 97.
 a. b. 103. a. 139. b. 182. a. b. *peccatum operatum est in me*
concupiscentiam, 97. a. *lex est spiritualis*, 91. b. 133. b.
 182. *ego carnalis venditus sub peccatum*, 91. b. 119. b.
 136. b. *peccatum inhabitans*, 91. a. 97. a. 104. a. 138. a.
 in carne

I. Partis Examinis.

- in carne mea non habitat bonum, 92. a. b. 94. b. 97. a. 119. b. 146. b. 173. b. velle adiacet mihi, 136. b. 184. b. perficere bonum non inuenio, 91. b. non quod volo ago: sed quod odi facio, 92. b. 74. a. 95. a. 97. a. 103. a. volenti facere bonum adiacet malum, 91. a. 94. b. 96. 119. b. 136. 173. b. 184. Delector lege Dei secundum interiorum hominem, 15. b. 134. a. 137. a. 147. Video aliam legem in membris meis, 91. b. 95. a. 97. 99. 119. 136. b. quis me liberabit de corpore mortis, 95. a. b. 97. a. 99. b. 104. a. 183. a. gratias ago Deo per Christum, 95. a. 97. a. 99. b. Carne seruo legi peccati, 95. a. 97. a. 99. a. 119. b. 136. b. 183. a.*
8. Non est condemnatio his qui sunt in Christo, 94. a. 95. a. b. 97. a. 99. 102. b. 184. b. qui non secundum carnem ambulant, 95. a. 141. a. lex spiritus vite liberum me fecit, 95. a. quod legi erat impossibile, 137. a. 140. b. 183. a. in similitudine carnis peccati, 141. a. de peccato damnauit peccatum, 140. b. 141. a. vt iustificatio legis in nobis impleretur, 141. a. sapientia carnis est inimicitia aduersus Deum, 91. b. 92. a. 110. a. 119. b. legi Dei non subiicitur, 91. b. 119. b. qui Spiritu Christi non habet, non est eius, debitores sumus, 175. b. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, 94. b. 176. a. si actiones corporis spiritu mortificaueritis, 94. a. 95. a. 103. a. 146. b. 172. b. qui Spiritu Dei ducuntur, sunt filij Dei, 176. 183. b. Spiritus sanctus testimonium dat spiritui nostro, 169. b. non sunt condigne passionis, 88. a. spe salui sumus, 169. b. Spiritus adiuuat infirmitates nostras, 173. b. quos elegit, hos & vocauit, 172. a. Si Deus pro nobis quis contra nos? 169. a. Cum filio suo nobis omnia donat, 141. b. Deus est qui iustificat, 131. b. 173. a. quis condemnabit, 169. a. Cum filio suo nobis omnia donat, 141. b. Deus est qui iustificat, 131. b. 173. a. quis condemnabit, 169. a. 172. a. quis separabit? 172. b. Christus mortuus est & resurrexit, 149. a. 186. b. Interpellat pro nobis, 149. a. certus sum quod neque mors, 169. a. 170. a. 172. b.
 9. Quis es qui ex aduerso respondeas Deo, 109. a. gentes apprehenderunt iustitiam, 162. a. quia non ex fide sed quasi ex operibus, 162. a. 166. 167. b.
 10. Dei iustitiam ignorantes suam conantur stabilire, 144. b. 133. a. 136. a. Christus est perfectio legis, 137. a. 110. a. 141. a. b. 148. b. 159. b. 162. a. b. 164. a. 181. b. Iustitia fidei & legis, 137. a. Iustitia ex fide, 155. a. si credideris in corde tuo, 160. corde creditur ad iustitiam, 122. a. quomodo inuocabunt sine fide, 109. a. fides ex auditu, ibid.
 11. Si per gratiam: non ex operibus, 186. b. sin ex operibus, iam non est gratia, 56. a. 138. b. 148. a. 164. b. noli altum sapere sed time, 172. b. si permanserit in bonitate, ibid. natura sumus oleasri, 111. 119. b. dona & vocatio Dei sunt sine poenitentia, 172. a. O altitudo diuitiarum, 109. a.
 12. Transformemini per renouationem, 90. b. 110. b. 111. probetis quae sit voluntas Dei, 175. b. 178. b. Prophetia sit analogia fidei, 68. a.
 13. Nemini quicquam debeat, 175. b. qui diligit legem impleuit, 184. a. si quod aliud est praeceptum, 178. b. abiciite opera tenebrarum, 175. b.
 14. Infirmum in fide suscipite, 163. b. omnis lingua confitebitur Deo, 55. b. gaudium spiritus, 163. a. dubitante conscientia, 170. b. quicquid non est ex fide, peccatum est, 111. b. 115. b. 133. b. 170. b.
 15. Quaecunque praescripta sunt, 32. b. audacius scripsi vobis ex parte, 30. b. 31. a. in memoriam vobis reducens, 30. a. de actis Pauli, 24. a.
 1. Corinth. 1. Omnibus nomen Christi inuocantibus in omni loco, 28. b. confirmabit vos vsque ad finem, 172. b. Ego sum Pauli, 28. b. baptizauit familiam Stephanæ, 69. b. verbum crucis, 29. a. insatuauit sapientiam sapientum, 119. b. mundus Deum in sua sapientia non cognouit, 7. a. 119. b. per stultam predicationem saluos facere, 109. b. Græcis stultitia, 110. a. Christus factus est nobis iustitia, 141. a. b. 163. a. qui gloriatur, in Domino gloriatur, 137. a. 141. b. 181. 187. a.
 2. Nihil me scire nisi Iesum Christum, 29. a. sapientiam loquimur inter perfectos, 78. b. 184. a. sapientiam in mysterio, 147. b. accepimus spiritum ex Deo, vt sciamus, 169. b. Animalis homo non percipit, 44. b. 57. b. 58. b. 91. b. 92. a. 110. a. 119. b. 123. b. stultitia illi sunt, 120. a. mentem Christi tenemus, 168. a.
 3. Dei edificatio estis, 45. a. tanquam sapiens architectus, ibid. fundamentum aliud nemo potest ponere, 28. b. alius aurum superadificat, 29. a. 43. b.
 4. Dispensatores mysteryorum Dei, 57. a. nolo iudicari ab humano die, 131. b. 134. a. Nil mihi conscius sum, 96. a. 131. b. 135. b. 148. a. 162. b. 167. b. 173. a. 183. a. qui me iudicat Dominus est, 134. a. 136. b. quid habes quod non accepisti, 119. b. 125. a. si accepisti quid gloriaris, 188. mihi ad vos Timotheum, 29. a. sicut vbique in omnibus Ecclesiis doceo, 29. b.
 5. Tradatur Satana, 74. b. expurgate vetus fermentum, 94. a. modicum fermenti totam massam corrumpit, 7. b. sicut estis azymi, 101. a. quid ad nos deis qui foris sunt iudicare, 112. b.
 6. Fornicatores non possidebunt regnum Dei, 179. b. non accipient regni Dei hereditatem, 167. b. iustificati & sanctificati estis, 101. a. 131. a. 176. b.
 7. Vnusquisque suam uxorem habeat, 59. b. secundum indulgentiam dico, 83. a. melius est nubere quam vri, ibid. precio empti estis, 188. a. de his praeceptum Domini non habeo, 29. b. non vt laqueum vobis iniiciam, 180. b. faciat quod vult, 116. b.
 9. Ne offendiculum ponam Euangelio, 178. b.
 10. Sed non in omnibus beneplacitum fuit Domino, 161. a. qui stat videat nec cadat, 172. b. Nihil interrogantes propter conscientiam, 180. a.
 11. De velando capite, 29. 75. a. a Domino accepi quod vobis tradidi, 29. 61. 74. Cetera cum venero disponam, 29. b.
 12. Nemo potest Iesum Dominum dicere, nisi per Spiritum sanctum, 120. a. Spiritus diuidit singulis dona prout vult, 58. a. alij data est fides miraculorum, 15. b. Alij interpretatio linguarum, 957. b.
 13. Si angelorum linguis loquar, 32. b. ex parte cognoscimus, 30. b.
 14. Lingua quæ ab idiotis intelligi possit, 55. a. si quis propheta est, &c. cognoscat, 30. a. Prophetæ duo aut tres loquantur, ceteri diiudicent, 58. b. omnia ordine fiant, 75. a.
 15. Tradidi vobis quod accepistis, 61. b. plus omnibus laborari: Non ego, sed gratia Dei, 135. b. siue ego siue alij: ita docemus, 29. a. si Christus non resurrexit estis in peccatis, 149. a. in Adam omnes moriuntur, 105. b. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, 110. b. corruptibile induet incorruptionem, 102. a.
 16. Vna Sabbatorum, 74. b. eleemosyna disponatur, 29. b.
 2. Cor. 1. Testimonium bona conscientia, 135. b. Non alia scribimus vobis quam legitis, 30. a. cognouistis nos ex parte, 30. b. promissiones Dei sunt Amen, 161. b. dedit arrham spiritus, 169. b.
 2. Contristauit quodammodo omnes, 30. b. cauponantes verbum Dei, 7. a.
 3. Epistola nostra vos estis, 14. a. non atramento, sed spiritu Dei, 14. a. 15. b. non sumus idonei cogitare, 91. b.

INDEX

119. b. 188. b. idoneitas nostra ex Deo est, 119. b. 120. a. 121. a. ministerium spiritus, 160. b. 169. b. in tabulis lapideis, 9. a. administratio iustitia in gloria, 91. a.
7. Si velatum est Euangelium, 44. a. 57. b. Deus huius seculi excacavit mentes, 115. a. Deas illuxit cordibus nostris, 120. a. externus homo corrumpitur, 120. b. interior homo renouatur de die in diem, 94. a. 100. a. 102. a. 120. b. 182. b.
5. Qui viuunt non iam sibi viuunt, 175. b. Si quis est in Christo noua creatura, 176. b. non imputans eis peccata, 139. a. 165. a. Ministerium reconciliationis, 160. b. Pro Christo legatione fungimur, 23. a. 179. b. Deus exhortatur per nos, 179. a. Reconciliemini Deo, 131. a. eum fecit peccatum, 96. b. 140. b. vt efficeremur iustitia Dei in illo, 141. a.
6. Ne cuiquam offendiculum praebeat, 176. b. qua societas luci ad tenebras, 102. a.
7. Spiritus sanctificationem perficientes, 101. a. ἀπολογία, pro satisfactione reddita, 57. a.
9. Iustitia eius manet in seculum, 152. a.
10. Intellectum captiuantes in obsequium Christi, 110. a. quales sumus absentes per epistolas, 30. a. iuxta mensuram Regula, 45. a.
11. De actis Pauli, 24. a. Gratia euangelizauit, 138. b.
12. Audiuit Paulus ineffabilia, 32. b. nihilo sum inferior alius Apostolis, 29. b. Virtus mea in imbecillitate perficitur, 100. b. 163. b.
13. Vt praesens ita & absens, 30. a. experimentum queritis loquentis in me Christi, 23. a. 178. b. probate vos ipsos an sitis in fide, 168. b. oramus Deum vt nihil mali faciatis, 108. a.
- G**alat. 1. Si quis aliud euangelizauerit, 31. b. 40. a. 179. a. transferemini in aliud Euangelium, 31. a. 136. a. De actis Pauli, 24. a. Dederunt mihi dexteras societatis, 28. b.
2. Subducit se Petrus metu Iudaeorum, 180. a. Gentes cogis Iudaeizare, 72. a. 74. a. nisi per fidem, 165. a. nos in Christum credimus, 132. a. 137. a. 155. a. 165. a. Si per legem est iustitia, Christus frustra mortuus est, 136. a. 165. a. 177. b.
3. Ex auditu fidei Spiritum accepistis, 136. 169. b. qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, 133. b. 137. b. 167. b. non ex lege, 164. b. Maledictus qui non permanferit in omnibus, 133. b. 136. b. 150. b. 160. a. 167. b. 183. a. 184. b. 188. b. qui fecerit hac, viuet in eis, 133. b. 136. 150. b. 151. a. 160. a. 168. a. Gentibus benedictio Abrahae contingit in Christo, 140. b. promissionem Spiritus accipiamus per fidem, 162. a. vt promissio ex fide Christi detur credentibus, ibid. lex pedagogus est in Christum, 78. b. 151. a. Christum induistis baptizati, 141. b. 169. a.
4. Filium factum sub lege, 140. b. Vt eos qui sub lege errant redimeret, 183. a. Vt adoptionem filiorum acciperemus, 140. b. 148. a. Misit Spiritum filij sui in corda nostra, 169. b. quin potius cogniti a Deo estis, 163. b. 173. b. quos parturio donec formetur in vobis Christus, 31. b.
5. In libertate in qua Christus vos liberauit stete, 181. a. Euacuati estis a Christo qui in lege iustificamini, 136. 137. a. 148. a. 167. b. 177. b. 186. b. fides per charitatem efficax, 148. a. 164. a. paululū fermenti totam massam inficit, 31. b. tota lex in vno verbo completur, 178. b. Spiritu ambulemus, 176. b. Caro concupiscit aduersus Spiritum, 182. b. Spiritus concupiscit aduersus carnem, 92. b. 103. a. qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, 167. b. 173. b. 176. a. Charitas est fructus Spiritus, 111. b. 134. a. 148. a. Carnem crucifixerunt cum concupiscentiis, 91. b. 92. a. 95. a. 103. a. 120. b. 146. b.
6. Tempore suo metemus non defatigari, 187. a. mihi absit gloriari nisi in cruce Christi, 141. b. Quotquot iuxta hunc canonem incedunt, 31. b. 45. a.
- E**phe. 1. Sicut breuibus antea scripsi, 32. a. b. elegit nos in Christo, 172. a. adoptauit nos, 138. b. Euangelium salutis, 32. a. ob signati estis Spiritu promissionis, 169. v. 170. a. Spiritum illuminationis, 58. b. illuminat oculos mentis vestrae, 120. a. 122. a. vt sciamus qua sit spes hereditatis, 169. b.
2. Mortui in peccatis, 119. b. ambulauistis in peccatis, 91. a. Satan opus suum habet in filiis dissidentiae, 91. b. 115. a. in concupiscentiis carnis, 91. b. facientes voluntates carnis & cogitationum, 91. b. 92. a. eramus natura filij irae, 91. a. b. 93. a. 105. b. Deus qui diues est in misericordia, 138. a. b. conuiuificauit nos cum Christo, 120. b. gratia saluati estis, 132. a. 138. a. b. 145. 164. b. 186. b. 187. a. Non ex vobis: donum Dei est, 120. b. 164. b. Creati ad bona opera, 111. b. 120. a. 175. 176. b. qua praeparauit Deus vt in iis ambulemus, 178. b. Eratis sine Deo, 133. a. Christus euangelizauit nobis pacem, 32. a. fundamentum Prophetarum & Apostolorum, 33. a. 43. b.
3. Legentes potestis intelligere cognitionem meam, 32. a. b. accessum habemus cum fiducia, 163. a. Christus habitat per fidem in cordibus nostris, 141. a.
4. Digne ambulate vocatione vestra, 176. b. vna fides, 33. a. dedit dona hominibus, 58. a. vt non quouis vento circumferamur, 7. a. non contristetis Spiritum quo ob signati estis, 169. b. 176. b. vanitas & obscuratio mentis, 110. b. tenebris obscuratum habentes intellectum, 90. 91. b. ignorantia existens in illis, 91. a. ἀπειθήματα, 114. b. deponere veterem hominem, 95. a. 175. b. Renouati Spiritu mentis, 90. b. 99. b. 101. a. 102. 103. 120. b. in iustitia & sanctitate, 152. a. Nouus homo creatur ad imaginem Dei, 120. b.
5. Sitis imitatores Dei, 176. b. propter hac venit ira Dei, 173. b. eratis quondam tenebrae, 91. b. 119. b. vt filij lucis ambulate, 176. b. fructus spiritus, 134. a. 187. b. exurge a mortuis, 120. b. lauacrum aqua in verbo, 160. b. non habentem maculam aut rugam, 102. a. mysterium magnum, 57. a.
6. Quod quisque fecerit boni hoc reportabit, 185. b. vt possitis in omnibus perfecte prestare, 57. a.
- P**hilip. 1. Qui cepit in vobis bonum opus, 120. a. 121. b. 172. b. digne Euangelio Christi, 176. b.
2. Cum timore & tremore operemini salutem, 172. b. Deus operatur velle & perficere, 120. a. 121. b. 122. a. 125. 188. a.
3. Eadem scribere me non piget, 33. a. hoc est vobis ἀκοαλές, 20. a. 33. a. secundum iustitiam legis, sine querela, 73. a. 114. a. 135. b. propter Christum omnia pro detrimentis habeo, 135. b. 141. b. non habens meam iustitiam, 165. a. Iustitiam per fidem Christi, 155. a. Iustitia ἐπὶ τῆ πίσει, ibidem. non quod apprehenderim aut perfectus sim, 142. a. quin potius apprehensus sum, 163. b. 168. b. 173. b. 182. a. b. quotquot perfecti sumus sic sapiamus, 142. a. 184. a. eodem procedamus canone, 33. b. 45. a.
4. Qua didicistis & accepistis ex me, 33. a. b.
- C**OL. 1. Vt ambuletis digne Domino, 176. b. Transulit nos in regnum filij sui, 130. a.
2. Qualem sollicitudinem habeam, 33. 34. b. qui faciem meam non viderunt, 33. b. Accepistis Iesum Christum, 162. a. ne quis decipiat vos per Philosophiam, 33. a. 76. b. exuistis corpus peccatorum carnis, 94. a. mortui in peccatis, 119. b. Chirographum deletum esse, 131. b. mens car-

I. Partis Examinis.

- mens carnis, 110. b. ne gustaueris, 180. a. *ἰδὲλοσφιν-
σκεία,* 178. a
3. Cum ipso apparebitis in gloria, 102. a. mortificate mē-
bra vestra, 91. b. 95. a. propter hac venit ira Dei, 173.
b. 176. a. exuere veterem hominem, 94. 95. a. 103. a. ad
agnitionem & imaginem eius, 90. 91. b. Condonate
vobis inuicem, 176. b. Sermo Christi habitet in vobis,
34. a
1. **T**hessal. 1. Permansistis in spe Iesu Christi, 25. b
3. Suppleamus que desunt fidei vestra, 25. b
4. Hac est voluntas Dei, sanctificatio vestra, 83. a. 175. b.
Qui hac spernit, non hominem sed Deum spernit, 176.
b. Deus vltor est de his omnibus, 176. a. non vocauit
nos Deus ad immundiciem, 175. b. 176. a. qui Spiritu S.
dedit in vobis, 176. b
5. Omnia probate, 3. a. 58. a. b
2. **T**hessal. 1. Iustum est Deo retribuere, 185. b. Ne turbemi-
ni siue per Spiritum, 25. b. 26. a. 76. b. extollit se super
omne quod dicitur Deus, 4. a. 51. b. 177. b. sicuti reue-
ra est verbum Dei, 179. a. per signa mendacia, 107. a.
tenete traditiones, 20. b. 26. a. 35. b
3. De separandis his, qui inordinate viuunt, 74. b. Secun-
dum traditionem quam acceperunt, 61. b. non gratis
comedi panem, 138. b. hoc signum meum in omni epi-
stola, 26. a. 47. b
1. **T**imoth. 1. Sicut rogavi te vt maneres Ephesi, 27. a. b.
ne diuersam sequantur doctrinam, 27. a. sum-
ma precepti hac est, 27. a. b. 178. b. Charitas ex corde
puro, 111. b. ex fide non ficta, 159. b. circa fidem nau-
fragium fecerunt, 176. a. b
2. Deus vult omnes homines saluos fieri, 54. b. dedit se
precium redemptionis, 141. a. 186. b
3. Quomodo oporteat in Ecclesia, qua est Domus Dei, ver-
sari, 27. a. b. 45. a. Ecclesia est stabilimentum verita-
tis, 9. a. 27. a
4. Doctrina demoniorum, 59. b. promissiones huius &
futura vita, 185. b. hac praecepe & doce, 27. b. 35. b
5. Qui suorum non habent curam, 175. 176. b
6. Ne doctrina male audiat, 176. b. Tu autē homo Dei, 35. a
2. **T**imoth. 1. Exuscita donum quod in te est, 117. b. non
dedit vobis Spiritum timoris, 172. a. non secundum
opera, sed propositum & gratiam, 138. b. 164. b. 186. b.
Certus sum quod potens est, 169. a. habeo formam
sanorum verborum, 34. a
2. **Q**ua audiisti a me per multos testes, 34. a. 35. b. re-
cte secantem sermonem Dei, Nouit Dominus qui sine
sui, 172. a. Captiui tenentur laqueis diaboli ad ipsius
voluntatem, 115. a
3. **P**ermane in his qua didicisti, 34. b. Sacra litera pos-
sunt te erudire ad salutem, 34. b. Scriptura diuinitus
inspirata, 8. b. 27. 34. b. 35. a. b. 38. a. 47. a. vt homo Dei
sit perfectus, 35. a. b. 178. b
4. **R**eposita est mihi corona iustitia, 142. a. 172. b. non im-
putetur illis, 149. b
- T**it. 1. Deus mentiri nesciens, 133. b. Tito Germano fi-
lio suo, 28. a. Huius rei gratia reliqui te in Creta,
28. a. infidelibus nihil est mundum, 111. b. mens pol-
luta, 110. b
2. **V**t qui repugnat, rubore suffundatur, 176. b. vt doctri-
nam saluat oris ornet in omnibus, 176. b. populum se-
ctatorem bonorum operum, 175. b. 176. a
3. **B**enignitas & bonitas Dei, 140. b. non ex operib. iusti-
tia, que seueramus nos, 151. a. 162. 163. 164. b. 186. b. se-
cundum misericordiam suam saluos nos fecit, 138. b.
Lauacrum regenerationis & renouationis, 94. a. 108.
a. 120. b. Spiritum S. in nos effudit abunde, 101. b. di-
scant & nostri bonis operibus praesse, 35. a
- P**hilem. 1. Paulus pro Onesimo intercedit, 6. 9. b
1. **P**et. 1. Finem fidei vestra vitam aeternam, 128. a. per-
fecte sperate in gratiam, 168. b. sancti estote, 176. a.
In timore conuersemi, 172. b. conuersio a patribus
tradita, 12. b. verbum Dei vobis pradicatum, 10. b. 36. a
2. **P**er ipsum offerentes hostias spirituales, 111. b. benefa-
ciendo obturetis eis os, 176. b. vt insequeremini vesti-
gia eius, 176. b. peccata nostra ipse pertulit, 102. b. 176.
vt peccatis mortui iustitia viueremus, 175. b
3. **P**er conuersationem absq. verbo lucrifiant, 176. b. Sti-
pulatione bona conscientia, 169. a
4. **V**t in omnibus glorificetur Deus, 176. b. Iustus vix sal-
uabitur, 144. a
5. **C**ui resistite fortes in fide, 100. a. per Siluanam breuiter
vobis scripsi, 36. a
2. **P**et. 1. Non ociosos aut infructuosos, 175. b. Non negli-
gam vos de his commonefacere, 36. b. oblitus est
purgationis peccatorum, 176. a. tanquam lucerna in
obscuro loco lucenti, 44. b. Scriptura non est priuata
interpretationis, 58. a. impulsus a Spiritu S. loquuti
sunt, 38. a. 47. a
2. **E**run enim inter vos falsi Doctores, 36. b. 76. b. Noah
praco iustitia, 7. b. posteriora priorib. deteriora, 91. b
3. **I**n extremis temporibus venient illusores, 36. b. sicut &
dilectus frater noster Paulus, 37. a. Scripturas contor-
quent, 37. a. 58. a. 173. b
1. **I**ohan. 1. Hac scribimus & annunciamus, 37. b. com-
munionem habemus cum Deo, 101. a. Si dixerimus
peccatum non habemus, 91. a. 101. 102. a. 104. b. 136. b.
138. a. 146. b. 182. b. 184. a
2. **A**duocatum habemus, 131. b. 139. a. 142. a. 186. b. propi-
tatio pro peccatis totius mundi, 140. a. 142. a. ambu-
late sicut Christus ambulauit, 176. b. Non nouum
mandatum scribo vobis, 37. b. scribo vobis patres, ibi.
Non scripsi vobis vt ignorantibus veritatem, ibi. face-
re peccatum, 91. a
3. **S**cimus quod similes ei futuri simus, 172. b. qui hanc
spem habent seipsos sanctificant, 176. a. peccatum est
a uoluntate, 92. b. 103. b. 184. b. qui peccat non vidit nec
cognouit Deum, 176. b. Qui facit iustitiam, 134. a.
147. b. 152. a. In hoc manifesti sunt filij Dei & diaboli,
176. b. translatus sum a morte ad vitam, 131. b. 168. b
4. **P**robate spiritus, 3. a. 3. b. 37. b. 179. a. in hoc est chari-
tas, non quod nos Deum dilexerimus, &c. 147. a. & nos
debemus inuicem diligere, 175. b. qui dicit se nosse
Deum & mandata eius non facit, 175. b. mandatum
habemus vt qui diligit, &c. 175. b
5. **M**andata eius non sunt grauiora, 183. b. qui credit in fi-
lium, testimonium habet in seipso, 169. b. qui non cre-
dit Deo mendacem eum facit, 168. b. qui habet filium
habet vitam, 186. b. hac scribo vobis qui creditis, 37. b.
56. a. 168. b. 172. b. sciatis quoniam vitam habetis a-
eternam, 168. b. omnis aduicia est peccatum, 103. b
2. **I**oh. Nolite eos in domum recipere, 179. a. nolui per a-
tramentum & chartam, 38. a
- H**ebr. 1. Purgationem peccatorum per seipsum factam,
101. a
2. **N**e *ἡμεῖς ἑσθόμεθα*, 34. a. gratia Dei gustauit mortem,
138. b
3. **S**i fiduciam & gloriationem spei tenuerimus, 168. b.
172. b
4. **V**erbum auditum non prodest, si non sit fidei aduix-
tum, 159. a. ad thronum gratiae, 131. b. 138. b.
6. **D**e capitibus catecheseos, 24. a. 34. a. non iniustus est
Deus, vt obliuiscatur operis vestri, 185. b. vt per duas
res immobiles firmam consolationem habeamus, 168.
b. anchoram spei, ibid.
7. **P**ontifex sanctus, innocens, 105. b
9. **S**anguis Christi mundat conscientiam, 111. b. apparet
vultus

INDEX

- vultui Dei pro nobis, 149. a. ad multorum exhaurien-
da peccata, 57. a. 102. b.
10. Vna oblatione consummauit sanctificandos, 164. b.
plerophoria fidei, 168. b.
11. Sine fide impossibile est Deo placere, 111. b. Noach fide
iustificatus, 158. a. 161. a. fide egressus Abraham, 134.
b. 148. a. fide transierunt mare rubrum, 161. a. ope-
rati sunt iustitiam, 152. a.
12. Peccatum vndique circumstans, 91. a. 96. b. exter-
ritus sum & tremebundus, 181. a.
13. Honorabile coniugium in omnibus, 39. b. obedite pre-
positis vestris, 179. a. doctrinis variis nolite circum-
ferri, 34. a.
- [Iacob. 1. Postulet in fide nihil hesitans, 170. a. vnusquisq;
rentatur à sua concupiscentia, 115. b. peccatum con-
summatum parit mortem, 94. b. 96. b. omnis donatio
bona, est à patre luminum, 120. a.
2. Qui in vno delinquit reus est omnium, 104. a. 133. b. 136.
b. 150. b. 160. a. 184. b. 188. b. Demones credunt & con-
tremiscunt, 158. a. fides mortua, 151. b. 159. b. 164. b.
175. b. Abraham ex operibus iustificatum, 151. b.
3. In multis labimur omnes, 184. b. Sapientia terrena &
demoniaca, 110. b.
5. Alleuiabit eum Dominus, 57. a.
- [Vdæ 1. Propter subingressos falsos Doctores, 38. a.
Memores verborum, quæ dicta sunt ab Apostolis, ibid.
tunica à carne inquinata, 101. a.
- Apoc. 1. Die Dominica, 75. a.
2. Scribe angelo Ecclesia, 38. a. gloriantur se esse Apo-
stolos & non sunt, 20. b. Iesabel quæ se dicit prophe-
tissam, ibid. non cognouerunt profunditates Satanae,
20. b.
4. Dignus es Domine accipere gloriam & honorem,
188. b.
9. Nisi homines qui non habent signum Dei, 165. a.
10. Noli ea scribere, 38. a.
21. Accipit aquam vitæ gratis, 138. b. nisi qui scripti sunt
in libro, 165. a.
22. Qui iustus est, iustificetur adhuc, 131. a. si quis appo-
suerit ad hæc, 38. a.

F I N I S.

INDEX



INDEX RERVM ET VERBORVM, IN HAC PRIMA PARTE EXAMINIS MEMORABILIVM.

A.

Abdias Babylonicus, 85.a
 Absolutionis consolatio, 169.a. non in optatiuo dicenda, ibid. an minister potestatem eius habeat. 170.b. dubitatione aliquem absolueret, ibid.
 Accursius de lingua Graeca, 55.a
 Acta Apostolorum, 23.b.24
 Adnaphora, 75.a.b.87.a.179.b
 Aequiuocatio, 124.a.b.144.b
 Affectuum contumacia, 114.b
 Achias, 24.b
 Altare versus orientem, 82.a.b. consecrationes altarium, 86.b
 Ambrosius Catharinus, 3.b.88.b
 Αναγεγεν, 40.a
 Andradius, 85.b.88.b.89.a
 Andrea historia, 24.b
 Anima origo, 92.b
 Anticipationes in Scriptura, 8.b
 Apocalypsis, 38.a.51.a
 Apocrypha scripta, 8.b.48.b.50.b.51.b.52.a.53.a.b.84.b.85.a
 Apostolorum & Christi doctrina eadem, 23.a. actus eorum, 24.a.b. omnium inter se eadem fides, doctrina & ministerium, 24.b. quo consilio illi scripserint, 25.a.b. & c. officium eorum in docendo, 25.b. vita eorum, 85.a
 Arrhabo, 169.b
 Arrogantia spiritualis, 171.a
 Ασφδις, 19.b
 Αταξια in homine, 90.b

B.

Baptismi ceremonia, 82.b.84.a.85.b. in baptismo plenam fieri remissionem peccatorum, 94.a. Baptismus infantum, 69.a.b.71.b. an verus homo in baptismo prorsus exuatur, 99.b.100.101.102.103. Baptismi vsus, 160.b

Bonauentura, 145.b

C.

Cabala, 13.b.16.a.b.63.b.183.b
 Canon scripturae, 26.b.31.a.b.32.a.45.a & c. Canonici, 45.a.46. quos libros Augustinus vocet Canonicos, 52.53. Canon misse, 86.a
 Caput apertum aut velatum habere, 75.a
 Catechismus, 24.a.42.b.60.a.150.b.151.a.158.a
 Catholica scripta, 48.b
 Ceremonia in Ecclesia, 4.b.5.a.177.a. ceremonia securitatis quomodo diiudicari debeant, 74.b. vsus earum, ibid. libertas in ceremoniis recipiendis & abrogandis, 75.a.b.87.a. quando impugnanda, 75.b. efficaciam illis tribuere, 82.b.83.b
 Certitudo fidei, 167.168. Vide fides.
 Cerinthus, 20.b
 Chiliaste, 74.a.77.b
 Christum institutio, 86.b
 Christo substituere sanctos, 3.b. non Christus ipse scripsit, sed Apostolos scribere voluit, 22.a. etas Christi & tempus praedicationis eius, 78.79.a. Christo maior gloria tribuitur, cum peccatum recte cognoscitur, 96.a. carnem sine peccato Christus assumpsit, 105.b. 106.a. notitiam Christi saluandis esse necessariam, 109.a. beneficia Christi recte intelligi nequeunt doctrina de li-

bero arbitrio non recte cognita, 113.b. est saluator noster merito & efficacia, 149.a
 Coena vtraque specie, quomodo arceant homines Pontificij, 177.a.b
 Conciliorum autoritas, 3.a. decreta eorum ad normam Scripturae exigenda, 3.a. lex Martiani de synodis, ib. nuda decreta Conciliorum sine declaratione non erant proponenda, 3.b. Concilij Tridentini inchoati pietas, ibi. Scriptura olim in medium posita fuit in synodis, 4.b.40.b. Concilia aequare Euangelio, 52.a. Scripta Pontificum in tomis Conciliorum, 85.a. Concilij Tridentini secreta pandit Andradius, 88.b.89.a.107.b. Concilium Aurasicanum, 125.b. Chalcedonense, 3.a. Mileuitanum, 145.a
 Concordia inter Doctores, 40.a
 Concupiscentia an sit peccatum, 88.a.89.a.b.94.b.95.a.b. ponere eam in natura integra quoque, 89.a.b.90.b. Reliqua vide in loco de peccato.
 Confirmationis institutio, 86.b
 Coniugium supra affine esse dicere, 83.a
 Constantini vox de scripturae autoritate, 40.a
 Consuetudini aliquid dare, 73.b. verustiore consuetudinem pro traditione Apostolica habere, 81.a.b.82.a.83.a
 Contentio saepe in transuersum abripit Doctores, 73
 Contritio non est meritum iustificationis, 156.a
 Conuersionis exempla, 24.a. doctrina eius, 113.b. quid faciat in motibus & viribus humanis, 116.b. in conuersione quae adsint, 146.b.147.a
 Creationis opera in infidelibus, ab illis, quae per peccatum sunt ingressa, distingui oportet, 110.a
 Crucis signum, 80.a
 Cultus ab hominibus excogitatus, 133.a
 Cusanus Cardinalis, 4.b.40.b.85.a

D.

Decalogus & ante & post diluuium fuit, 15.a. quid nomine Decalogi intelligatur, 178.b
 Dispensationis materia est inquirere voluntatem Dei non reuelatam, 172.a
 Diabolus est hostis pure doctrinae, 7.a
 Diaboli non conuertuntur, 123.a
 Διδασκαλία, 36.a
 Dissidentia quid possit, 172.b
 Disputationum contentio saepe excessum & deuiationem affert, 73. aliter cum alijs disputandum, 73.b
 Doctrina examinanda, 2.b.10.b. errores in doctrina, 4.a. veram doctrinam omnem in scripturis contineri, 5.b. vide scriptura. Puritas eius cur facile corrumpatur, 7.a. quomodo puritas eius restitatur & conseruetur, 7.a.8.a.b.12.b.19.b.20.a. inde vsq; ab initio fuisse per traditiones corruptam, 7.b.8.a.9.a.b.10.a.29.a. Dei sollicitudo in conseruanda vera doctrina, 10.a. corruptela doctrinae ex assutis scripturae traditionibus, 12.a. b.13.27. Christi & Apostolorum doctrina eadem, 23.a. doctrina veritas in coetu aliquo, facit eum Ecclesiasticam, 43.a. doctrina vera non geometrica, sed Ecclesiastice demonstranda, 43.b. doctrina Christiana summa & loci, 66.a.67.a.89.b
 Dogmata e quibus scripturis constituenda, 45.a.51.b.53.a. e manifestis scripturis sumpta aut rationatione inde conclusa, 68.b. quomodo confirmanda, aut resutanda, 71.a.b. aliud est dogmatica, aliud per contentionem dicit, 37.b
 Dona

INDEX

Dona Dei quomodo accipiantur, conferentur, amittantur, 113. b. Spiritus sancti dona excusantur, 151. b. fiducia donorum insolescere, 172. b. Dubitationis doctrina sola Papatum prodit, 165. b. Pontificij super ea disputant, 165. b. quare pro ea pugnant, ibidem. articuli de fide dubitante, 166. a. causa dubitationis, 167. a. doctrinam coelestem infamare, quod sit materia dubitationis, 167. b. Nouatiani eam docuerunt, 170. b. dilatio obiectionum pro dubitatione, 170. 171. 172. 173.

E.

*Ebion, 20. b. 21. a
Eccius, 6. b. 13. b. 61. a
Ecclesie iudicium & auctoritatem supra Scripturam extollere, 6. b. 47. a. Ecclesia custos est Scripturae, 9. a. 47. b. traditionem & fidem eius sine Scriptura etiam sequi, 43. a. b. Ecclesiam constituit vera doctrina, non contra, ibidem. Ecclesia exigua & latens, 43. b. de Ecclesia, tanquam domus Dei, adificatione, 45. a. b. Ecclesie Romane fidem, etiam extra Scripturam, pro Apostolica fide haberi velle, 76. a. b. Ecclesie iuuentus aut maturitas, 82. b. Ecclesia puritas & sanctitas, 102. a. Ecclesiam fingere qua sit sine verbo Dei, 109. b. mandata Ecclesie, 177. a. b. 178. 179. a. Ecclesie potestas limitata est, non infinita, 179. 180. a
Electio nostri vnde estimanda, 172. a. b
ἐλεγχος, 36. a
Eliã reditus, 80. a
Emserus, 13. b
Enochi reditus, 36. a
Enthusiastici raptus, 116. b
ἐπαγόρευσις, 36. a
Erasmi translatio noui Testamenti, 56. b
Error varie considerari potest, 72. b. error magnorum ducum honestus videtur, 74. a. errorum pandecta, 76. a.
Ethnicis verbo Dei carentibus, salutem tribuere, 78. b. 79. a. 108. b. 109. a. b. 110. a
Euangelio viam preparare velle per Philosophiam, 110. a. in Euangelio nobis proposita, quomodo fieri possint, 116. b. Euangelij doctrina non est certis libris metienda, 158.
Eucharistiam ad solam orationem Dominicam consecrare, 82. a. celebratio eius Pontificia, 86. a. b. vtramque speciem petere an sit peccatum, 130. b. quomodo ea solent Ecclesiam Pontificij, 177. a. b*

F.

Fides infirma, 163. b. veritas fidei vnde diiudicanda, ibid. dubitatio fidei Papistica, 165. b. 166. 167. 168. 169. fides hereticorum & Epicureorum, 167. b. fidem esse vniuersalem, dubitationem vero de applicatione ad personam, 168. a. demonstrationes certitudinis fidei, 168. a. dilutio obiectionum quibus certitudo fidei impugnatur, 170. 171. 172. 173. quomodo fides amittatur, 172. b. 184. b. non est certitudo fidei tanta, vt nihil super sit dubitationis, 173. b. fides non ferens fructus non est vera, 173. b

G.

*Gad, 24. b
Gnostici, 78. b
Græce lingua vsus, 54. b. 55. a*

Gratia quid tribuant Pontificij in hominis renouatione, 118. b. 119. a. Gratia operans & cooperans, præueniens & subsequens, &c. 121. a. b. 125. b. Vide etiam locum iustificationis. Gratiam inuenire, 135. a. gratia & gratis iustificari, 138. a. b. 139. a. cooperatio & dispositio ad gratiam, 156. b. gratia & gratis data, 156. b. gratia gratum faciens, 158. b. gratia excidere, 172. a

H.

*Hadde, 24. b
Heretici è Scriptura ne aut traditionibus informandi, 6. b. hereticos esse qui scripturis non assentiuntur, 17. a. inimici scripturae, 20. b. 64. b. 77. a. 78. b. mansuetudo eorum cauenda, 40. b. quomodo debeant refutari, 71. a. 77. refutando eos, saepe à tramite per excessum declinari, 73. a. opera eorum sunt peccata, 111. b. fides eorum excludit à regno Dei, 167. b. de certitudine fidei illorum, 171. b
Henochi scripta, 8. b
Heroici motus in infidelibus, 108. a. 110. b
Hosius, 5. a. 22. c. 59. c
Humilitatis prætextu dubitationem fidei defendere, 171. b*

I.

*Iehu scripta, 24. b
Ieiunij tempus & leges, 81. a. b. 85. b. 86. b
Iesuita quomodo recte cognoscantur, 1. a. Theologia eorum, 1. a. historia originis & institutionis sectæ eorum, 1. b. professio eorum, 2. a
Ignatius Laiola, 1. b
Imago Dei in homine, 90. b. 91. a. restitutio imaginis Dei, 91. a
Imperfectio nostra agnoscenda, 178. b. 182
Impossibilia an Deus præceperit, 182. a
Imputare pro inferere, 149. b. imputationis vera consideratio, 140. b. 150. a
Indignitatis tentatio, 171. b
Infidelium opera virtutes & salus, 108. 109. 110. 111. 112.
Interpretatio scripturae donum Dei est, 57. b. non est in renatis, ibidem. alligare eam ad cerrum ordinem hominum, 58. a. interpretationem ab aliis diiudicari nolle, 58. a. b. 59. a. veterum interpretationes omnes pro demonstratis haberi velle, 59. a. perspicuas scripturas aliter pro habitu interpretari, vt dogmata constituentur, 59. b. obseruationes aliquot de interpretatione scripturae, 67. b. 68. a
Iobi liber, 8. b
Ioannes Moronius, 2. a
Ioannis Euangelium, 20. a. 21. 22. 23. epistola eius, 37. b. 38. a
Ioannes Alberus, 1. a
Iudei nostri sunt librarij, 63. a
Iuda epistola, 38. a. 49. b
Iudicio Dei se moribundum sistere, 143. b. 144. a
Iuramenti prohibitio, 79. a
Iudicij an vtendum, ibid.
Iustitia Pharisæica, 116. b. iustitiam Christianam Ethnicis etiam tribuere, 109. 110. 111. 118. a. iustitia originalis carentia, 88. 89. a. b. iustitia operum fundamentum, 88. b. 93. b. meris naturalibus additam iustitiam originalem dicere, 89. a. Vide etiam locum iustificationis.
Iustum quid sit, 92. b. in hac vita iustum esse, 102. a
Iustificatio*

I. Partis Examinis.

Iustificatio doctrina quanti sit momenti, 127. b. 128. a. nō habetur pura cum peccatum non recte cognoscitur 96. a. tribuere Philosophia, itemque legi naturæ & diuinæ, iustificationes, 78. b. 79. a. 108. b. 109. a. b. fidem iustificantem Ethnicis etiam tribuere, 109. a. b. 110. a. 134. a. Conscientiæ angores de certo salutis portu, 127. 128. a. carnis scina conscientiarum in Papatu, cum certam de salute consolationem quaesierunt, atque à Christo ad alia remedia sunt ablegate, 128. a. Evangelicorum doctrina & confessio de ratione iustificationis, 128. 129. a. iustitia qualitates infusa & inherentes, 128. a. b. 129. b. 130. a. b. 131. 137. b. 145. a. b. 147. a. b. 156. b. 157. a. iustificare & iustificari quid sit, 129. b. 130. 131. 132. 133. 141. b. 147. a. reconciliationis seu remissioni peccatorum renouatio est coniuncta, 128. b. vtrumque est ex merito Christi, 128. b. 134. a. sunt tamen à se inuicem distinguenda & non confundenda, 128. b. an renouationis presentia & consequentia prorsus excludatur à renatis & reconciliatis, 129. a. 145. a. 147. a. 164. a. salutis definitio ex Simonis Magi blasphemia, 129. a. non habendæ sunt renatis quæcunque actiones pro indifferentibus, 129. a. Gnostici se putarunt saluari notitia & fidei excellentia, vt non possint gratia excidere, ibidem. status controuersia in hoc loco cum Pontificis est de eo: quid sit illud cuius interuentu Deus absoluat peccatorem à peccatis, & saluet quoque nitentes cum secure agere possint peccatores, 129. b. 131. a. b. 137. b. 144. a. iustificationem adimit scriptura nouitati & operibus renouatorum, 130. a. b. 134. a. b. 135. a. b. 136. 137. 144. b. rationes huius doctrine, 136. a. b. 137. a. transfert vero illam in satisfactionem, obedientiam & meritum filij Dei mediatoris, 130. b. 137. a. 139. a. b. 140. b. 141. a. 147. b. quomodo hanc doctrinam deprauent Pontificij, 145. a. b. imputatio & imputatiua iustitia, 132. a. 140. a. b. 141. a. 149. b. 150. a. Iustitia Christianorum, 140. a. 149. a. iustitia politica non iustificat, 133. 134. iustitia Pharisæica non iustificat, 133. b. fidei & Christi merito opera coniungere velle in loco iustificationis, 136. a. 137. a. 144. b. 145. a. 148. 152. a. iustitia legis & fidei quomodo differant, 137. a. b. 148. b. gratia Dei & gratis iustificari quid sit, 138. a. b. 139. a. 140. b. 145. b. satisfactio pro peccatis nostris, 139. a. b. 140. a. quomodo Christus ad salutem nobis proponatur & accipiat, 139. b. 140. a. meritum iustificationis nostra est Christus, 140. b. Concilij Tridentini sententia de iustificatione, 144. a. formalis causa iustificationis, 144. b. 145. b. 146. b. 147. b. 153. iustificationem nostram esse remissionem peccatorum, 144. a. 145. a. 146. a. charitatem iustificare quomodo intelligant Pontificij, 145. a. b. 146. 147. a. 158. b. fidei & operibus an hic conueniat, 148. a. que opera pontificij à iustificatione excludant, ibidem. de accepta iustificationis incremento, 151. 152. iustitiam conseruari & augeri debere per bona opera, 152. a. iustificatio prima & secunda, 152. a. b. 153. a. Fides iustificat in principio, medio, & sine conuersionis, atque etiam in resurrectione mortuorum, 153. a. quomodo & quando nobis conferatur iustificatio, 156. b. 160. b. 161. a. quo sensu & qua ratione fides dicatur iustificare, 155. a. 157. b. de preparatione ad iustificationem, 155. a. b. 156. 157. 158. mereri velle remissionem peccatorum & iustificationem, 156. a. 158. b. preparationes & dispositiones ad gratiam, 155. b. 156. 157. 158. fides iustificans quæ sit, 157. a. b. 158. 159. 160. 161. fides initium est & fundamentum iustificationis, 155. a. 157. a. fidem quid & qualem esse sentiant Pontificij, 157. b. fides informis, & formata, 158. a. Christus quo organo apprehen-

dendus in iustificatione, 158. b. 159. a. 162. a. gratia quid sit Pontificis in hoc loco, 156. b. 157. a. 158. b. obiectum fidei iustificantis proprium, 159. 160. 161. a. b. causa instrumentalis qua Deus salutem nolis offert & communicat, 153. b. 160. b. 161. a. b. 163. a. vnde fides habeat vim iustificandi, 161. a. 162. a. b. 183. a. fidei natura & vis in apprehendendo suum proprium obiectum, 161. b. quomodo fides in promissione accipiat Christum & beneficia eius, 162. a. b. de necessitate operum ad iustificationem & salutem, 164. b. exclusiue particula in doctrina iustificationis, ibidem. sola fide, 164. b. 165. a. propter quas causas exclusiuis vtendum, 165. a. fidei certitudinem repudiare Pontificios in hac doctrina, 165. 166. 167. 168.

K.

Kavov,

45. b

L.

Latina lingua vsus,

55. a

Legem scribi in cordibus nostris,

15. a. b

Legenda sanctorum,

85. a

Legi natura & diuina tribuere quod ducant ad Christum, 78. b. 108. a. 134. a. legem necessitatis alicui imponere, 83. b. an legi repugnet peccatum originis, 88. a. b. 89. 90. 91. Et imago Dei, & amissio eius potest à Decalogo cognosci, 90. b. 91. a. legis præcepta quomodo fieri possint, 116. b. lex nature non iustificat, estque etiam obscurata, 133. a. b. legis promissiones, 133. b. 160. a. ex legis Dei operibus nemo iustificatur, 133. b. 134. a. legi quomodo satisfiat pro nobis per Christum, 139. b. 140. a. legis doctrina non est metienda libris certis, 150. b. lex preparat nos ad gratiam, 156. a. legem debere esse possibilem, 181. a.

Legis Dei possibilitas aut impossibilitas,

182. a

Leo X.

56. b

Libertate Christiana in adiaphoris non abutendum, 179. b. 180. a. liberum arbitrium non extinctum, sed viribus attenuatum & inclinatum dicere, 107. b. an possit legem Dei implere, & peccata mortalia vitare, 170. a. mens est pars cognoscens, 114. a. voluntas est pars appetens, ibidem. mentis & voluntatis substantia, 114. a. 116. b. 118. a. 122. a. b. 124. a. b. libertas eius in externis rebus, 114. a. b. 115. a. 116. b. 117. b. 120. b. 124. b. vitiose earum actiones, 114. a. b. 116. b. 117. b. renouatarum illarum libertas, 114. 115. a. quid significet liberam arbitrium, 114. a. deprauata omnia non ablata esse, ibidem. homo aliter mouetur quam lapis aut brutum, 116. b. 122. 123. a. libertatis eius in rebus externis impedimenta, 114. b. liberum arbitrium in malo habemus, 115. a. b. 124. b. 125. a. de viribus hominis in rebus spiritibus, 116. b. 117. a. 122. b. 123. a. 124. b. quid agant aut patiantur motus humani in conuersione, 117. b. status disputationis de libero arbitrio est: Vnde habeat homo bonos motus, vel vnde possit aliquid boni inchoare & prestare, 116. b. 117. a. 118. a. 122. a. b. 124. a. 125. a. organum quo noui motus accenduntur in homine, est ministerium verbi & Sacramentorum, 117. b. 118. a. 121. a. status liberi arbitrij ante lapsum, post lapsum, ex conuersione, & in futura beatitudine, 117. a. b. renouatio est ex merito Christi, 128. b. 134. a. 145. a. non vno momento perficitur, sed habet sua initia & progressus, 93. b. 96. a. 100. b. 101. b. 102. b. 117. b. effector nouorum motuum est Spiritus sanctus, 117. b. 118. a. 120. b. de agno-

INDEX

de agnoscendis nouis motibus in nobis effectis, 117. b.
 nullam esse coactionem mentis & voluntatis ad bonū,
 114. a. 118. b. 125. a. libero arbitrio ante conuersionem &
 gratiam vna cum Deo vim cause efficientis ad incho-
 andum & efficiendum motus spirituales tribuere, 119.
 a. 120. a. liberi arbitrij vires per peccatum impeditas
 per gratiam excitari, solui, & instaurari, dicere, 118. b.
 119. 120. a. 156. b. scriptura sententia de libero arbitrio,
 119. a. b. naturam non renatam nullam prorsus habere
 vim cooperadae gratiae in efficiendis nouis motibus spi-
 ritualibus, 119. b. habere eam quoque prauitatem & vi-
 tiosos habitus spiritualibus motibus contrarios, ibi-
 dem gratiam omnia in totum noua facere, 120. a. qua-
 les nos gratia inueniat, ibidem. lucta veteris & noui
 hominis, 121. a. vt velimus & faciamus, Deus facit, 121.
 a. 122. b. utilitas huius doctrinae, 121. de praeceptis Dei vt
 bona agamus, 121. a. 124. subiectum in quo operatur
 Deus renouationem, est mens, voluntas, & cor homi-
 nis, 122. a. b. 123. a. 126. a. Manichei de aliquibus qui
 conuerti non possent, 123. a. hominis capacitas vt con-
 uerti possit, 123. a. 124. assentiri nos oportere & gra-
 tiam recipere, 125. a. hominem posse dissentire & gra-
 tiam abicere, ibidem. Deum adiuuare nos & auxi-
 lium prestare, 125. hominem in regeneratione & con-
 uersione habere se mere passue, 126. a.
 Lindanus, 22. b.
 Linguarum conuersio & in confusione cognatio, 54. a.
 b. translatio Scriptura in alias linguas, 54. b.
 Luca Euangelium, 19. b. 23. a. 47. a. 48. a.

M.

Machabaeorum libri 50. b. 52. b.
 ἐξωτερικὰ καὶ ἐσωτερικὰ 78. b.
 Mala poena & culpa 95. a. 98. a.
 Mandata Dei & Ecclesia 177. a. 178. b.
 Manicheus 90. a. 92. a. 123. a.
 Marci Euangelium 10. b. 23. a. 48. a.
 Maria an sine peccato originis concepta fuerit, 105. 106.
 Maria inuocatio 3. b.
 Matthaeus quando scripserit, 15. b. 16. a. 17. b. de Euangelio
 Matthaei, 18. b. 19. a. 23. a. 49. a. solum hoc Ebion recepit,
 21. a.
 Mediator est Deus & homo, 139. b. satisfactio eius pro no-
 bis 139. b. 140. a.
 Mens hominis, vide liberum arbitrium,
 Merces 185. b. 186. a.
 Meriti appellatio an fieri possit in Ecclesia, 105. a. meri-
 tum congrui, 108. a. 112. b. 128. b. 156. a. b. 156. b. condi-
 gni 110. a. 152. b. 186. a.
 Ministerij dignitas & autoritas, 179. a. obedientia mi-
 nisterio debita, ibidem. ministerij partes & officia
 35. b. 36. a.
 Μνήμων aut μνήμων τοῦ σώματος 36. b.
 Monhemius 89. b.
 Montani heresis multarum traditionum in Papatu
 mater est 82. b. 83. 84.
 Morientium instructiones & consolationes, 143. b. in
 Christi morte fiducia 143. b.
 Mortificatio in hac vita, 99. b. 100. 101. non semel absolui-
 tur sed crescit 151. b.
 Mortuorum memoria & preces pro illis, 82. a. 86. b.
 Mundus est doctrina pura hostis 7. a. b.

N.

Nathan 24. b.
 Natura hominis qualis creata, 89. b. 90. 91. b. 113. b. à vi-
 tio quo corrupta est, discernenda, 90. a. 110. a. b. 111. a.

restitutio eius, 90. b. 91. a. 110. b. metuere ne deprauatio
 natura nimium exaggeretur, 92. a. b. 93. 107. b. quid
 natura ante gratiam tribuatur à Pontificiis, 118. b.
 119. a.
 Necessarium aliud esse 180. a.
 Necessitatis legem facere, 83. a. necessitas coactionis &
 immutabilitatis 115. b.
 Negligentia poena 151. b.
 Nouatiani 170. b.
 Nuptias secundas & tertias prohibere 83. a.

O.

Obsignatio per Spiritum sanctum 169. b.
 ὀμολογίαι 70. b.
 Orantes ad Orientem conuertere facies, 82. b. Spiritus
 gratiae & precum non recte cognoscitur, nisi doctrina
 liberi arbitrij sit sana, 113. b. 114. a.
 Orientem spectare orantes 82. b.
 Osiandrista quidam de iustitia imputatiua, 149. b.
 Operum iustitiae fundamentum, 88. b. 93. b. non constat
 sibi operum bonorum doctrina, nisi peccatum recte ag-
 noscatur, 96. a. Operibus legis natura aut diuina à
 peccato liberari & iustificari neminem posse, 107. b. 109.
 b. opera infidelium & quaecumque ante iustificationem
 sunt vere esse peccata, 107. b. 108. a. 110. b. 111. 112. an li-
 ceat de operibus infidelium quilibet opinari, 108. a.
 facere quod in se est, ibidem. 128. b. 156. b. opera infide-
 lium quae ex creatione Dei sunt, ab illis, quae per pec-
 catum sunt ingressa, distinguenda, 111. a. b. opus per se
 bonum sit malum ex causa efficienti, formali & fina-
 li. 111. a. boni operis conditiones, 111. b. non sunt bona o-
 pera ab homine, nisi per Spiritum sanctum, 115. a. 116. a.
 fide saluatis non permitti, vt quae volunt agant, 129. a.
 non etiam esse illis omnes actiones indifferentes, 129.
 a. aliqui licentiam peccatorum nil obesse his, qui fidem
 haberent, dixerunt, 129. a. opera electitia, 133. a. 178.
 179. per bona opera velle iustitiam conseruare & au-
 gere, 152. opera salutis meritoria dicere, 152. 177. 185. b.
 186. a. de necessitate eorum ad salutem, 164. b. necessi-
 tas bonorum operum, 176. a. opera carnis à salute &
 gratia excluduntur, 172. b. 173. a. 176. a. calumnie Pō-
 tificiorum, quibus (pleraque nimirum vt meretrice de
 pudicitia) doctrina bonorū operum disputantes, nos,
 de studio illorum neglecto, aut etiam prohibito, accu-
 sant, 175. 176. a. b. fundamenta exhortationum ad bo-
 na opera in Ecclesijs Euangelicis vsitatarum, 175. b.
 176. an bona opera, cum ad iustificationem non pro-
 sint, nullas habeant causas & utilitates alias, 176. a. b.
 quae sint bona opera, in quibus vult Deus renatos obe-
 dientiam suam exercere, 176. b. 177. imperfectio nostra
 in bonis operibus, 178. b. opera supererogationis, 178. b.
 181. a. b. an bona opera renatorum perfecta sint & legi
 Dei satisfaciunt, 181. 182. quomodo & quare placeant
 Deo opera, 181. b. 182. a. iustum in omni bono opere pec-
 care, 184. a. de premijs bonorum operum, 185. b. 186. v-
 trum ex gratia Dei nobis premia dentur, an ex debi-
 to propter merita 188. a.

P.

Παράδεισος 36. a.
 Papa laudes, 3. b. an autoritatem habeat super scriptu-
 ram & articulos fidei, 51. b. habere eum omnia iura in
 scrinio pectoris, 58. a. 61. a. interpretationes Scripturae
 ab illo profecta quam vim habeant, 58. 59. 60.
 Paschatis obseruatio, 81. b. Geniculatio inter Pascha &
 Pentecosten 82. b.
 Patrum

I. Partis Examinis.

Patrum testimonium quomodo utendum, 39. a. 71. a. interpretationes eorum in Scriptura, 58. 59. a. de auctoritate eorum apud nos, 71. a. quare eorum consensus allegatur, 71. b. 72. a. quando non audiendi aut recipiendi, 72. incommode ab eis dicta quomodo accipienda, 72. b. 73. a. cum patribus errare quam cum aliis recte sentire malle, 73. b.

Paulus quomodo scripserit, 14. b. 16. a. acta Pauli, 24. a. Pauli & Tecla actus, 24. b. 48. a. quo consilio scripserit, 25. a. Epistola eius ad Thessalonicen, 25. b. prior ad Timotheum, 27. a. ad Titum, 28. a. prior ad Corinthios, 28. a. b. secunda ad Corinthios, 29. b. ad Romanos, 30. a. b. ad Galatas, 31. a. 136. a. Ascensus Pauli, 32. b. Epistola ad Philip. 33. a. ad Colossenses & Laodicenses, 33. b. ad Hebraeos, 34. a. secunda ad Timotheum, 34. a.

Paulus Papa, 1. 3. 56. b.

Peccati originalis definitio, 88. a. b. 89. b. 90. a. 92. a. an repugnet legi Dei, 88. a. b. 89. a. b. concupiscentiam non habere rationem peccati, 88. a. quod non sit peccatum originis, 88. a. b. reatus eius, 88. a. necessitas recte cognoscendi peccatum originale, 89. b. 91. a. 95. b. 96. a. an peccatum sit tantum actio contra legem Dei, 89. a. b. extenuare peccatum, 89. b. 95. b. 105. a. 184. b. an omne peccatum sit voluntarium, 89. a. b. 92. a. b. 103. a. 115. b. an sit minimum peccatorum aut maximum, 89. b. 91. a. b. 92. a. an ut carentia iustitiae originalis sit peccatum, 88. b. 89. a. negare omnia in nobis per illud esse deprauata, 93. b. natura à vitio quo deprauata est discernenda, 90. a. 110. a. b. 112. a. peccatum originis nobis incognitum est, & solo verbo Dei de eo docemur, 89. b. 95. 111. b. peccatum facere, habere, in eo ambulare; 91. a. 99. a. peccatum esse à voluntate, 92. b. 103. a. b. politice aliquid vocari peccatum, 97. a. metui ut nimium exaggeretur peccatum originis, 92. a. b. 93. b. de peccati reliquiis post Baptismum, 93. b. 94. 95. non eodem modo se peccatum originis ante & post Baptismum habere, 94. a. 96. b. Reatus in Baptismo remissus, 94. b. Concupiscentia in renatis non est res bona; ibidem. Neque est res indifferens, ibidem. Sed vehementer mala, 94. b. 95. a. 97. a. Sitne peccatum an tantum poena & causa peccati, 91. b. 92. a. 97. a. 98. a. b. 99. a. quatenus neget Augustinus concupiscentiam in renatis esse peccatum, 96. a. b. 97. a. Pontificij dicunt Deum nihil in renatis odisse quia omnia in illis sint pura & sancta, 95. b. 96. b. 98. a. 99. a. Concupiscentia etiam cum non regnat dicitur peccatum, 96. b. quomodo eam peccatum dici intelligant Pontificij; ibid. Paulum eam vere peccatum esse dicere, 96. a. b. quatenus patres eam dixerint esse peccatum, 97. b. est non tantum poena, sed etiam culpa malum, 95. a. 88. a. 99. a. Deus hoc agit ut peccatum consumatur, 99. a. peccatorum purgatio quando in nobis fiat, 101. b. Duo inesse peccato: turpitudinem & reatum, 100. a. 101. b. concupiscentiam negare esse à voluntate, 103. a. Diabolum aut hominem esse peccatum, 103. b. an peccatum sit quod contra pontificem & prelatos admittitur, 103. b. 177. a. b. Quos homines quando Andradius dicat esse sine peccato, 104. An Maria fuerit sine peccato originis concepta, 105. 106. 107. obicem peccati mortalis per se remouere velle, 108. a. peccatum aliquid dicere non quia ab infideli fiat, sed quia non referatur ad verum finem, 111. a. Nemo omnium est sine peccato, 182. b. peccata non omnia esse paria, 112. a. peccata venialia, 96. b. peccati causa quae sit aut non sit, 115. b. Satana tyrannis ad peccandum quomodo agat in homine, ibidem. peccata fieri Deo sinente, permittente, & deserente, ibidem. peccata

multa à Deo impediri & reprimi, ibidem. Malitia impiorum vitur Deus ad poenas certas aut suorum correptiones, &c. 115. a. b. De voluntate & operatione Dei in vitiosis actionibus, 116. a. Satisfactionem Deus requirit pro peccatis nostris, 139. 140. peccatum in sanctis manere, 146. b. peccatorum remissionem ut tribuere Deo, quasi non eam per ministerium nobis impertiat, 170. b.

Pelagius & Pelagiani, 93. a. 116. b. 118. a. 123. b. 145. a. 177. b. 185. a.

Perfectionis persuasio, 78. b.

Perezus, 22. b.

Perseuerantia doctrina, 172. b.

Petri Epistola, 36. 37.

Petri historia, 24. a.

Petrus Galatinus, 13. a.

Pighius, 6. b. 13. b. 22. b. 88. a. 140. b.

Possibilitatis augmentum, 100. b.

Prædeterminationis doctrina, 172. a.

Presumptio spiritualis, 171. a.

Πεσ, 32. b.

Prophecia non fuerunt à tribu sacerdotali, 58. a.

Πεσ, 32. a. b.

Purgatorij commentum, 86. b.

Q.

Quadragesima, 81. a.

R.

Ratio est hostis pura doctrina, 7. a.

Rebaptizatio, 69. b. 70. a.

Refutationes hæreticorum quomodo instituende, 71. a. 77. b.

Refutari non omnia posse, 92. b. Conculcare argumenta quae refutare nequeas, 149. b.

Regeneratio remissionem peccatorum quae perfecta est, & renouationem quae inchoata est & crescit; continet; 95. a. 147. a. b. Sine regeneratione alicui bona opera tribuere, 107. b. 108. a. vim præstandi motus spirituales non renato tribuere ante gratiam, 118. b. 119. a.

Renouatio nostri aequae atque remissio peccatorum est ex merito Christi, 128. b.

Regeneratio per Baptismum fit; 69. a. b. non fit præter Christum, 69. b. an faciat ut concupiscentia non sit peccatum, 89. a. ante illam ponere in homine pium aliquid, 90. a. fit in omnibus partibus naturæ, 91. a. Quid efficiat in homine, 94. a. Renouationem non absolui vna vice, sed crescere etiam si remissio peccatorum quae fit in Baptismo sit perfecta, 94. 95. 99. b. 100. 101. 102. 117. 151. b.

Regnum Dei duplici iure Christi est, 143. b.

Religionem quamcunque approbare, 108. b.

Reuelationes, 8. a. 9. a. 40. 107. a.

Ritus vide ceremonias,

S.

Sabbathi abrogatio, 75. a.

Sacramentorum vsus pugnat contra dubitationem, 169. a.

Sanctificationis ratio secundum Montanistas, 83. a.

Satisfactiones, 84. b.

Scripta triplicia in Ecclesia habita semper esse, 48. b. 79. b.

Scriptura est norma iudicij de doctrina, 3. a. 5. a. æquare

S. et tradi-

INDEX

<p>ei traditiones, 5.a. discrimen inter libros scripturae, ibidem. Lucifuga scripturarum, 5.b. habere eam pro imperfectiore, quam ut omnem doctrinam celestem contineat, id est, de insufficientia eius, 5.b.6.a.b. 26.a.35.a.64.65. an sit voluntas Dei, ut per scripturam doceamur, 6.a. Ecclesia iudicium & auctoritatem, scripturae anteponere, 6.a.b.47.a.48.49.50. traditiones ei aequare aut praeferre, 5.a.6.a.b.17.b.47.a.77.78. accusare eam obscuritatis & flexibilitatis, 6.a.b.17.a.b.44.a.b.57.b.64.b.65.a. An heretici e scriptura non informandi, 6.b. quare negant eam esse fidei regulam debere, 6.b. quamdiu & quare ab initio non fuerit doctrina scripto comprehensa, 8.a.15.b.17.a. scripturae occasio, origo & autor, 8.a.b.11.b. de illius usu, dignitate & auctoritate, 9.a.b. Est norma iudicij in controuersis, 10.b.41.b.43.a. Scripturae assuere traditiones, doctrinam corrumpit, 12.a. Christus scripturam opponit traditionibus, ibidem. Papistas hodie non amplius, ut olim scripturis contra Euangelicos pugnare, 13.b. An doctrina noui Testamenti plene in scriptis quae habemus comprehensa ac tradita sit, 14.a.b. Quo consilio & in quem usum doctrina Euangelij scriptis mandari cepit, 17.b.18.a. b.38.b. ad Ecclesiam vniuersam scripta Apostolica pertinere, 17.28.b. Scriptura est fidei fundamentum, 17.a.23.b.42.b.43.a. heretici scripturis non adseruiuntur, 17.a.b. Sunt inimici eius, 20.b.64.b. Christus non ipse sed per Apostolos scripsit, 22.a. quare non omnia omnium Apostolorum acta descripta sint, 24.a. De constituto Canone scripturae, 26.b.31.a.45.a. 47.a.</p> <p>Scripturas torquere, 37.a.38.a. omnis scripturae vna tantum esse simplex sententia potest, 37.a. Patrum testimonia de auctoritate & sufficientia Scripturae, 39.a.40. Non veritas aut auctoritas scripturae ab Ecclesia, sed Ecclesia a scriptura & verbo Dei dependet, 43.a.b.47. Vbi dogmata tradit, est certa & minime ambigua, 43. obscura loca quomodo explicanda, 44.a.b.</p> <p>Scripturarum inexhausta doctrina, 44.a. collatio earum ad scripta aliorum doctorum, 46.a.b. 47.a. Vnde scriptura suam habeat auctoritatem, 47.a.b. Ecclesia testis & custos est Scripturae, 9.b.47.a.b.49.50.62.63. Quomodo Ecclesia diiudicauerit scripta Apostolica & adulterina, 48. 49. de canonizatione scriptorum olim reprobatorum & reiectione confirmatorum, 48.49.50.51. Qui libri scripturae pro Canonicis sint habendi, 44.b.48.b.49.50. &c. Catholica scripta, 48.b.50.a. De Apocryphis libris, 49.50.51.52. de commodis & incommodis ex neglecta Canonorum & Apocryphorum scriptorum distinctione, 52.a. de transpositione Scripturae authentica, 4.b.5.a.54.a.55.b.130.b. translationum causa & usus, 54.b. de intelligentia & interpretatione Scripturae, 5.a.57.58.59.60.67.b. Laicis etiam legenda scriptura, 60.a. de non prouocando ad Scripturam, 64.a.b. a scriptura ad traditiones prouocatum olim esse, 64.a.b.65.a. An admittantur traditiones cum scriptura pugnantes, 62.a.b.65.a. b.66. Ex figuratis & obscuris locis scripturae exegere aliquid quo perspicua dicta eius eludantur, 67.b. Saepe non vocabula & phrasae, sed res in scripturis haberi, 68.b.69.a. pontificios scripturae parum aut nihil tribuere, 109.b. multa scripturis non posita nominatim, bona tamen consequentia illinc eliciuntur, 68.b.69.a.70.b. 177.a.</p> <p>Securitas malum, 173.b.</p>	<p>Semeias, 24.b.</p> <p>Symbolum Apostolicum, 6.66.6.8.</p> <p>Symboli articuli, 159.a.</p> <p>Στοιχος, 31.b.32.a.</p> <p>Στοιχειν, 45.b.</p> <p>Spei origo & efficacia secundum pontificios, 157.158.162. a.163.b. Cum dubitatione coniunctam illam habere, 166.b.168.a.</p> <p>Spiritum sanctum esse Deum, 68.b.70.b. Spiritu sancto obsequari, 169.b. amittere eum, 172.b.184.b.</p> <p>Spiritualia in humanis viribus sunt, 116.b. Superbia spiritualis, 171.a.</p> <p>Superstitionis epitome, 76.a.</p> <p>Στραβειν, 37.a.</p>
<p>T.</p>	
<p>Thalmudica traditiones, 12. b. 13. a. quando con- scriptum fuerit Thalmud & quomodo auctum, 13.b.</p> <p>Thammerus, 108.b.</p> <p>Theatini, 1.b.</p> <p>Tempori cedere, 73.b.</p> <p>Temporis praescriptio, 13.a.</p> <p>Testamenti veteris & noui perfectio, 10.b.85.b.</p> <p>Testamenti veteris & noui collatio, 14.15.</p> <p>Traditiones aequare aut praeferre scripturae, 5.a.6. b.17. b.47. a.77. b. verbum Dei per traditionem sine scriptura conseruari, 7. b. 8. a. 9. a. b. 10. ex tradi- tionibus scripturae astutus corruptelas doctrinae sequi, 12.a.b.</p> <p>Christus traditionibus non traditiones, sed scriptu- ram opponit, ibid.</p> <p>Thalmudicarum traditionum ad Pharisaicas collatio earundemque origo & propagatio, 12.b.13.a.</p> <p>Vis persuasionis de traditionibus ad excacandum ho- mines, 13.b.</p> <p>Quare hodie pro traditionibus non scriptis contra scri- pturam pugnent Pontificij, ibid.</p> <p>Tempore Apostolorum homines seductos fuisse per tra- ditiones, 18.a.26.a.76.b.</p> <p>Apostolorum traditiones in literas esse redactas, 20.a. 76.b. traditionum titulo defenditur, quicquid Ec- clesia Pontificia sine scriptura aut contra eam seruat, 60.b.76.a. non ita hodie ut tempore Lutheri de traditionibus disputatur, 61. a. nomine Apostolice omnes traditiones hodie venditantur, ibidem. Pon- tificij omnia dicta patrum quae traditionis mentionem faciunt, ad suas traditiones applicant, 61. a. b. 62. a. b. 64. a. 66. 76. b. Traditio pro do- ctrina Christi & Apostolorum in scripturis com- prehensa, 61. b. 65. a. pro commendatione li- brorum Scripturae & ad posteros propagatione, 62. b. 63. a. de traditione ad quam patres a scriptu- ra prouocarunt, 63. 64. a. 65. an admittenda traditiones cum scriptura pugnantes, 62. 66. de traditionibus quae sunt diuersae expositiones scriptu- ra, 67. b. traditiones quae non manifesto verbo descriptae sunt, sed ex scripturis ratiocinando elici- ta, 68. b. 69. 70. b. 177. a. de traditioni- bus quae omni scripturae testimonio carent, 69. b. 70. a. Traditiones quae sunt catholicus consensus patrum, 71. a. de traditionibus quae sunt ritus & consuetudines vetusta, 74. a. b. de traditioni- bus Pontificij ad fidem & mores pertinentibus, cum tamen nullo scripturae testimonio possint probari, 76. a. an pari pietatis affectu & reuerentia cum scriptu- ra suscipi debeant, 76.b.77.82.b. vstitutum & frequens esse per traditionis nomen fallere, 77. a. b. 78.a.79.a. origo tra-</p>	<p>origo tra-</p>

I. Partis Examinis.

origo traditionum per scripturam, 78. b. multa ex Apocryphis scriptis titulo traditionum citari, 79. b. consuetudines veteres pro traditionibus Apostolicis venditare, 80. b. 81. a. hyperbolica commendationes traditionum in patribus, 82. multas traditiones ex Montanistarum heresi in Ecclesiam irrepisse & retineri, 82. b. 83. 84. traditiones e fictitiis & Apocryphis scriptis desumptæ, 84. b. multa pro traditionibus venditari quæ à posterioribus hominibus instituta & profecta esse ostendi potest, 86. a. b. Quid querant pontificij traditionibus suis non scriptis, 151. a. obseruationi traditionum promittere vitam æternam, 177. b. Pontificios hac in re deteriores esse Pelagio & Iudais, 177. b.

Tridentini Concilij interpres Andradius, 1. a. 2. b. non est simpliciter ei acquiescendum, 3. a. norma iudicij eius de doctrina & ritibus, 5. a. b. Iuuentutis institutio a-

pub Iesuitas, 2. a. propositum eorum esse confirmare & obtrudere nobis de nouo Scholasticam doctrinam, 155. b. 158. b.

V.

Virtutes infidelium an sint peccata, 111. a
Vnctionis institutio, 86. b. vnctionem esse traditionem, 84. a
Vocabula in contentione versari cum de rebus constet, 53. b. 129. b. rebus inseruiunt vocabula non contra, 79. b
Voluntas hominis. vide liberum arbitrium.
ἰσομνίματα, 36. b

VV.

VVilhelmus VVideford, 35. b

F I N I S.

S 2

INDEX



**INDEX LOCORVM E SCRIP-
TIS PATRVN, IN HAC PRIMA PARTE
EXAMINIS ALLEGATORVM, IN QVO TA-
men explicationes in dicta Scripturæ, cum secundum primum
& proprium suum Indicem requiri possint,
studio sunt omiffæ.**

A.

Ambrosius de perspicuitate Scripturæ, 44. b. de Ba-
ptismo infantum, 69. a. de scriptis suis, 72. b.
de simplicitate fidei, 92. b. de reliquiis peccati
& concupiscentia post baptismum, 97. b. de virtutibus
infidelium, 112. b. de renouatione hominis, 123. b. de ius-
tificatione, 142. a. b. verba eius letaliter decumben-
tis, 145. a. b. de Nouatianis, 170. b. Liber eius de exhor-
tatione ad penitentiam, 123.
Anselmus de virtutibus infidelium, 112. b. exhortatio
eius ad fratrem moriturum, 143. b. quomodo se sistat
tribunali Dei, 143. b.
Athanasius de Scriptura sufficientia, 39. b. de eo quod sa-
pe non voces, sed tamen res in Scriptura habeantur,
70. b. de solis Patribus sine Scriptura audiendis,
74. a.
Augustinus de fide, 3. a. 39. a. de Scriptura pro Iudice dis-
putationum habenda, 4. b. 7. a. 40. b. 41. b. 45. b. de
sufficientia Scripturæ, 22. a. 28. a. 39. b. 45. b. 46. a. de
obscuritate aut perspicuitate eius, 25. a. 44. b. de
Scriptura Canonica, 46. a. 49. a. b. 52. a. collatio Scri-
pturæ ad aliorum scripta, 46. de Apocryphis scriptis,
52. b. 53. a. de scripturæ translatione, 54. b. 56. de in-
terpretatione scripturæ, 57. b. 58. b. de autoritate Pa-
trium, 72. a. b. de fide simplicium, 60. a. de traditioni-
bus, 62. b. 69. b. de scripturæ ad Ecclesiæ autoritatem
recepta, 62. b. de paruulorum Baptismo, 69. a. b. quo-
modo acceperit aliorum Patrum incommode dicta,
73. a. aliquando cessit consuetudini ac temporis, 73. b.
de discriminanda natura à vitio, quo est corrupta, 90.
a. de non refutando omnia obiecta, 92. b. de reliquiis
peccati in baptizatis, 94. a. an concupiscentia in re-
natis sit peccatum, 96. a. b. 97. b. 98. b. 99. a. 100. a. 101. a.
de Maria an in peccato concepta, 105. b. de libero ar-
bitrio, 108. a. 113. b. 114. b. 115. a. de predestinatione,
109. a. de fide & salute Ethnicorum, 109. b. de operi-
bus & virtutibus infidelium, 109. b. 110. 111. 112. de gra-
tia Dei in renouatione virium nostrarum, vt bene ve-
lint faciantque, 121. a. b. 122. a. de iustificatione, 132.
a. 142. a. b. 143. a. commemoratio eius de Ambrosio,
143. a. b. de certitudine fidei, 171. a. de obseruatori-
bus traditionum humanarum, 177. de sabbatho ieiunij,
180. b. de operibus quomodo placeant Deo, 181. b.
de possibili impletione legis, 182. a. de perfectione no-
stra, 184. 185. a.

B.

Basilii de Scriptura, 4. b. de autoritate & sufficientia
Scripturæ, 39. b. de interpretatione Scripturæ, 58. b.
de traditionibus, 61. b. 62. a. 82. a. de testimoniis Eccle-
siæ, 71. b. de contentione in transuersum abripiente
Doctores, 73. a. de iustificatione, 141. b.
Bernhardus de iustificatione, 143. a. b. fiducia eius in Chri-
sto contra tentationes Satana, ibidem. de certitudine
fidei, 171. a. de fide generali, ibid. de possibilitate im-
plendi legem, 182. a. de gratuita iustificatione, 186. b.
de iustitia humana, 187. b. 188. a.

C.

Chrysostomus de Euangelio Matthæi, 18. b. de vsu Scripturæ,

re, 39. a. de perfectione & autoritate Scripturæ, 39.
b. 41. a. b. de perspicuitate eius, 44. b. de legenda omni-
bus Scripturæ, 60. a. de Baptismo infantum, 69. a. de
dictis à se exhortatorie magis quam vere, 73. b.
Clemens Alexandrinus admirator fuit traditionum,
78. a. b. 79. a. Philosophia iustificationem tribuit,
108. b.

Clementis Romani scripta, 45. a. 85. a.
Cyprianus de scripturæ autoritate & vsu, 41. b. scripta
eius ab Augustino quomodo habita, 46. b. 72. a. de tra-
ditionibus, 61. b. de Baptismo infantum, 69. a. de
absolutione ad satisfactiones, 84. a. de peccato in
natura humana, 97. b. contra fidei dubitationem,
171. b.
Cyrillus de scripturæ sufficientia & autoritate, 40. b.
41. a. de perspicuitate eius, 44. b. de intelligentia scri-
pturæ, 58. b. de eo quod saepe non voces sed res tamen
in scriptura habentur, 70. b. de iustificatione, 132. a.

D.

Damascenus de memoria defunctorum, 82. a.
Damasceni oratio in sumptione mysteriorum, 169. a.

E.

Epiphanius de scripturæ autoritate, 40. a. de scriptis
suis, 72. b. admirator traditionum, 80. a. b. de iusti-
ficatione per legem naturæ, 108. b.
Eusebius de Euangelistarum & Apostolorum scriptis, 19.
b. 20. a. b. de triplici genere librorum in Ecclesia, 48. de
Apocryphis, 50. b. 51. a.

G.

Gerson de scripturæ autoritate, 40. a. 50. a.
Gregorius de iustificatione, 142. b.

H.

Hieronymus de Conciliis, 3. a. de disputationibus san-
gumolentis, 3. b. de scriptura, 5. a. 40. b. de Matthæi
Euangelio, 18. b. de Conciliis, 31. b. 41. b. de Apocryphis
scriptis, 52. 53.
versio Bibliorum Hieronymiana, 56. a.
de scriptis veterum, 57. a.
de dogmatice aut exhortatorie dictis, 73. b.
de Baptismo sine ceremonis additiis, 84. a.
de Ignatij epistolis, 86. a.
de iustificatione, 142. b.
Hilarius de Apocryphis scriptis, 8. b.
de intelligentia Scripturæ, 57. b. 58. b.
de peccato in natura humana, 97. b. 98. a. 101. b.
de iustificatione, 132. a. 141. b.
contra dubitationem fidei, 171. a. b.

I.

Ignatij Scriptum de traditionibus Apostolicis interci-
dit, 84. b. de Epistolis eius, 85. 86. de ieiunio Sabbati,
180. b.

Irenæus

I. Partis Examinis.

<p><i>Gregorius de inflatis hominibus, 2. b. de traditionibus, 12. b. de Evangelio Matthaei, 16. a. de Scriptura origine & autoritate, 16. b. 17. a. 39. a. de Scripturae sufficientia, 22. b. de traditionibus, 62. a. 63. b. 64. a. 65. 66. 67. a. de summa fidei & doctrina Christiana, 66. b. 67. a. de interpretatione Scripturae, 67. b. de Baptismo infanzum, 69. a. de Spiritu sancto, 70. b. de hominis renouatione, 123. b</i></p> <p style="text-align: center;">N.</p> <p><i>Nazianzenus de dogmatibus è scriptura extruendis, 68. b. 69. a. de litera scripturae, 70. b. 71. a. de certitudine fidei, 171. a</i></p> <p><i>Nicephorus de Euangelio Matthaei, 19. a. de Pauli scriptis,</i></p>	<p><i>25. a. 34. a. de Apocryphis scriptis, 51. b</i></p> <p style="text-align: center;">O.</p> <p><i>Oecumenius de iustificatione, 132. a</i></p> <p><i>Origenes de autoritate scripturae, 41. b. de interpretatione scripturae, 58. b. de traditionibus, 62. b. de Baptismo infanzum, 69. a. traditiones sectatus est auctor Clemente Alexandrino, 79. a. de operibus hereticorum, quod sint peccata, 111. b. de iustificatione, 141. b</i></p> <p style="text-align: center;">S.</p> <p><i>Socrates de ieiunij legibus, 180. b</i></p> <p style="text-align: center;">T.</p> <p><i>Theophilactus de Euangelio Matthaei, 16. a. 17. b 18. a.</i></p>
--	---

F I N I S




Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

P R I N T



EXAMINIS DE
CREDULIA CONCILII
TRIDENTINI COMPLE





EXAMINATA COR
CIVILIS BENE
1714

x 106^a = x

5

4307²
1963